NICOLAI PVPÆ I
EPISTOLÆ ET DECRETA
ORDINE CHRONOLOGICO DIGESTA

I.

EPISTOLA NICOLAI AD WENILONEM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM ET COEPISCOPOS EJUS,

(Anno 858.)

De Herimanni episcopi Nivernensis infirmitate.

[Apud Mansi, *Conc.* tom. XV.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis ac sanctissimis confratribus nostris, Wenilони Senonensi archiepiscopo, et coepiscopis ejus.

Epistolam sanctitatis vestræ, qua apostolatus nostri super causa Herimanni episcopi non immerito expetere studuistis responsum, vel qua more universalis Ecclesiæ auctoritatis nostræ efflagitare instructionem curastis, accipimus. Sed antequam ad consulta vestra mentis oculum inclinemus, paruimper in laudibus vestris stylum operæ pretium duximus immorandum : qui quos vobis eundum, quove in rebus dubiis, atque in magnis ecclesiasticis negotiis esset accelerandum, serenitatis visibus prævidistis, humilibusque devotionis vestræ passibus cucurristis. Contra illos nimirum, qui beatissimi apostolorum principis Petri ejusque successorum luculentissimam doctrinam sedemque spernentes, quem Dei Filius in sancta Ecclesia sua, tanquam luminare majus in cœlo constituit, veluti quidam scorpiones palantes incedunt in meridie, et cum adhuc dies est, occidit eis sol. Revera ii et per scientiam Dei more Balaam apertos habent oculos : cadunt tamen, quia obcæcati instar ipsius avaritia, quo gressum tendere possint justitiæ non aspiciunt : sed per abrupta et avia incedentes, dum caput sequi refugiunt, in vasta præcipitia demerguntur. Vos autem, fratres charissimi, qui sancto utique Spiritu revelante, apostolicæ sedis auctoritatem sensu capere, et ad splendorum luminis ejus jam incedere laudabiliter inchoastis, cum illa usque in finem sapere, cum illa semper ambulare studete, ab illa deviare nefas judicate ab ejus discrepare sensu ne ad modicum quidem momentum consentiatis. Quos illa recipit et vos quoque recipite, et quos illa respuit, abigere ipsi sicut ipsi mementote. Non enim illa respuit nisi membra quæ sibi non hærent, nec a se recidit nisi quos in scandalum multis positos comprehendit. Non, inquam, recidit vel eruit a se, nisi membrum quod sanis membris in offensionem et perniciem noscitur exstitisse. Verum ad propositum redeamus. Suggerit sanctitas vestra Herimannum episcopum morbum incurrisse, quo diu impeditus est episcopale recte implere officium. Sensus enim, ut vestra ipsa verba ponamus, aliquoties integritate privatus, quædam insano simillima admittebat. Atque subinfertis quod ad provinciales synodos evocatus venire distulerit. Ubi attente considerandum est, quoniam hoc ipsum quo venitur ad synodum, sacerdotale officium est : et cum dixeritis illum sacerdotale non potuisse implere recte officium, sensusque integritatem amisisse, miramur reverentiam vestram eum venire ad synodum coegisse : præsertim cum ipsi testemini insano hunc similem, et in eadem adhuc infirmitate manere : quem, si ita gravatur, magis convenerat sanctimonium vestrum sublevare, quam pondus ejus ponderi superaddere, charitatemque in eo confirmare potius, quam ei pietatis viscera obserare. Indicatis autem illum super quibusdam excessibus fuisse frequenter accusatum. Pro quibus, quia ex parte ipsius persona deest, nos uni parti ad alterius discrimen credere procul dubio non possumus, quamvis nec usque adhuc qui fuerint illi excessus dixeritis, nec utrum sana erat mente idem antistes, necne, cum ipsos excessus perpetrabat evidenter ostenderitis : satiusque arbitramur, quamlibet interim infirmitatem ad pœnam peccati, quam ad ipsum pertinere peccatum, cui magis consulendum sit, et compatiendum, quam puniendum, vel aliquo modo feriendum. Admonitio præterea, vel conventio beatitudinis vestræ, quam ei fecisse vos perhibetis, valde placet : si tamen ex charitate non ficta, sed ex simplici mentis oculo prodiit id quod suave et dulce in auribus nostris sonuit : vel si coram summi arbitri oculis ita placuit, quemadmodum ante hominum visus, quod placere sit satis abundeque conspicitur. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

II.

BULLA NICOLAI PRO MONASTERIO FULDENSI.

(Anno 859.)

De hujus monasterii statu sibi identidem rationem reddi mandat.

[Apud Schannat, *Hist. Fuld.*, pag. 139.]

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, Theotoni religioso abbati venerabilis monasterii Domini Salvatoris, et per te in eodem venerabili monasterio successoribus in perpetuum.

Quoniam semper sunt concedenda quæ rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotioni conditoris piæ constructionis auctoritas in privilegiis præstandis minime denegetur. Igitur, quia postulasti a nobis quatenus monasterium Salvatoris a S. Bonifacio archiepiscopo constructum in loco qui vocatur Boconia, erga ripam fluminis Fuldaha privilegii sedis apostolicæ adminiculis decoretur, et

ut sub jurisdictione sanctæ nostræ cui,Deo auctore, A deservimus ecclesia constitutum,nullius alterius ecclesiæ jurisdictionibus submittatur; pro qua piis desideriis faventes, hac nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus,et ideo omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio dictionem quamlibet habere et auctoritatem præter sedem apostolicam prohibemus, ita ut, nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus,nec missarum ibidem solemnitatem quispiam præsumat omnino celebrare, ut profecto, juxta id quod subjectum apostolicæ firmitate privilegii consistit inconcusse dotatum permaneat, locis et rebus tam eis quas moderno tempore tenet vel possidet,quam quæ divina pietas voluerit augere ex donis, et oblationibus, decimisque fidelium,absque ullius personæ contradictione, firmitate perpetua perfruatur. Cæterum B vero,hoc deliberantes, statuimus ut congruis temporibus nostræ sollicitudini ecclesiasticæ intimetur, qualiter religio monastica regulari habitu dirigatur, concordiaque convenienti ecclesiastico studio mancipetur, ne forte, quod absit, sub hujus privilegii obtentu animus gressusque rectitudinis vestræ a norma justitiæ aliquo modo retorqueatur; constituimus quoque per hujus decreti nostri paginam, ut quicunque cujuslibet ecclesiæ præsul, vel quacunque dignitate prodita persona,hanc nostri privilegii chartam,quam auctoritate principis apostolorum firmamus, temerare tentaverit, anathema sit, et iram Dei incurrens, a cœtu omnium sanctorum extorris existat, et nihilominus præfati monasterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata per- C maneat apostolica auctoritate subnixa.

Scriptum per manum Petri notarii,scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Junio, indict. VII, Bene valete.

Datum 11 Idus Junias per manum Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ.Imperante domno piissimo Augusto Ludovico a Deo coronato,magno,pacifico imperatore, inductione septima. Amen.

III.

AD ADELOVINUM SALZBURGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 860.)

Pallii usum concedit.

[Apud Kleinmayern, *Nachrichten vom Zustande der Gegenden und Stadt Juvavia.* Anhang 92.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reve- D rentissimo et sanctissimo confratri nostro Adelovino episcopo sanctæ Juvavensis Ecclesiæ.

Diebus vitæ suæ tantummodò solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt (*a*),ut neque ex eis aut errando pereat,aut ferinis laniata morsibus rapiatur oculis semper vigilantibus circumspectant,quanto sudore quantaque cura debemus esse pervigiles, nos qui pastores animarum dicimur,attendamus et susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro nostra desidia ante summum pastorem negligentiæ reatus excruciet, unde modo honoris reverentia sublimiores inter cæteros judicamur. Pallium autem fraternitati tuæ ad missarum solemnia celebranda concedimus. Quod tamen non aliter Ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus uti largimur,nisi solummodo in die sanctæ ac reverendæ resurrectionis Domini nostri Jesu Christi,seu in natalitiis sanctorum apostolorum,atque beati Baptistæ Joannis, nec non in assumptione beatæ Dei genitricis Mariæ, simul in Dominicæ navitatis Domini Dei nostri die, pariterque in solemnitatis ecclesiæ tuæ die, verum etiam et in ordinationis tuæ natalitio concedimus die, sicut a beato prædecessore nostro Domino Gregorio hujus almæ sedis præsule sancitum est. In secretarium vero induere tua fraternitas pallium debeat,et sic ad missarum solemnia proficisci; et nihil sibi amplius ausu temerariæ præsumptionis arrogare, ne dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripiatur,ordinate etiam quæ licere poterant amittantur. Cujus quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur ut et cuncta ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo rector ubique possis esse conspicuus.

Itaque vita tua filiis tuis sit regula.In ipsa si qua fortitudo illis injecta est, dirigantur, in ea quod imitentur aspiciant; in ipsa se semper considerando proficiant, ut tuum, post Deum,videatur esse quod bene vixerint.Cor ergo neque prospera quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant; sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincatur. Nullum apud te locum odium, nullum favor indiscretus inveniat. Districtum te mali cognoscant; insontem apud te culpabilem suggestio mala non faciat; nocentem gratia non excuset: remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod ultus non fueris, perpetrari permittas. Sit in te et boni pastoris dulcedo,sit et judicis severa districtio, unum quod innocenter viventes foveat, aliud quod inquietos feriendos a pravitate compescat.Sed quoniam nonnunquam præpositorum zelus dum districtus malorum vult vindex existere,transit in crudelitatem correptio, iram judicio refrena, et censura disciplinæ sic utere, ut et culpas ferias, et a dilectione personarum quas corrigis non recedas. Misericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibe; oppressis defensio tua subveniat; opprimentibus modesta ratio contradicat; nullius faciem contra justitiam accipias [aspicias]; nullum querentem justa despicias. Custodia in te æquitatis excellat, ut nec divitem potentia sua aliquid apud vos ex rabie [extra viam] suadet rationis audere, nec pauperem de se sua humilitas faciat desperare: quatenus Deo miserante utilis possis existere, qualem sacra lectio præcepit dicens: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse.* Sed his omnibus uti salubri-

(*a*) Deest aliquid. Epist. 87, ad Rembertum: *Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, ut.* etc.

ter poteris,si magistram charitatem habueris; quam qui secutus fuerit, a recto aliquando tramite non recedit. Ecce, frater charissime ,inter multa alia ista sunt sacerdotii,ista sunt pallii; quasi si studiose, servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet.Atque ita in timoris sui via dirigat,ut post hujus vitæ amaritudinem ad æternam simul dulcedinem pervenire mereamus.Amen.

Scriptum per manum Soronii notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ,in mense Maio, indictione VIII.

IV.

AD MICHAELEM IMPERATOREM (*a*)

(Anno 860.)

Conqueritur synodum Constantinopoli injussu sedis apostolicæ ausum fuisse Ignatium honore privare, et in ejus locum Photium substituere.Ostendit multis rationibus laicum ad pontificalis dignitatis gradum conscendere non posse. Promotionem Photii non vult comprobare,nisi prius causa a legatis examinetur, et ad se integra deferatur. His adjungit nonnulla de imaginum adoratione; estque epistola prima missa ab apostolica sede ad imperatorem Michaelem per Rodoaldum et Zachariam episcopos.

[Apud Mansi. *Conc.* tom. XV, col. 162-167.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei,dilecto filio MICHAELI glorioso imperatori Græcorum.

Principatum itaque divinæ potestatis, quod omnium conditor electis suis apostolis largitus est,super solidam fidem apostolorum principis (Petri videlicet) soliditatem constituens,ejus egregium, imo primam sedem deliberavit.Nam voce dominica ipsi dictum fuerat : *Tu es Petrus, es super hanc petram ædificabo ecclesiam meam : et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Petrus denique a firmitate petræ,quæ Christus est,structuram universalis Ecclesiæ inconcussam,et fidei robore solidatam,ita precibus suis munire non cessat,ut errantium vesaniam rectæ fidei norma reformare festinet, necnon intrepide eam consolidantes remunarare procuret : quatenus portæ inferi, malignorum utique spirituum suggestiones,atque hæreticorum impetus, non prævaleant ejusdem Ecclesiæ unitatem refringere.Quapropter Deo omnipotenti multiplices referimus grates,qui vestro pectori hoc infundere dignatus est, ut fautores Ecclesiæ Dei effecti, concordiæ ipsius desideretis favere,ne quavis rubigine erroris consumatur pulchritudo fidei,et frangatur intellectus apostolicæ traditionis. Ad cujus enim (sicut ipsi scitis) integritatem observationis multoties conventus factus fuerit sanctorum Patrum,a quibus et deliberatum ac observatum existit, qualiter absque Romanæ sedis,Romanique pontificis consensu,nullius insurgentis deliberationis terminus daretur. Igitur a vobis Constantinopoli congregatum concilum (ut vestris apicibus nostris intimatum est auribus) hujus tenoris seriem parvipendens,ab institutis supradictis manum considerationis suæ reflectere non trepidavit; adeo ut Ignatium supra jam nominatæ urbis patriarcham,sine Romani consultu pontificis,ibidem cœtus conveniens proprio privasset honore. Quod quam sit reprehensione dignum,testes illi qui ei oppositi fuerant, manifestant : quia tales quos in epistola vestra legimus,canonica institutio prohibet; et invidiose datos manifeste claret,quoniam nec ipse proprio ore manifestavit(ut directionis vestræ asserunt litteræ) illa quæ ei objiciebantur,neque accusatores illius secundum sacrorum canonum instituta probaverunt.Cæterum his etiam sic injuste peractis, ad detestabiliora inconsiderationis suæ votum, supradictam populi catervam dirigendo, de laicorum habitu qui ei præesset eligit pastorem.O quam præsumptuosa temeritas! ille præponitur ovili divino qui nescit adhuc dominari spiritui suo.Nam qui ignorat disponere,quomodo corrigere quibit vitam alienam ductus,quomodo corrigere quibit vitam alienam subito electus ? Latuisse vos non credimus,quid apostolorum egerit cœtus post acceptum donum sancti Spiritus. Ecce etenim ipsi visione Domini, et locutione illius assidua, ejusdemque resurrectione lætificati, atque gratia spiritalis descensus consolidati, non præsumpserunt de electis septuaginta duobus eligere tam audacter duodecimum,qui Judæ prævaricatoris suppleret locum : sed per gradus quosdam (ut ita dicatur)de septuagenario binariosque numo elegerunt duos,Joseph qui vocabatur Justus,et Matthiam (*Act.* I). Et sic ex his, quem alteri præponerent interim ignorantes, divinum examen postulavere,electioneque data,qui humanis obtutibus justior videbatur, coram Divinitatis conspectu inferior est inventus. Igitur illius congregationis conatus,nihil horum studentes exercere,visi sunt a recto itineris tramite declinasse,cum in custodiam Dominici gregis non taliter,ut decuit,studuerunt pastorem præponere. In notitia siquidem sæcularium litterarum nemo magistri nomine merito censetur,nisi per gradus disciplinarum procedens fuerit doctus. Verum iste Photius videlicet antea doctor prorupit quam doctus exstiterit; prius magister videri cupit quam discipulus audiri : prius auditor esse debuit,ac deinde institutor. Sed hic doctoris e contrario cathedram eligens,docere prius elegit,ac deinde cœpit doceri : prius sanctificare curavit, ac demum sanctificari : prius illuminare voluit, et postmodum illuminari.

Hæc itaque catholicus ordo prohibet : et sancta nostra Romana Ecclesia talem electionem semper prohibuit per antecessores nostros catholicæ fidei doctores.Quorum nos tenorem observantes,instituta ipsorum esse inviolabilia censemus.Sardicense denique consilium,ut de laicis non eligeretur antistes, in decimo tertio capite per omnia prohibuit ita inquiens : Si forte aut dives,aut scholasticus de toto, aut ex administratore episcopus fuerit postulatus,ut non prius ordinetur, nisi ante lectoris munere, et officio diaconii,aut presbyterii fuerit perfunctus, ut per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen episcopatus. Et reliqua.

(*a*) Est hæc epistola integra Latine in VIII synodo œcumenica, actione 4, ex Anastasii versione.

Cœlestinus itidem sanctissimus doctor,et nostræ Romanæ sedis præsul egregius, in decreto suæ sanctionis (*epist.* II, *cap.* 21) asserens dicit : Audivimus quasdam propriis destituta rectoribus civitates,episcopos sibi petere velle de laicis,tantumque fastigium tam vile credere, ut hoc illis, qui non Deo, sed sæculo militaverunt, æstiment nos posse conferre: non solum male de suis clericis,in quorum contemptum hoc faciunt, judicantes, sed de nobis pessime,quos credunt hoc posse facere sentientes : quod nunquam auderent, si non quorumdam illic his consentiens sententia cohiberet. Ita nihil quæ frequentius sunt decreta proficiunt, ut hoc quasi nunquam de hac parte scriptum fuerit, ignoretur. Quid proderit per singula clericos stipendia militasse,et omnem egisse in Dominicis castris ætatem, si qui his præfuturi sunt, ex laicis requiruntur? Qui vacantes sæculo,et omnem ecclesiasticum ordinem nescientes,saltu præpropero alienum honorem ambiunt immoderata cupiditate transcendere : et in aliud vitæ genus calcata reverentia ecclesiasticæ disciplinæ transire.

Talibus itaque,fratres charissimi,qui juris nostri (id est canonum) gubernacula custodimus, necesse est obviemus; hisque fraternitatem vestram epistolis commonemus,ne quis laicum ad ordinationem clericatus admittat, et sinat fieri : unde et illum decipiat, et sibi causas generet,quibus reus constitutis decretalibus fiat. Leo denique sanctissimus doctor,et apostolicæ Romanæque sedis pontifex egregius,cujus laus in quarta synodo magnificatur, hoc ipsum in Decretalibus suis prohibuit, cap. 33 (*epist.* 88 *ad Anast. Thessal. episc.*) : In civitatibus,quarum rectores obierint,de substituendis episcopis hæc forma servetur,ut is quis ordinandus est,etiam si bonæ vitæ testimonio fulciatur, non laicus, non neophytus,nec secundæ conjugis sit maritus,et reliqua.

Gelasius autem supradicti doctoris,Leonis videlicet,meritis non impar,sanctissimus Romanæ Ecclesiæ præsul, non solum episcopos de laicis fieri prohibuit,sed etiam presbyteros,ne talia præsumerent, vetavit in decretalibus suis, cap. 3 (*epist.* 6), ita inquiens: Si vero de laicis quispiam ecclesiasticis est aggregandus officiis,tanto sollicitius in singulis,quæ superius comprehensa sunt,hujusmodi decet examinare personam, quantum inter mundanam,religiosamque vitam,constat esse discreminis: quia utique convenientia ecclesiæ ministeria reparanda sunt,non inconvenientibus meritis ingerenda: tantoque magis, quod sacris aptum possit esse servitiis, in eorum quærendum est institutis, quanto de tempore, quo fuerant hæc assequenda, decerpitur,ut morum habere doceatur hoc probitas,quod prolixior consuetudo non contulit : ne per occasionem supplendæ penuriæ clericalis, vitia potius divinis cultibus intulisse,non legitimæ reputemur procurasse compendia, quorum promotionibus super anni metas sex menses nihilo minus subrogamus.

Quoniam, sicut dictum est, distare convenit inter personam divino cultui deditam,et de laicorum conversatione venientem: quæ tamen eatenus indulgenda credidimus, ut illis ecclesiis, quibus infestatione bellorum,vel nulla penitus,vel exigua remanserunt ministeria, renoventur; quatenus his Deo propitio restitutis in ecclesiasticis gradibus subrogandis,canonum paternorum vetus forma servetur: ne contra eos ulla ratione prævaleat. quod pro occidentis defectus remedio providetur. Non adversus scita majorum nova lex proponitur, cæteris ecclesiis ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas pristinam in faciendis ordinationibus convenit tenere sententiam.

Quo magis hac opportunitate commoniti, observantiam venerandorum canonum propensius delegamus: singulorum graduum conscientias admonentes ne in illicitos prorumpere moliantur excessus,ne fas esse confidat quisquam pontificum,bigamos,aut conjugia sortientes,aut ab aliis derelicta,sive quoslibet post pœnitentiam,vel sine litteris,vel corpore vitiatos, vel conditionarios, aut curiæ, publicarumque rerum nexibus implicatos,aut passim nulla temporis congruentis exspectatione discussos, divinis servituros applicare ministeriis; neque pro suo libitu jura studeant aliena pervadere, absque sedis apostolicæ justæ dispositionis mandato.

Prædecessor itaque noster hujus almæ sedis, Adrianus videlicet sanctissimus præsul, in epistola quam Constantinopolim pro venerandis imaginibus destinaverat (*epist.* 5 circ. fin.), ita instituit ut amplius de laicis nullatenus in eadem vestra Constantinopolitana Ecclesia ordinaretur antistes : cujus textum si scire vultis, in concilio quod ejus tempore in supradicta urbe celebratum est,invenire potestis.

His itaque paulisper prælibatis in supradicti viri consecratione consensum apostolatus nostri præbere non possumus, donec per missos nostros, quos ad vos destinavimus, cuncta quæ in jam prænominata sæpius urbe de ecclesiasticis causis, seu ordinibus peracta sunt, vel agentur, nostris intimata fuerint auribus. Et ut in omnibus rectus ordo servari queat, volumus, o clemens Auguste, ut Ignatius, quem sedis supradictæ gubernacula propria spontaneaque voluntate deseruisse, et totius plebis congregato concilio depositum esse vestris apicibus nobis intimare curastis, in conspectum veniat nostrorum missorum,et universi concilii, vestris quidem imperialibus institutis, quatenus perquiratur, quamobrem spreverit traditam sibi plebem, et instituta antecessorum nostrorum, sanctorumque pontificum, Leonis videlicet papæ, atque Benedicti, parvipendendo contempserit, et in hoc agendum subtili examine a nostræ jussionis legatis depositionis ejus censura perquiratur : quatenus inquirentes invenire queant, utrum canonicus tenor in eadem observatus fuerit, vel non, manifestum existat : ac deinde cum nostro præsulatui significatum fuerit, quid de eo agen-

dum sit, apostolica sanctione diffiniemus : ut vestra Ecclesia quæ tantis quotidie quatitur anxietatibus, inviolabilis deinceps et inconcussa permaneat.

De imaginibus autem, earumque observationibus, licet nulla necessitas esset scribere, eo quod nostrorum antecessorum venerabilium pontificum sancta sollicitudo catholico ardore succusa, multa et valde utilia Ecclesiæ Dei profutura instituit : tamen quia frequens iteratio informationis solet venerabiliorem intentionem reddere audienti : idcoque de eisdem pro conservanda unitate populo Dei aliquid exponere curamus. Pristinam itaque sanctorum Patrum traditionem, quam a prædecessoribus nostris beatissimis et orthodoxis pontificibus, qui post beatum Petrum in ejus apostolica sede resederunt, nobis observandam suscepimus, et hactenus immutilatam hæc sancta catholica et apostolica tenet ac defendit Ecclesia. Oportet ergo tota mentis intentione, summique desiderii conamine venerandas tam Domini nostri Jesu Christi, quam suæ sanctissimæ genitricis, et beatorum apostolorum, atque omnium sanctorum imagines venerari et colere : ut eo quo valemus annixu contra hæreticorum vesaniam, qui ab earum veneratione populum prohibent, resistere studeamus.

Nam in pace Ecclesiæ constitutus nil contrarium esse potest, si sanctorum effigies propriæ depictæ fidelibus augeant incrementi amorem. Revera quia dum eorum vultus aspicitur, et operis actio recolitur, Deus, cujus habitatio in eis esse dignoscitur, perfecte laudatur. Certe si Deus, qui est invisibilis et incorporcus, non per propriam substantiam deitatis, sed per subjectam creaturam mortalium apparuit oculis et credentibus summum esset culmen honoris : quare animæ sanctorum, quæ manentes in corpore vultus uniuscujusque habuisse noscuntur, secundum dispositionem Dei dicit ipsi placentia operatas esse, non venerentur a nobis magno honore? Cur eorum exsecremur effigies, per quos agnovimus fidei veritatem?

Apparuit nempe Deus Abrahæ patri nostro, non in carne, neque in anima, sed in specie trium virorum : quibus ille aliud cernens, et aliud esse intelligens, pronus in terra adoravit, et dixit : *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, afferam aquam, ut laventur pedes vestri* (*Gen.* xv). Credidit illico Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatns est. Apparuit denique Jacob per subjectæ creaturæ speciem, unde et dixit : *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* xxxii). Ecce incorporeus Deus et invisibilis per speciem subjectæ creaturæ ita se mortalium voluit videri obtutibus, ut credentibus esset ad gratiam : cur nobis sanctorum icones, quos corporeos et visibiles fuisse credimus, si illos ut vere Christi veneremur amicos, poterunt esse ad culpam? Nam si eorum effigies exsecrabiles esse crederentur, profecto et ipsarum reliquiæ, quorum caro corruptionem sensit in tumulo pro neutro (quod absit) haberi deberentur. Verumtamen si ad eorum consortium venire optamus, profecto hic omnia in bonore sanctorum, id est tam reliquias non solum corporum, sed et vestimentorum, seu etiam imagines vultus illorum in quolibet loco depictas, celeberrimo honore venerari debemus, reminiscentes illud, quod Isaias speciem subjectæ creaturæ se vidisse testatur, dicens : *Vidi Dominum sabaoth sedentem super solium excelsum, et ea quæ sub ipso erant implebant templum* (*Isa.* vi), etc.

Accedit itaque Moses et Aaron, ut viderent thronum ubi steterat Deus, et erat sub pedibus ejus tanquam opus lapidis sapphiri, et velut firmamentum cœli in claritate fulgoris, et stabant cherubim ex auro mundo. Quæ omnia, secundum quod Salomon postea in templo instruxit, in monte cum Domino loquens, imaginata et præsignata vidit.

Hæc et his similia præcedentes Patres sciendo, iconas Salvatoris nostri Jesu Christi, ejusque sanctissimæ Genitricis semperque Virginis, omniumque sanctorum in parietibus ecclesiarum, secundum quod tempus hodie probat, depinxerunt, et pingere pro congruis locis omni dilectione usque in præsens non prohibuerunt. Quid Christiano verissimo nocet, si quod amat et diligit, non ad adorandum deificet, sed ad tremendum terribiliter, in pariete vel ligno depingit?

Verum, quid officit, si aspicimus imagines Christi in templo Ecclesiæ, et in arcano cordis præmeditamur eum venturum, cujus imaginem cernimus, citius vivorum et mortuorum judicem adventurum? Quid fidei nostræ contradicit, quod in centro cameræ super altare, ejus figuram quod Verbo caro factum est, et habitavit in nobis, animæ nostræ affectando desiderant, cujus imago nominis titulum retentat, et quia per naturam Filium adoramus, quare per adoptionem nomen novum scriptum in calculo, vel gemmis non adoremus? Altare itaque sanctum, in quo Deo omnipotenti sacrificiorum vota persolvimus, lapsis est naturaliter communis, nihil differens ab aliis tabulis, quæ parietes nostros et pavimenta adornant. Quia vero sacratum est Dei adjutorio, et benedictionem suscepit, unde et mensa sancta efficitur, panis iterum, qui super eum offertur, panis est quidem communis; sed quando ipse sacramento sacratus fuerit, corpus Christi in veritate fit, et dicitur. Sic et vinum modicum aliquid digna existentia ante benedictionem (*a*) post sanctificationem Spiritus, sanguis Christi efficitur. Ipsa enim crucis imago antequam suscipiat ejus formæ figuram, lignum ab omnibus commune est. Suscipiens autem omnimodo venerandam similitudinem, sacra est, et dæmonibus terribilis, propter quod in ea figuratus est Christus.

Hæc brevi stylo transcurrentes, cum multa dicere quivissemus, vestræ serenitati transcripsimus;

(*a*) Locus mendosus.

quia Adrianus sanctissimus præsul antecessor noster multa de his in epistolis, quæ hactenus apud Constantinopolitanam habentur Ecclesiam, scribens contradidit, in quibus quidquid hujus rei necessitas coegerit, invenire poteritis. Oportet enim vestrum imperiale decus, quod in omnibus ecclesiasticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem, quem nostra Ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini, quatenus vicem, quam nostra sedes per episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanæ sedis vicem per Epirum veterem, Epirumque novam, atque Illiricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, Daciam ripensem, Daciamque mediterrancam, Mœsiam, Dardaniam, Prævalim, B. Petro apostolorum principi contradicere nullus præsumat, quæ antecessorum nostrorum temporibus, scilicet Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Cœlestini, Sixti, Leonis, Hilarii, Simplicii, Felicis, atque Hormisdæ sanctorum pontificum, sacris dispositionibus augebatur. Quorum denique institutiones ab eis illis in partibus destinatas per nostros missos, ut rei veritatem cognoscere queatis, vestræ Augustali potentiæ dirigere curavimus.

Præterea Calabritanum patrimonium, et Siculum, quæque nostræ Ecclesiæ concessa fuerunt, et ea possidenda obtinuit, et disponendo per suos familiares regere studuit, vestris concessionibus reddantur, quoniam irrationabile est ut ecclesiastica possessio, unde luminaria et concinnationes Ecclesiæ Dei fieri debent, terrena quavis potestate subtrahantur; sed domui Dei restituta meritum redditoris C multiplicent, et suscipientis votum spiritalis desiderii lucris exerceatur. Inter ista, et superius dicta volumus ut consecratio Syracusano archiepiscopo nostra a sede impendatur, ut traditio ab apostolis instituta nullatenus nostris [*edit. Rom.* vestris] temporibus violetur.

Destinavimus autem vestræ serenitati reverendissimos et sanctissimos episcopos, Rhadoaldum videlicet sanctæ Portuensis Ecclesiæ, atque Zachariam Anagninæ sanctæ Ecclesiæ, fungentes legatione apostolatus nostri, quos ut honorifice suscipiatis, vestram amplitudinem deprecamur : quibus etiam frequens colloquium tribuatis : et eis quæ de ecclesiastico statu irreprehensibiliter dixerint, credere non ambigatis. Et cum in conventu eccle- D siæ sederint pro ecclesiasticis diffinitionibus, nihil a vobis, vel ab aliis alicujus contrarietatis impetum sentiant. Et cum fas illis fuerit revertendi, vestros concedite missos; et tales, qui in dromonibus congruis esse Romam incolumes, favente Deo, apostolorum precibus studeant referre, quatenus pro omnibus vestris bonis devotionibus gratias Deo omnipotenti Patri, atque ejus unigenito Filio Domino nostro Jesu Christo, et Spiritui sancto devotius agere valeamus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. Data mense Septembrio die 25, indictione IX.

Explicit epistola ab apostolica sede ad imperatorem Michaelem per Rhadoaldum, et Zachariam episcopos missa.

V.

AD PHOTIUM.

(Anno 860.)

Reservat totam causam Photii in adventum legatorum; estque epistola prima ad Photium per Rhadoaldum et Zachariam episcopos Constantinopolim declinata.

[Apud Mansi, *ibid.*, col. 168.]

Omnis utilitas et profectus animarum catholica fide munitur et dilectione Evangelii tuetur : quæ omnes intra se conclusos salvat et extra se positos suos non existimat. Unde directionis vestræ sumptis apicibus lætificati sumus, quia vos catholicum B in eis cognovimus. Nam ibi prudentiæ vestræ utilitatem intelleximus, ideoque multas gratias Deo omnipotenti retulimus, quia vestrum scire de catholico fonte manare experti sumus. Sed rectum vos ordinem minime continuisse doluimus : eo quod non per gradus Ecclesiæ ductus ad tantum honorem de laici [*edit. Rom.* laicali] habitu vos prosiluistis, cum oporteret vestram prudentiam ita canonice vixisse in clericali ordine, ut nihil extra canonica instituta agentes, tempore congruo, ascensu legitimo constituereris Ecclesiæ pastor. Vos itaque hoc permittentes [præmittentes], contra statuta Patrum egisse manifestum existit. Nam Sardicense concilium per omnia tantæ temeritatis præsumptionem vetuit (*can.* 13), pariter et sanctorum pontificum Romanæ sedis, Cœlestini doctoris egregii, Leonis sanctissimi, cujus laus in quarta synodo clara existit : seu Gelasii doctrina, et meritis æque beatissimi, horum videlicet instituta, hoc prohibuerunt, ut talis ordinatio fieri non præsumeretur. Quapropter vestræ consecrationi consentire modo non possumus, donec nostri, qui a nobis Constantinopolim sunt directi, revertantur, qualiter per eos cognoscamus vestræ observationis actus, et ecclesiasticæ utilitatis constantiam, et quo studio circa catholicæ fidei defensionem vosmet exerecatis. Et tunc, si dignum fuerit, ut tantæ sedis præsulem, ceu convenit, honorabimus, et fraterna dilectione amplectemur. Data mense Septembrio, die 25, indict. IX.

VI.

AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CONSTITUTOS.

(Anno 860.)

De Ingeltrude, Bosonis comitis uxore fugitiva; ut illam excommunicent, si ad virum redire contemnat.

[Apud Mansi, *ibid.*, col. 326.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo ac sanctissimo et confratri nostro HINCMARO archiepiscopo, et omnibus archiepiscopis seu episcopis in regno Caroli constitutis.

Canonica auctoritas hoc omni in loco prædicare non cessat, ut populus divino cultui mancipatus irreprehensibilis existat : quo enim mediante fieri melius potuerit, quam illorum sollicitudine, qui pa-

storum loco curam Dominici gregis susceperunt? Quapropter vestram commonemus fraternitatem, imo et sanctitatem, ut vestram diœcesim non sinatis pollui fornicariis. Ecce jampridem direximus vobis de uxore Bosonis comitis, quæ relicto viro fugit, ut eam revocare fecissetis viro suo, sed quod occasione mergente minime factum conspicimus; unde forsan vos negligentes, nos judicare possumus. Quapropter præcipimus vobis auctoritate apostolica fulti, quatenus eam faciatis reverti ad proprium virum, concessa sibi negligentia, qua in eum deliquit; et si vobis inobediens contempserit repedare, corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, et societate omnium fidelium citius tam illam, quam cæteros qui ejus facinori favere videbuntur, excommunicare festinetis, ut domus Dei talibus rectoribus dirigatur, quales catholicus ordo delegisse cognoscitur. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

VII.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 860.)

Monet eum diligenter procurare ut Lotharius Ingeltrudem uxorem adulteram Bosonis comitis regno suo ejiciat; et ad virum suum redire compellat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, CAROLO glorioso regi spiritali filio nostro.

Vestram regiam dignitatem concedet de pietatis fonte justitiæ discretionem haurire. Nemo itaque justius operari debet, quam cui commissa videtur legum ordinabilitas. Ecce etenim reges regibus suadere [favere] solent Sed convenit, ut his quæ ratio docet justitiæ, invicem alternent: quæ (*a*) autem improbitas, vicaria vice subtrahere non cessent. Unde vestram exhortamur regiam magnitudinem, uti corrigatis Lotharium regem, nepotem vestrum, ne tantum placulum permittat manere in regno suo: hoc est non consentiat fugitivam uxorem Bosonis comitis tandiu remanere, ut non reddatur viro suo, remissa quidem negligentia, quam ei fecit. Cæterum vos etiam monere volumus, ut si in vestro regno contigerit devenire, similiter peragatis; quoniam jussimus omnibus archiepiscopis seu episcopis regni vestri, ut eam, indulta sibi culpa, si noluerit reverti ad supradictum virum suum, excommunicent a corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, et societate omnium fidelium; quoniam condecet, ut in regno vestro tantum malum non oriatur, et si ortum fuerit, citius exstinguatur. Adeo ut omnes consentientes malo ipsius, supradicta excommunicatione nodamus [nectamus]. Optamus excellentiam vestram in Christo bene valere.

VIII.

ACTA CONCILII ROMANI ANNI DCCCLXI.

De Joanne Ravennate archiepiscopo.

(Vide Patrologiæ tom. CVI, col. 787, appendice ad pontificale Agne.

IX.

AD HUNTFRIDUM MORIENSEM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 861.)

In persecutionibus episcopus Ecclesiam suam non deserat.

[Mansi, *ibid.*]

Sciscitaris itaque per Guldagarium presbyterum, utrum cum a Nortmannis de episcopio depellaris, debeas de cætero in monasterio conversari. In quo scias, charissime frater, quod si perniciosum est proretam in tranquillitate navim deserere, quanto magis in fluctibus. Ubi non dicimus, quod persecutorum non fugiamus, maxime paganorum, insidias, cum ad tempus sæviunt, et ob multitudinem delictorum nostrorum nocendi facultatem divinitus assequuntur: præsertim cum eis prodire ultro non debeamus; et multos prophetas et apostolos, ipsum quoque Dominum hujusmodi fugisse insecutores, luce clarius constet. Sed quod præcipue nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus imo qui et horum pastores sumus, Deo auctore cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conveniat. Et cum tranquillitas divina fuerit pietate, sopitaque furentium infestatio, mox gregem perquirere, et in unum colligere, et ejus animos cœlestis patriæ pace potissimum securitate prædicata sursum erigere debemus. Et tandiu super eorum cautela oportet nos esse sollicitos, ut si Dei judicio præsentis temporis commoda fortassis amittunt, futuræ vitæ se sperent gaudia absque ambignitate percipere sempiterna.

X.

AD THIETGAUDUM ARCHIEPISCOPUM TREVIRENSEM.

(Anno 861.)

Illum et clerum ejus absolvit a juramento.

[Apud Hontheim., *Hist. Eccl. Trevier.*, tom. I.]

Auctoritatem venerabilium prædecessorum nostrorum secuti, et nominatim beatissimi papæ et martyris Alexandri quinti a beato Petro, ab omnibus juramentis et cujuscunque modi obligationibus, quibus illi sese, coacti violentia impiorum, obligaverunt, absolvimus; et ne illa serventur, vetuimus, tam prælatum archiepiscopum Trevirensem, quam ejus præpositum, et omnes qui tunc temporis capti, se illis quoquo modo obligaverunt, neque ullam eos proinde infamiam, aut calumniam, aut a suis bonis sequestrationem unquam, auctore Deo et sanctis apostolis, et nostris prædecessoribus sustinere permittimus; sicut per prophetam Dominus dicit: *Dissolve colligationes impietatis.* Quin etiam præfato fratri nostro, filiisque Trevirensis Ecclesiæ, illiusque defensoribus hæc in mandatis damus ut spirituali simul et materiali gladio tam diu malignos illos illorumque fautores insequantur, quousque cum integritate possessiones vel quæcunque res ecclesiasticæ, hoc facto, vel quocunque pacto distractæ, seu direptæ sunt, revocentur (*b*).

(*a*) Locus subobscurus.

(*b*) Civilium bellorum motibus, et deprædatorum injuria, adactus Thiedgandus una cum clero suo jurata fide, gravi metu extorta, sese hostibus devinxerat,

XL.

AD OMNES FIDELES.

(Anno 852.)

Docet Orientalem Ecclesiam sine ullo suo consensu a legatis sedis apostolicæ Ignatium depositum, Photium substitutum.

[Apud Mansi, *Conc.* tom. XV.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ.

Quod igitur generali notitia exstat universæ plebi Dei vulgatum, minime vestræ sanctitati habetur incognitum, qualiter præterito jam tempore sancta Constantinopolitanæ urbis Ecclesia, imo Græcorum inclytus imperator cum christianissima plebe suæ ditioni subjecta pro quibusdam prævaricationibus in eadem Ecclesia pullulatis, ac variis dissensionibus in eodem populo super Photio invasore, et Ignatio patriarcha nequiter obortis, legatos proprios ad hanc sanctam, et omnium ecclesiarum matrem miserunt Ecclesiam, discretissima videlicet protulatione consulentes, qui diffinitionis calculus super hujusmodi prævaricationibus nostro judicio deberetur imponi. Sancta scilicet ac salubri discretione perducti ab hac principali Ecclesia, quam veraciter intelligunt a Christo Salvatore percepisse sui principatus privilegia, non immerito ob ædificationem religionis et recuperationem pacis atque concordiæ sub canonica diffinitione sibi dari poscentes judicia. Quorum saluberrimæ petitioni cedentes, dirigere, ut omnibus claret, illuc studuimus ex latere pontificatus nostri legatos, qui nostra apostolica auctoritate muniti, errata corrigerent, depravata quæque ad rectitudinis tramitem perducerent. Super Photio quoque et Ignatio patriarcha rei gestæ veritatem diligenter inquirerent, nostroque apostolatui, Deo auctore, legitime diffinienda ad liquidum nuntiare studuissent, quatenus missorum nostrorum fieret tantum inquisitio, et vera examinatio, nobis tamen remaneret reservata diffinitio, utrum vera esset, an falsa super Ignatii patriarchæ criminibus accusatio. Sed legatis nostris, qui super hoc opere missi fuerant revertentibus, imperialem ab eisdem partibus epistolam nostro apostolatui per ipsius legatum directam nihilominus recepimus. In cujus serie et eorum actionibus cognovimus, quia dissensionis et invidiæ inter illos crebrescentibus malis absque ullo nostro consensu, vel nostra omnino conscientia, Photium indiscrete subrogarunt, et Ignatium patriarcham deposuerunt. Quod utique indiscretissimum factum A nobis, et universæ Ecclesiæ nostræ omnimodis habetur contrarium : quia contra sacros canones qui absque verissima probatione neminem damnari, nec alterum prius in ejus loco subrogari præcipiunt, Ignatium patriarcham damnarunt. Et iterum, cum dicente Domiuo : *Non sit discipulus super magistrum, neque servus super dominum suum* (*Matth.* x), memoratus antistes Ignatius a sibi subjectis, et ministris sui ordinis, proprii gradus sustinuit præjudicium: et contra doctore egregio Paulo dilecto discipulo suo Timotheo præcipiente, ut nemini cito manus imponeret ; et *Non neophytum*, inquit, *ut in superbiam elatus in judicium incidat diaboli* (*I Tim.* III): Photium subito ex laicali militia tractum indiscrete ordinare præsumpserunt episcopum. Quæ causa contra ordinem divinum nequiter acta, valde nostro B apostolatui, et universæ (ut dictum est) Ecclesiæ nostræ omnimodis manet contraria. Unde generaliter agnoscat omnis Ecclesia sanctorum, quia nec nostra fuit conscientia, nec jussio, nec voluntas, super Photii subrogatione, vel Ignatii patriarchæ depositione : et super hujuscemodi prævaricationibus omnium vestrorum sanctitati satisfaciendo verissime denuntiamus ; quia post verissimam nostri examinis deliberationem, nec Photium recipimus, nec Ignatium patriarcham damnamus, nec jussimus, nec consensimus, nec ratam hujuscemodi ordinationem, vel indiscretam depositionem manere judicamus, neque firmam absque justæ definitionis libramine ullo modo consentiemus, nec Ignatium videlicet patriarcham inter depositos reputamus, C neque reputabimus ; sed nec Photium in episcopali ordine annumeramus nec annumerabimus.

Igitur, dilectissimi fratres, sanctitati vestræ, qui catholicas Alexandrinorum, Antiochenorum, vel Hierosolymorum gubernatis Ecclesias, seu cunctis orientalibus metropolitis atque episcopis, luce clarius expressiusque significamus, quoniam sedes apostolica nullo pacto venerabilem Ignatium patriarcham dignitatis propriæ privilegio nudari tam improvide patitur ; sed magis repulso a sanctæ catholicæ et apostolicæ sacro Ecclesiæ viscere pervasore conjugis, ut ita dixerimus, viri viventis, scelestissimo videlicet Photio, sanctissimum patriarcham Ignatium in sui sacerdotii dignitate manere, sicut olim decreverit ; iterum quoque canonico ac D legali examine judicat et decernit. Et ut vos hujus sedis privilegium rite servantes, pati religione catholici, pari etiam nobiscum super venerabilis Ignatii

Brower. *Annal. Trev.*, lib. VIII, n. 124. A cujus juramenti vinculo eos solvit Nicolaus pont. præsenti ad episcopos Galliæ directa decretali, quam Decreto suo inseruit Gratianus caus. 15, quæst 6, C. 2. Quanto autem eo tempore his in partibus in motu fuerint rapinæ et deprædationes, ex eo facile colligitur quod in conventu quem anno 860 Confluentiæ habuere reges Carolus Calvus et Ludovicus Germanicus fratres, eorumque nepos Lotharius, inter reliqua hæc sancita fuerint : « Volumus, ut ecclesiæ et casæ Dei, ut episcopi et Dei homines, clerici et monachi, et nonnæ, tale mandiburdium et honorem habeant sicut tempore nostrorum antecessorum habuerunt... Sed de istis rapinis et deprædationibus, quas jam quasi pro lege multi per consuetudinem tenent, ad hoc die et deinceps de Dei banno et nostro bannimus, ut nemo hoc amplius præsumat : sed unusquisque inter patriam cum pace et sine oppressione pauperum et circummanentium consistat, et in hostem, et ad placitum, sed ad curtem veniens de suo Sicwarintus, et de domo sua moveat, ut cum pace venire, et nobiscum stare, et ad domum suam redire possit. »

patriarchæ sacerdotii recuperatione, et Photii pervasoris expulsione eadem sentiatis, apostolica auctoritate vobis injungimus atque jubemus. Et ut hujus præsulatus nostri paginam in cunctis parochiis vestris ad omnium faciatis notitiam pervenire, atque de hac re juxta apostolicæ sedis definitionem prædicare curetis aliis, ipsisque similiter incommutabiliter teneatis paterno more præcipimus. Quid præterea, fratres charissimi, et filii dilectissimi, eidem imperatori Græcorum, et universæ generaliter sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ super hujuscemodi prævaricationibus, et de his, pro quibus nuper illas in partes nostros cum apostolicis epistolis direxeramus missos (sicut omnibus vobis manifestum est) respondendo nostri apostolatus remandat auctoritas, omnium vestrorum sanctitati satisfaciendo in subsequentibus relegi jubemus. Data mense Martio die 18, indict. x.

XII.

AD PHOTIUM.

(Anno 862.)

Diluit argumenta Photii, qui exemplo Ambrosii, Nectarii et Tarasii se merito ex laicorum gradu ad episcopalem dignitatem pervenisse affirmabat, eumque tum quod laicus esset, tum quod Ignatius adhuc viveret, injuste ad eum dignitatis gradum conscendisse demonstrat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, prudentissimo viro PHOTIO.

Postquam beato Petro principi apostolorum Dominus, ac Redemptor noster Jesus Christus ex utero Virginis pro nostra redemptione, ut erat verus Deus ante sæcula, verus homo in fine sæculorum apparere dignatus est, ligandi atque solvendi in cœlo et in terra potestatem tribuit, et januas regni cœlestis reserandas concessit, supra soliditatem fidei suam sanctam dignatus est stabilire Ecclesiam, secundum illius veridicam vocem dicentis : *Amen dico tibi, tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : et portæ inferi non prævalebunt adversus eam ; et tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI). Ad quam promissionem sanctæ apostolicæ institutionis cæmento cœperunt hujus fundamenta ex pretiosis succrescere lapidibus et, annuente divina clementia, per studium structorum, et apostolicæ auctoritatis sollicitudinem usque ad culmen insolubiliter perducta perpetualiter mansura sine sinistræ auræ impulsu consistere : cujus primatum (sicut omnibus orthodoxis manifestum est viris, et ut in superioribus præmodicum declaratum est) beatus Petrus princeps apostolorum, et janitor regni cœlestis merito promeruit. Post quem et hujus vicarii sincerissime Deo famulantes, carentes nebularum densitatibus, quæ recto ab itinere impedire assolent, dignius perceperunt, et in cura regiminis quam pro dominicis ovibus susceperant, sollicite permanserunt. Inter quos et nostram parvitatem omnipotentis Dei misericordia connumerare dignatus est : pro quibus tantum consistimus pavidi, quantum consideramus in æterno examine pro omnibus et præ omnibus, qui Christi censentur nomine, rationem reddituri. Et quia universitas credentium ab hac sancta Romana Ecclesia, quæ caput omnium est ecclesiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem qui digni sunt, et gratia Dei redempti exorant : oportet nos quibus commissa est, sollicitos esse, et ad speculationem Dominici gregis tantum ferventius anhelare, quantum hunc avidi [*edit. Rom.*, avidi lupi] ad dilaniandum hinc inde patenti ore [patentia ora] exquirunt : quod et audiendo cognoscimus, et experiendo comprobamus. Et quos per corporalem ob longinqua terrarum spatia, aut tumentes marinos fluctus, nequimus visitare præsentiam : saltem series apicum quasi viva voce declarent, ut nec a nobis silentii exquiratur culpa, nec audituris de ignorantia excusandi tribuatur facultas : quia et illud a nobis cavendum est, quod per Prophetam dicitur : *Canes muti non valentes latrare* (*Isa.* LIX). Nam et Apostolus ait : *Insta opportune, importune* (*II Tim.* IV). Constat enim sanctam Romanam Ecclesiam per beatum Petrum principem apostolorum, qui Dominico ore primatum ecclesiarum suscipere promeruit, omnium ecclesiarum caput esse, et ab ea rectitudinem, atque ordinem in cunctis utilitatibus, et ecclesiastieis institutionibus, quas secundum canonicas et synodicas, sanctorumque Patrum sanctiones inviolabiliter atque irrefragabiliter retineret, exquirere, ac sectari. Et ideo consequens est ut, quod ab hujus sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione proprias tantum sequendo voluntates, removeatur, sed firmius atque inconcusse teneatur. Nam in hoc quo noster apostolatus vestram prudentiam commonuit, quia ex laicali ordine sine canonica approbatione ad patriarchatus dignitem subito transcendere contra Patrum promulgationes non recusastis, sed temere atque impudenter ad tanti honoris culmen accedere præsumpsistis, assumentes vobis quasi a sanctissimo viro Nectario occasionem, quem sancta secunda synodus non ob aliud ad sacerdotalem eligere, atque ordinare ex laicali ordine voluit dignitatem, nisi quia magnæ necessitatis contritione anxiabatur, eo quod in sancta Constantinopolitana Ecclesia, nullus clericorum inveniri poterat, qui pessimæ hæresos nimbosa caligine non fuerit impeditus : et ob hoc ne diu jam dicta Ecclesia sub destitutione pastoris quasi viduata maneret, prædictum Nectarium expugnatorem hæreticorum, et defensorem, atque gubernatorem ecclesiarum ad ecclesiasticam curam et dignitatem sacerdotalem jam dicta secunda synodus elegit; sed ut hoc iterum fieret non confirmavit, neque sanxit, aut instituit. Et ideo licet contra Patrum, atque canonicas institutiones, quod per necessitatis fieri eventus comprobatur, non in auctoritate tenendum est; sed

ne iterum talis preveniat necessitas, magis magisque cavendum : quia omne quod ab aliis reprehendi poterit, convenientius ac decentius videtur existere, si antequam fomes reprehensionis accrescat, emendationis cura succedat [*pro*,, succidat, *H.*].

De Tarasii siquidem promotione, qui similiter ex laicali cœtu ad patriarchatus extemplo culmen promotus est, quam et vos quasi in auctoritatem vestræ defensionis assumere vultis, si sanctam, quæ apud vos tempore sanctissimi viri domini [domni] Adriani papæ celebrata est, synodum diligentius scrutati fueritis, atque attentius intenderitis, invenietis quid in ea idem sanctissimus vir consultus decreverit; et quod, dum ejus consecrationis reprehenderet actus, et mœrorem se pro tam præsumptiva factione nimirum [nimium] sustinere profiteretur. Dicit enim : Quod nisi in erigendis imaginibus ferventius contra illarum depositores, atque conculcatores, ut verus miles Christi resisteres, nequaquam vestræ consecrationi assensum præberemus, aut in ordine patriarchatus vestram dilectionem susciperemus : quæ tantum declaratur inordinate promota, quantum comprobatur contra apostolica decreta enormiter præsumpta. Beatissimum quoque Ambrosium [*de S. Ambr. Paul. in ejus Vita*], clarissimam et splendidissimam lucernam Ecclesiæ, qui ex catechumeno, divino præsagio ad episcopalem per continuos gradus promotus est dignitatem, cur nobis pro vestro tutamine opponitis, et ad vestram illicitam promotionem antefertis? qui non instinctu hominum, sed divina vocatione, per miraculorum prodigia electus est! Nam cum in infantiæ cunis sub nutricis cura dormiens sollicite verteretur, aperto ecce ore examen apum subito adfuit, quod faciem ejus, et ora complevit, ita ut ingrediendi [ingrediendi, atque egrediendi] vices frequentarent. Quod pater cum matre, vel filia deambulans, ne abigerentur ab ancilla, quæ curam nutriendi infantis susceperat, prohibebat. Sollicita enim erat, ne infanti nocerent; exspectabant tamen patrio affectu quo fine illud miraculum clauderetur. At illæ post aliquandiu volitantes in tantam aeris altitudinem sublevatæ sunt, ut humanis oculis minime viderentur; quo facto territus pater ait : Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit.

Post hæc vero adultus puer liberalibus artibus imbutus Mediolanum perrexit, ubi Auxentius Arianorum episcopus cathedram non regendam sed dilaniandam tenebat episcopalem. Quo defuncto, dum ad electionem episcopi popularis fieret in Ecclesia conglobatio, ecce quidam infans acclamabat, dicens Ambrosium episcopum : ad quam vocem et omnis illa conventio similiter acclamabat Ambrosium episcopum. Quod non humanis id fieri credendum est voluntatibus, sed divinis, ad salvationem et ereptionem fidelium de adversarii nostri faucibus, qui tanquam leo rugiens, quærit quem devoret (*II Petr.* v), inspirationibus. Qui dum se multis ac variis voluisset occultare argumentis, et a tanto honore delitescere, tandem superatus ad sacerdotalem ab omni populo et clero divinitus est dignitatem electus, et a catechumeno per singulos gradus ecclesiasticos proficiscens [*melius* proficiens, *H.*], octavo die ab omni catholicorum, divina annuente clementia, consensu est consecratus episcopus. Attendat igitur prudentiæ vestræ dilectio, et intimo cordis prospiciat oculo, si debentur ea, quæ per miraculorum signa fidelibus proveniunt, his æquari, quæ proprio tantum libitu ad dignitatis gloriam percipiendam peraguntur : et sic ad auctoritatis vestræ excusationem præfatos assumite viros. Ecce propter necessitatem et inopiam clericorum Nectarius; ecce propter ecclesiastica dogmata, et hæreticorum expugnationem, qui venerandas deponere imagines præsumpserunt, Tarasius; ecce per miraculorum signa Ambrosius ad regendas Ecclesias promoti sunt. De vobis autem, quibus perplures auctoritates conciliorum, atque decreta sanctissimorum pontificum resistunt, quid aliud est sentiendum, nisi inopinatam a vobis consuetudinem adolevisse credendum? Et secundum sanctorum Patrum sententiam non solum quia ex laicali ordine contra canonicas auctoritates ad regendam Constantinopolitanam Ecclesiam subito transvolastis, sed etiam quia vivente viro, et incolumi persistente (videlicet religiosissimo Ignatio patriarcha) cathedram illius (scilicet Constantinopolitanam Ecclesiam) ut mœchus subripuistis, et invadere præsumpsistis : postponentes illud, quod scriptum est : *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris* (*Matth.* VII) : et ideo vestræ consecrationi æquitatis libramina tenentes, assensum præbere (quia enormiter et contra sanctorum Pstrum institutiones peracta est) minime præsumimus. Quod vero dicitis neque Sardicense concilium, neque decretalia vos habere sanctorum pontificum, vel recipere, non facile nobis facultas credendi tribuitur : maxime cum Sardicense concilium, quod penes vos in vestris regionibus actum est, et omnis Ecclesia recipit, qua ratione convenerat, ut hoc sancta Constantinopolitana Ecclesia abjiceret, et, ut dignum est, non retineret?

Decretalia autem, quæ a sanctis pontificibus primæ sedis Romanæ Ecclesiæ sunt instituta, cujus auctoritate, atque sanctione omnes synodi, et sancta concilia roborentur, et stabilitatem sumunt, cur vos non habere vel observare dicitis? nisi quia vestræ ordinationi contradicunt, et ex laico subito ad culmen patriarchatus transvolare resistunt? contra illud apostolicum : *Nemini cito manum imposueris* (*I Tim.* v). Quod si ea non habetis, de neglectu atque incuria estis arguendi; si habetis, et non observatis, de temeritate estis corripiendi et increpandi. Quod violenter vos ad sacerdotalem dignitatem promotos asseveratis atque protestamini, vestræ consecrationis tempore non ita esse declaratur. Qui postquam in patriarchatus throno stabiliti estis, non ut pater in filiis blandus, sed ut immitem in depositione archiepiscoporum et episcoporum per severitatem vos demonstrastis, et in damnatione innocentis Ignatii,

quem vos ut depositum habetis, immoderate exarsistis : in cujus depositione, nisi prius veracissime illius cognoverimus transgressionem, vel culpam, inter depositos illum non numeramus neque damnamus, quia valde cavendum est ne sine causa innocens damnetur ; et sicut illum in pristino honore mansurum, si ei damnationis crimina non comprobantur, sancta Romana retinet Ecclesia, sic vos, qui incaute et contra paternas traditiones promoti estis, in patriarchatus ordine non recipit ; et neque ante justam damnationem Ignatii patriarchæ in ordine sacerdotali vobis [*forte*, vos, *H.*] manere consentit. Quod non ideo vestra arbitretur dilectio contra vos invidiæ causa, aut exosos vos habendo id agere, atque incongrue contra vestram ordinationem exardescere ; sed ducti zelo paternæ traditionis volentes sanctam Constantinopolitanam Ecclesiam, quæ pro sui stabilitate atque firmitate censura sanctorum Patrum ad hanc sanctam Romanam Ecclesiam solito more percurrit, sine macula, sine reprehensione, aut aliqua transgressione illæsam consistere, et ea, quæ ecclesiasticis regulis obviant, resecare : et maxime hoc, quod omni auctoritate canonice [canonica] revincitur, et tali consecrationi contraitur, quod jam per longam consuetudinem quasi regulariter actum defenditis, omnimodis amputare. A qua (quia vos sicut nos diligimus) per increpationem paterni aflectus providentiam vestram procul dubio volumus revocare, imitantes Apostolum dicentem : ***Filium quem diligit pater, flagellando castigat et corripit*** (*Hebr.* XII.)

De consuetudinibus quidem, quas nobis opponere visi estis, scribentes per diversas ecclesias, diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit auctoritas, pro qua eis obviare debeamus, nil judicamus, vel eis resistimus : tamen cavere volumus ne hæc vestra consuetudo quæ omnium sanctorum Patrum promulgatione convincitur, ut ex laico non subito ordinetur episcopus, vires accipiat ; aut in vestra ecclesia magis pullulet, operam dare minime cessamus. Quam etiam nostra apostolica tantum abigit censura, quantum hanc temere recognoscit præsumptam.

De missis siquidem nostris, quos petitos in servitio beati Petri principis apostolorum pro utilitate sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ contra depositores imaginum, vel alias necessitates ingruentes, necnon et pro causa solummodo depositionis sæpefati viri Ignatii inquirenda, illas in partes direximus, silendum non est : qui cum eis, sicut dicunt per centum dierum spatia, omnium, nisi suorum alloquendi facultas fuisset denegata, ut apostolicæ sedis missi non digne suscepti sunt, atque, ut decuerat, retenti. Quod non pro alia gestum putamus re, nisi ut inquirendi locum de depositione præfati viri non invenirent ; quia ceu in apostolica nostra insertum fuit epistola, quæ nescimus cujus illusione (sicut in synodo a vobis missa reperimus) fraudata exstitit, non illius promotionem, aut ingressionem sed tantummodo depositionis exitum per nostros audire, vel cognoscere, sicut nunc volumus, missos volebamus ; quibus secundum horum relationem longa exsilia, et diuturnas pediculorum comestiones si in tali intentione persisterent, quibusdam nuntiantibus, quod illis a nobis injunctum fuit clam vobis cum sequacibus vestris resistentibus perficere minime potuerunt, aut depositionem jam dicti Ignatii utrum justa an injusta fuerit, invenire valuerunt. Qua cognita secundum sui modum canonica atque apostolica in eo censura extenderetur. Data mense Martio, die 18, indict. X.

XIII.

AD MICHAELEM IMPERATOREM.

(Anno 862.)

Hanc epistolam per Leonem a secretis, imperialem videlicet legatum, post reversionem missorum apostolicorum imperatori Michaeli direxit [edit Rom. *direximus*] *cum epistola ad Photium. Improbat depositionem Ignatii et promotionem Photii a legatis temere approbatam. Affert multa pro Ignatio et contra Photium, cujus electionem cum Nectarii et Ambrosii promotione, aut concilium in quo Ignatius fuerat damnatus, cum Nicæno conferendum non esse demonstrat. Monet imperatorem, ut Ecclesiæ perturbatores compescat. Epistolam suam depravatam fuisse queritur.*

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, piissimo et gloriosissimo filio MICHAELI magno imperatori.

Serenisssimi imperii vestri gloria, quæ super orthodoxæ fidei intregritatem firmata constare cernitur, dum aliqua in sancta Constantinopolitana Ecclesia, quæ sub vestræ defensionis tutamine consistere videtur, inconvenientia provenerint, hanc sanctam catholicam et apostolicam, caput omnium ecclesiarum, Romanam scilicet Ecclesiam, quæ semper sanctorum Patrum sincerissimas auctoritates in omnibus suis actibus sequitur, consulere decrevit. Et ejus consultu [*forte*, Et si ejus, *H.*], quæ ecclesiasticis conveniunt negotiis, agere curaverit, procul dubio quæ agenda, aut abigenda fuerint, irretractabiliter cuncta disponere, ordinare atque definire poterit. Quod vos fecisse in epistolis nuper ad hanc sedem missis recolimus : pro quibus etiam et nostros, secundum vestram petitionem illas in partes pro quibusdam præsumptionibus, quibus vestram assere-batis fatigari Ecclesiam, seu ob dissensiones, quæ propter religiosum virum Ignatium patriarcham, et Photium emerserant, subtiliter investigandis et nobis renuntiandis missos direximus. Sed cum ad nos reversi fuissent, nihil nobis, ut illis et in nostris instituramus, de reverendissimo viro Ignatio renuntiaverunt apicibus ; sed verbis tantum, quæ de eo contra nostræ voluntatis peracta sunt observantiam, retulerunt. Post aliquot tamen dierum [*deest* spatium, *H.*] vestrarum partium prudens et fidelis legatus, nomine Leo, a secretis, apostolatui nostro imperialem cum actis apud vos gestis detulit epistolam, quam legi jubentes, cognovimus de memorati viri Ignatii patriarchæ negotio, contra præceptum nostrum improvide illatam sententiam, et nihil

omnino nostris jussionibus saltem similem,sed magis contrarie perpetratam [*rectius*, simile,et perpetratum,*H.*]. Etenim,quia dudum in epistolis vestris quas tenemus præ manibus, illum multis accusationibus affirmabatis obnoxium,ob idque hunc ejectum, Photium elegisse [*pro* electum fuisse,*H.*],necessario nostræ sedis legatos apostolica auctoritate fultos de pluribus prædicti viri Ignatii patriarchæ criminibus intentatis indagandum,et nobis renuntiandum direximus, suspendentes videlicet sententiam expulsionis reverentissimi viri Ignatii, vel Photii receptionis,non in legatorum nostrorum,sed specialiter in nostro examine.At quia nunc Photium retinentes,prudentissimum virum Ignatium patriarcham absque nostri apostolatus ejecistis judicio, nosse vos omnimodis volumus,nullatenus nos Photium recipere, vel Ignatium patriarcham damnare. Denique considerare libet quid sibi vult hoc, quod per duodecim fere jam annos regiæ urbis vestræ innocue sacerdotium agere,et sanctis virtutibus pudicitiæ, castitatisque florere dictum Ignatium, non solum ipsi per vestras innotuistis epistolas, velut etiam synodicis vocibus ejus sub tempore habitis, magnis honoribus epistolæ vestræ fatentur, quas præ manibus tenemus, laudastis jugiter et extulistis, minime eum ad apostolicam sedem invasoris, vel alicujus criminis opinione notantes,nunc invide damnatis. Quod utique indiscretissimum factum sanctæ nostræ generaliter Ecclesiæ,nostroque apostolatui, ac sanctorum Patrum priscæ definitioni omnimodis exstat inconveniens.

Nos quidem de nobilissimo viro Ignatio patriarcha non tantum hæc, verum et illud comperimus, quod non solum genere claruit, verum etiam a primævo suæ ætatis per singulos ecclesiasticæ gradus ascendens ex monastica vita,omni ecclesiastico cœtu consentiente (sicut in apibus, quos sanctissimo Leoni præsuli prædecessori nostro destinaveratis, comperimus) episcopatus culmen promeruit.Photium autem novimus per nullos ecclesiasticos gradus ascendentem, sed tantummodo ex laicali militia episcopum pertinaciter ordinatum.Quamobrem necessario in sententia nostra qua stetimus,persistimus,et neque venerabilem Ignatium patriarcham in aliquo damnatum, neque Photium modo quolibet suscipimus.Verum,quia omnibus accusationibus remotis, quibus strenuum virum Ignatium patriarcham ad apostolicam sedem asserebatis notabilem,unum opponentes tantummodo,quod potentia sæculari sedem pervaserit,vestro speciali deposuistis, damnastis et expulistis arbitrio, Photium [et Photium] ex laicali agmine improvide in ejus loco subrogastis episcopum,æquanimiter ferre omnino non possumus,maxime cum horum duorum negotium investigari, et nobis renuntiari,non definiri,mandaverimus. Quapropter,ut diximus,nullo modo prudentis viri Ignatii patriarchæ depositioni, vel Photii subrogationi assensum præbemus, quousque veritas omni falsitatis fuco nudata in præsentia nostra educat. Quia consuetudinem vestram novimus in regia urbe minime apicem archieraticæ potestatis aliquem posse habere sine ecclesiasticæ plebis consensu,atque imperiali suffragio, et ob id Ignatium patriarcham damnare nolumus, nec debemus.

Præterea Photii, quem ex militia subito ad tanti culmen regiminis consecratis, ordinationem ratam haberi decernitis, eo quod Nectarius non solum ex laico habitu,verum etiam ex pagano sancta synodo secunda ordinante meruerit fieri [episcopus fieri]: qui tamen Nectarius veræ religionis catholicus, nullius depositionis catholici conscius sedis gubernacula sine scandalo,sine vi,siue omni schismate suscepit: quem Spiritus sancti auxilio,et talento sibi credito, hæreticorum perfidiis restitisse, eorumque dogma, quod jam ex longo tempore pullulaverat,et plurimos sui contagione infecera, destruxisse, ipsi recolitis: et idcirco bene et optime sanctæ secundæ synodo apostolicæ sedis auctoritate fultæ ita de Nectario placuisse testamur (*de Nect.* Theod. *l.*v *Hist. eccles.c*, 8).

Sed beatus nihilominus fulgidissimus doctor Ambrosius (*de S. Ambr.* Paul. *in ejus Vita*), quem similiter ex militia et catechumeno asseveratis episcopum cum divinitus per miraculorum signa ab ipsis cunabulis usque ad consecrationis suæ tempus fuisset evocatus,et ad regimen a dissidentibus populis subito in unam sui concordiam provocatis, compelleretur ecclesiasticum suscipiendum,minime seditioni, vel schismati studuit; quin potius eas, quas reperit, semetipsum non ultro, sed coacte populo offerens, repulit et removit. Neque damnationem molitus est alicujus,quam nunquam omnino ob sui culminis consentiret incrementum sed coactus atque compulsus, votis eorum consentiens, ecclesiasticarum regularum normam toto vitæ suæ tempore custodivit, omnes hæreses debellans verbi Dei telo succinctus,pro quo æque hæc sancta Romana Ecclesia eos rite suscepit. Ideoque hoc tempus necessitas probe suscepit, quia contra canonum privilegium sibi concessum nihil novit temere perpetratum.Vos autem non ita horum illustrium virorum comparationem perpendistis,ubi sæpe dictum virum Ignatium patriarcham juste a vobis ordinatum,injuste de patriarchatu ejicientes,Photium subito ex laicali militia in episcopali dignitate elevastis, et ob id nihil valere patimur: quia sanctæ Romanæ Ecclesiæ nunquam exstitit mos improvide vel injuste unum ejicere, et alterum subrogare; sed magis studuit æqua lance omnium librare et juste definire negotia. Igitur, quia ad Nicæni venerandi cœtum concilii vestrum,qui in depositione Ignatii patriarchæ affuistis totidem numeri fere dicitis,miramur. Et quid prodesse consideramus ejusdem numeri collegium præesse,ubi ipsius sententiæ prævaricantur,cujus et numerus [*rectius* nnmerum, *H.*] imitatur? Quod non laude magis quam reprehensione ducimus dignum, quia omnino magis peccatis est cumulus, ubi multipliciter fuerit agmen prævaricatorum.Nos quidem non numerosum tantum sancto-

rum episcoporum collegium Nicæni et Chalcedonensis conciliorum,cæterorumque sanctorum Patrum synodicas constitutiones sequimur,sed eorum liberales veneramur justas divinitus inspiratas sententias ; et non tantum pro suorum multitudine observantur a nobis, quia revera multi in personis fuere, sed in validissimis sententiis eos perpendimus plures

Quod autem asseveratis fatos fuisse legatos nostros post damnationem religiosissimi viri Ignatii patriarchæ, omnis ejus consecratio [*pro* omnem ejus consecrationem, H.) debere cassari, damnat atque evelli; absit, ut hoc fieri patiamur : ut quia neque [*rectius* ut qui neque, *H.*) Ignatium patriarcham damnamus, neque Photium mœchum suscipimus, qui sedem viventis viri et pudice servantis [*forte* conservantis,*H.*],temere sibi usurpare præsumpsit, atque, ut ita dicamus,quia [*forte delenda vox* quia, *H.*]contra ordinem in ea conversari non erubescens, Ecclesiæ vestræ scandala multiplicari consentiamus. Quin potius, serenissime fili Auguste, dilectionem vestram monemus,suademus, atque apostolica auctoritate denuntiamus,ut tandem aliquando resistatis illis qui pro libitu suæ voluntatis contra Constantinopolitanæ Ecclesiæ se præsulem erigentes sine examinatione canonica ignorantibus nobis crebro deponentes,alterum inopinate consecrare nituntur. Unde hæc discussio in orientalibus vestris Ecclesiis, heu! plurimum agitatur; sed magis studeatis, quando aliqua emerserint, unde schisma possit oboriri, nostræ Ecclesiæ consultu peragere : quatenus sicut jam facto pro sanctis imaginibus novimus, quod juste deliberatum est,maneat apostolicæ sedis auctoritate firmatum. Quod autem tantummodo æmulatione voluntatis, contra canonicas vel synodicas censuras, inconsulta Romana Ecclesia,perpetrari conatur, vestræ religionis brachio arceatur,ne videlicet sanctæ Dei Ecclesiæ,ac regiæ urbi gloria vestra,quod absit,sub tempore in aliquo minuatur.

Liceat ergo sanctam Ecclesiam, quam Christus sacro suo sanguine a servitute corruptionis redemit, orthodoxam fidem servantem vestro certamine manere ab omni inquietudine infestatorum tranquillam atque pacatam. Denique Ecclesiæ Constantinopolitanæ hortamur statum,ut tales alere omni religione eruditos studeat viros, qui ad honorem cardinis ipsius sanctæ Ecclesiæ suis præsulibus mortuis vel quolibet casu amodo discedentibus valeant subrogari: quod non solum in tanto patriarchatu observari omnino debet, verum etiam in singulis quibusque civitatibus ex consuetudine canonica magna cum cautela servatur et custoditur. Sed et hoc vestræ clementiæ intimare curavimus,quia sicut in vestris actis apostolicæ sedi et nostro pontificio directis insertum invenitur,nescimus cujus fraude vel dolositate epistola nostra ad vos directa fraudata est. Et non solum quia in vestra præsentia secundum illius textum vel ordinem relecta non est,sed plura excerpta,quibus intellectus ipsius epistolæ continebatur, aliud pro alio, ignoramus, quis temerarius coram vestra imperiali conspectu legendo percurrere vel interpretari præsumpsit, quam si coram vestræ majestatis præsentia scrutari jusseritis, in aliquibus eam mutatam atque fraudatam locis reperietis.

Nos autem volentes, clementissime triumphator, excellentiam vestram ab omni labefactionis crimine illæsam consistere, et per diuturna tempora tranquillissima imperii vestri sublimitatem in Dei sincerissime manere servitio, ut spiritalis pater spiritalem filium commonentes, et ea, quæ Deo placabilia sunt apostolicis adhortationibus adimplenda commonentes : et sicut vestri soliti sunt prædecessores, qui in culmine imperiali consistebant, hanc sanctam Romanam Ecclesiam pleno devotionis venerari affectu, ita et vos apostolicis perficere oraculis obsecramus, quia ea quæ in præsenti negotio ecclesiasticis procuravimus sancire institutionibus, non invidiæ causa, vel aliqua dolositate peregimus, sed volentes vestram imperialem dignitatem, et sanctam Constantinopolitanam Ecclesiam illæsam servare, et ab omni reprehensione, ducti ferventissimo zelo charitatis custodire, sicut in epistolæ serie ad vos missæ reperitur, Deum timentes ordinare decrevimus, et cuncta observanda præoptamus.

Omnipotens autem Deus,qui vos ad reprimendas multarum gentium feritates in imperiali culmine eligere dignatus est; piissimum imperium vestrum ad statum et defensionem sanctæ suæ Ecclesiæ per multa annorum conservet curricula, et sospite vita semper vos ea, quæ illi sunt placita, vobis velle concedat : quatenus ut in præsenti vobis sæculo feliciter imperandi potestatem tribuit,in futuro pro bonis actibus, et justitiæ observantia, quæ sub vestro libramine ponderari debetur,præmia æternæ felicitatis habere permittat. Data mense Mart. die 19, indict. IX.

XIV.

SUPPLEMENTUM CONCILII ROMANI ANNI DCCCLXII.

[Apud Mansi, *ibid.*]

I. — *De Joanne archiepiscopo Ravennate.*

Joannem archiepiscopum Ravennatem,quem pro quibusdam necessitatibus ecclesiasticis et diversis præsumptionibus ad synodum convocavimus ;et quia a Nandeciso (*a*) Polensi episcopo nostro præsulatui contra eum libello porrecto,pessimo hæreseos errore irretitus dicitur, et viva voce profertur, venire distulit atque contempsit,et pro illato crimine purificare se noluit; secundum sanctionem decimi noni capituli Cathaginensis concilii, sacrarum missarum solemniis,corpore etiam et sanguine Domini nostri Jesu Christi separamus, atque in præsenti synodo excommunicamus, usque dum in nostra præsentia veniens hic Romæ purificationis ipsius videamus

(*a*) Ignotus fuit episcopus iste Ughellio,ac proinde in Italia sacra adjungendus catalogo Polensium episcoporum.

integritatem. Si qui vero Ili communicare præ- A sumpserint pari subjaceant excommunicatione constricti.

II.— *Quia Dominus Jesus Christus carne tantummodo passus est.*

Veraciter quidem credendum est, et omnimodis profitendum, quia Dominus noster Jesus Christus Deus et Dei Filius passionem crucis tantummodo secundum carnem sustinuit, deitate autem impassibilis mansit, ut apostolica docet auctoritas, et sanctorum Patrum luculentissime doctrina ostendit.

III. — *De his qui divinitatem passibilem dicunt.*

Hi autem qui aiunt quia Redemptor noster Jesus Christus et Dei Filius passionem crucis secundum deitatem sustinuit, quoniam impium B est et catholicis mentibus exsecrabile, anathema sint.

IV. — *De his qui dicunt quia in baptismate originale piaculum non omnibus dimittatur.*

Omnibus enim qui dicunt quod hi qui sacrosancti fonte baptismatis, credentes in Patrem, et Filium, Sanctumque Spiritum, renascuntur, non æqualiter originali abluantur delicto, anathema sit.

V. — *Statuta cancilii beatissimi Leonis IV papæ inviolata permaneant.*

Omnis enim qui a præsenti statuto concilio sacra statuta venerandi concilii beatissimi Leonis(*a*)prædecessoris nostri IV præsulis violare tentaverit,ut post discessum beatæ memoriæ sanctissimi Benedicti pontificis antecessoris nostri actum recolimus,ana- C thematis vinculo innodamus.

VI. — *Ut electionem Romani pontificis nullus contradicere præsumat,*

Si quis sacerdotibus(*b*),seu primatibus,nobilibus, seu cuncto clero ejus sauctæ Romanæ Ecclesiæ electionem Romani pontificis contradicere præsumpserit, sicut in concilio beatissimi Stephani(*c*)papæ statutum est, anathema sit.

VII.—*De his qui episcopum percutere præsumpserint.*

De his autem qui episcopum percutere,verberare aut cædere præsumpserint, ut anathematis subjaceant periculo, sancimus, et inviolabili promulgatione statuimus.

(*a*)Cujus concilium ab Holstenio editum rursus in suam Collectionem intulit Labbeus tom. IV.

(*b*) Ad quos eo tempore spectaret electio Romani pontificis, animadverte.

(*c*) Gratianus c.8,dist. 33, decretum Stephani IV papæ, quem alii quintum appellant, refert, ubi statuitur quæ ratio adhibenda in posterum foret in electione Romani pontificis. Atqui Baronius, Binius, Papebrochius, Natalis Alexander,aliique catholici, figmentum hoc et imposturam putarunt hominum impense faventium auctoritati imperatorum, quo tempore fervebant bella inter sacerdotium et imperium. Contra Pagius in Crit. Baron. ad an. 897 germanum fetum esse decretum illud contendit,non quidem Stephani IV,qui anno 817 vivere desiit,sed Stephani V appellati VI, qui anno 896 papa electus est.Verum Acta concilii Romani nunc mihi evulganda famosam hujusmodi controversiam dirimere D posse videntur.En ut Nicolaus I,de electione Romani pontificis agens, ac turbas in ea exoriri solitas eliminare cupiens,confirmat et observandum decernit quidquid in conciliis beatissimi Stephani papæ statutum est.Ergo decretum Stephani,procul dubio IV, eam in rem præcesserat. Hoc autem vix aliud esse potuerit quam quod Gratiano laudatur; cui tamen si velis aliquid superadditum a subsecutis pontificibus non repugnabo.In concilio quoque Romano, habito sub Lamberto imperatore, atque adeo anno 904,ut putavit Baronius, et post eum Labbeus tom. IX Conc., sed quidem anno 898, roboratur *antiqua consuetudo* observata in electione pontificis. Si *antiqua* tunc erat *consuetudo*, ergo ad tempora usque Stephani IV papæ illius initia non immerito deducantur.

XV.

EPISTOLA NICOLAI AD ADONEM ARCHIEP. VIENN.

(Anno 862.)

Pallium novo archiepiscopo mittit, ad quem Acta synodi a se Romæ celebrati transmittit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo Adoni Viennensi confratri nostro archiepiscopo.

Sanctioni et institutioni canonicæ obtemperantes, vestræ dilectionis apices destinare curastis; quibus cordi apostolico lætitiam dedimus,licet eisdem perlectis, mærore affecti fuerimus, eo quod quatuor synodos observantes, quintam,et sextam prætermiseritis. Nam in petitione pallii vobis annuimus.Verumtamen istiusmodi occasione nacta,non fuerat postulatio vestra implenda, nisi recensita intentione directæ scripturæ cognovissemus vos per omnia tenere velle quod sancta dogmatizat Ecclesia.Ideoque volumus,pariterque sanctitatem vestram rogamus,ut sub omni celeritate dirigatis qualiter vos de ipsis quinta et sexta synodis sentiatis. Gratia sancti Spiritus adhortante atque adjuvante, in mense Martio pro diversis Ecclesiæ utilitatibus synodum Romæ celebravimus.Ubi etiam quædam capitula statuimus, ipsaque vestræ sanctitati custodienda,seu confratribus vestris archiepiscopis per vos transmittenda direximus, et suffraganeis vestris, ut hoc instruatis, observare hortamur.

XVI.

AD EUMDEM.

(Anno 862.)

De divortio inter Lotharium regem et uxorem ejus Theutbergam, satisfaciens consultis Adonis.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo confratri nostro Adoni archiepiscopo.

Quia sanctitatis vestræ pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ ferventius invigilare constantiam cernimus, et contra delinquentium, imo prævaricatorum et sanctarum legum violatorum, mores et actus per zelum rectitudinis vos erectos consideramus,omnipotenti Deo gratias agimus,et vestram sanctitatem, ut in talibus illo adjuvante proficiat,ea auctoritate, quæ nobis per beatum Petrum principem aposto-

rum concessa est, modis omnibus commonemus,et quantum illos,sicut in vestris nobis innotuisis litteris, prave atque incaute agere conspicitis, tantum illius,freti auxilio divinæ legis,per sacerdotalem et pontificalem auctoritatem,nullius personæ habendo acceptionem, et prædicationis verbo nova et vetera proponendo, ne sanguis eorum de manibus vestris requiratur, hortamur resistatis. Forsitan benignissima ac largiflua omnipotentis Dei clementia a proprio libitu eos revocare dignabitur,et infra gremium Dominici gregis vestro studio atque labore recepti. de lucratione fraterna mercedis lucrum recipere mereamini : quia ecce instat tempus,ut ascendatis ex adverso, et opponatis vos pro domo Israel murum, et stetis in prælio in die Domini. *Et post alia.* De capitulis, quibus nos vestra beatitudo consulere studuit ita rescribere nostra apostolica sollicitudo curavit secundum Patrum sanctiones.

1. Requiritis enim, si dimissa uxore, quam legtime sponsatam quis duxerit, quia nomen malum postmodum ei imposuit, absque decreto generalis synodi, liceat ei aut aliam accipers contra auctoritatem evangelicam, aut, illa superstite, pro uxore concubinam habere.Quibus nos apostolica auctoritate fulti secundum evangelicam sanctionem omnino resistimus,et nec aliæ uxoris copulam eis qui talia agunt,dimissa superstite,habere concedimus,neque concubinam habendi licentiam tribuimus.

2. De eo, si desponsata nesciente sponso corrumpatur,et postmodum dote facta maritali more cum eadem idem sponsus jacuerit; si postmodum intercepto [*edit. Rom.*, interjecto *utrinque*] tempore liceat ei ipsam, quasi prius ab alio corruptam, dimittere, et sic aliam ducere, quasi ista non fuerit uxor, aut concubinam pro ea tenere. Nec hoc consentimus,ut hi qui legitimo nuptiarum fœdere conjunguntur, et unum corpus per aliquod temporis spatium efficiuntur, divortium faciant. Sed quod prius initio conjunctionis corruptæ percipiendo voluntarie tacuerunt, postmodum intercepto tempore sustinendo, et si non voluntarie, inviti custodiant, etiam a concubinis omnimodo se abstineant.

3. Si hi qui sacras res ecclesiis datas,et a fidelibus oblatas,quasi a principibus sibi indultas invadunt, vastant, diripiunt, retinere præsumunt, auctoritate episcopali excommunicandi et anathematizandi sint. De his quidem rebus, quæ semel Deo contributæ atque dicatæ sunt, et postea sub occasione concessionis principum a quibusdam invaduntur [*edit.*, *Rom.addit* atque diripiuntur]sancimus,ut prius consulto principe,ad resecandam tam præsumptivam factionem, cognoscendum utrum illius sit concessio,an invasoris præsumptio.Quod si principis inordinata fuerit largitio, ipse sit princeps proemendatione redarguendus : si autem invasoris declaratur præsumptio, usque ad emendationem excommunicationis sit vindicta coercendus. *Et post alia.* Joannem archiepiscopum Ravennatem sciatis pa-

(*a*) Sic reformavi hanc salutem ex edit. Rom.

terne ab apostolica sede receptum,et de errore quo accusabatur, sacramento purgatum,ac ut Romanæ sedi dignam reverentiam exhibeat,tam ipse, quam successores ejus, super corpora sanctorum nobis juratum fore. Libellos quos mandastis nobis dirigendo, quando ad nos iterum miseritis, vestræ sanctitati dirigemus. *Et post alia.* Ut mala, quæ in regno Galliæ fiunt,zelo pietatis corrigantur, et per vos, et per alios confratres nostros, instantissime elaboretis exhortamur, ut fortissime in tot malis præparati resistatis.

XVII.

AD LOTHARIUM REGEM.

(Anno 852.)

Legatos ad synodum cogendam mittit, ad quam præcipit duos de Caroli regno episcopos accedere sicut de Ludovici patrui, et Caroli fratris ejus regno binos uloe convenire jusserat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus,servus servorum Dei, Lothario regi (*a*) pro synodo).

Regalis excellentia vestra nuper apostolatui nostro direxit, ut pro perficienda synodo missos e latere nostro dirigere dignaremur: quod nos,et ante litterarum vestrarum preces, et postmodum facere desiderio ardenti cogitavimus. Sed quia multi sanctarum ecclesiarum Dei utilitatibus hactenus fuimus occupati, tam celeriter ut volebamus eos destinare nequivimus. Nunc autem,Domino nostro Jesu Christo favente,legatos sanctæ nostræ cui Deo auctore deservimus Ecclesiæ, duos reverentissimos [*edit. Tom. addit.* et sanctissimos] episcopos, Rhadoaldum sanctæ Portuensis Ecclesiæ, et Joannem sanctæ Ficolensis [*edit.Rom.*, Fundensis] Ecclesiæ deliciosos nostros,quorum adventu atque præsentia Dei sacerdotum synodus congregetur,transmittimus sicut nostris vobis jampridem direximus litteris, quibus magnitudini vestræ intimatum est,binos episcopos de regno Ludovici regis patri vestri, et Caroli regis fratris vestri, ad ipsam synodum convenire debere.Nunc autem volumus,atque litteris nostris directis jubemus, similiter duos de regno Caroli gloriosi regis patrui vestri ibidem sine aliqua ambiguitate adesse. Quas sane litteras nobilitati vestræ dirigentes,petimus ut eas ipsi Carolo regi de præsenti per vestrum fidelem hominem transmittatis : quatenus et duo regni ejus episcopi, ut diximus,ad præfatam synodum,quæ auxiliante Domino congreganda est,cum nostris pariter legatis valeant convenire. Quos sane apostolatus nostri legatos excellentia vestra digno honore suscipiat,et familiaritatis eis locum concedat,ut Domino auxiliante, cum ad nos fuerint reversi,digna nobis de parte vestra nuntiantes, maximas Deo gratias referre, et apostolicæ vos benedictionis munere ditare possimus, congaudentes sane in vestræ humilitatis devotione fideli. Litera vos supernæ majestatis illæsos conservare per tempora longa dignetur. Data IX Kalendis Decembris, indictioue XI.

XVIII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 862.)

Ut duo de ejus regno episcopi ad synodum Metis cogendam proficiscantur.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, CAROLO glorioso regi [pro synodo].

Sedes hæc sancta atque præcipua, cui Dominici gregis est sollicitudo curaque commissa, in omnibus mundi partibus rectitudinis suæ dispositione salubri cuncta ordinare perficereque divino freta procurat auxilio, et quod singulari pro auctoritate perficere valet, multorum sæpe sacerdotum decernit definire consensu, et justitiæ censura ea scilicet emendanda deliberare, quæ perperam atque enormiter fuerint alicubi commissa. Unde vestræ regali Deoque amabili excellentiæ notum esse volumus, quia ad futuram synodum, quæ Metis civitate Lotharii regis nepotis vestri pro (*a*) Teutberga sorore Hucberti clerici, et Waldrada congreganda est, duos de regno vestro episcopos, quos prudentes atque veraces vos esse cognoscitis convenire jubemus, qui uua cum sanctæ sedis nostræ legatis, quos illuc Domino auxiliante nunc destinamus, et aliorum venerabilium episcoporam cœtu, qui ad eamdem synodum eonveniendi sunt, subtili cuncta indagatione, rectaque valde inquisitione, secundum Deum, et venerabiles sanctorum Patrum institutiones, examinare ac definire decertent. Nam et Ludovico glorioso regi, fratri vestro, simili modo litteras nostras direximus, duos regni sui episcopos ad ipsam synodum convocantes, quatenus in omnibus, quæ ibi statuenda sunt, rectitudo vigeat, justitia polleat, et falsitate fugata veritas splendeat : ut venerabili sacerdotum Dei certamine Christi Ecclesia ab omnibus inconcussa consistat adversis. Quos sane in veniendo episcopos, et ad jam dictam synodum jussione nostra volentes occurrere, vestra non retardet nobilitas; sed pro Dei amore ipsos absque temporis protelatione ad præfatam synodum sinatis occurrere. Data non. Kalendas Decembri, indictione XI.

XIX.

AD LUDOVICUM II IMPERATOREM.

Commendat legatos pro causa Lotharii fratris ejus in Franciam missos.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, LUDOVICO imperatori /pro synodoce].

Augustæ serenitatis magnitudini vestræ, imperiali fulgenti decore, his apostolatus nostri litteris innotescimus, quia multis et quotidianis ecclesiarum Dei sollicitudinibus et utilitatibus, quibus nos vigilanter insistere decet, præpediti, missos nostros pro perficienda synodo, quam pro causa Lotharii gloriosi regis, fratris vestri, nostra apostolica fieri auctoritate decrevimus, tam celeriter, ut inter nos statutum, est, in Franciam destinare nequimus. Et quoniam ecclesiasticæ rectitudinis et utilitatis zelo, quo nos semper fervere oportet, accensi, legatos nunc, sicut diximus, nostros duos venerabiles episcopos, Rhadoaldum videlicet sanctæ Portuensis Ecclesiæ, et Joannem sanctæ Ficolensis [*edit.*, *Rom.*, Fundensis] Ecclesiæ antistites, deliciosos nostros, illuc pro ejusdem rei qnam scitis negotio canonice definiendo direximus. Quos clementia vestra benigne suscipiat, eisque fidelem atque prudentem tribuat hominem, qui eos usque ad locum, quo a talibus suscipiantur hominibus, quorum comitatu ad prædictum regem Lotharium fratrem vestrum illæsi valeant pervenire, securos et quietos, omnique suavitate deducat [*edit.*, *Rom. addit.* cognoscat præterea clementia vestra]. Quia pro communi Ecclesiæ pace atque consensu, duos episcopos de regno Caroli regis, patrui vestri, ad ipsam synodum, quæ Domino auxiliante in Metis civitate congreganda est, sedis apostolicæ missa vocatione convenire præcepimus : qui una cum missorum nostrorum præsentia, et aliorum sacerdotum Dei conventu, quod definire oportet, juste canonice que decernant. Data IV Kalendas Decembres, indictione XI.

XX.

AD EPISCOPOS GALLIÆ ET GERMANIÆ.

(Anno 862.)

Ut ad synodum Metensem cum legatis accedant, ubique audito Lothario, ejus divortii causam cognoscant et canonice definiant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus archiepiscopis per Galliam et Germaniam constitutis [pro synodo].

Incognitum vobis esse non credimus, qualiter pro duadus feminis Lotharii regis, Ecclesiæ Dei facies illiciti connubii nævo aspersa sit, vel qualiter una repulsa idem rex alteram sibi sceleratissime copulaverit. Quarum prior Theutberga nomine, pro sui repudio acriter dolens, per emissam legationem super hoc negotio sedis nostræ expetivit judicium. Ex qua re unius partis causam sine altera judicare, canonicum fore minine duximus. Statuimus ergo fraternitatem vestram Metis collectam, pariter cum legatis nostris ejusdem Lotharii causam audire et canonice communi sententia definire. Itaque juxta statutum nostrum, cum duos alias in partes fratres nostros destinaremus episcopos, accidit ad nostram notitiam pervenire, quod Lotharius, legitima et prima repulsa muliere, secundam sibi ascivit conjugem, neque sedis nostræ petitum ac promissum judicium exspectans neque canonico judicio uspiam succumbens. Qua ex re quid aliud datur intelligi, nisi quia ubi plurimorum judicium prævenit, ibi suo judicio prævaricatorem se indicavit? Et ideo universaliter hanc fraternitati vestræ apostolicæ au-

(*a*) De Theutberga et Wuldrada vide Vitam S- Deicoli tom II. Actorum ord. Benedicti, pag. 444. HARD.

ctoritatis epistolam destinavimus, ut Christianæ religionis zelo accensi, pariter cum missis nostris Metim proficiscamini, illucque Lotharium convocantes audiatis,et in eum canonicum judicium proferatis. Quod si venire distulerit, et a præsentia se synodali præsentibus legatis nostris subduxerit, et ad pœnitentiam ac satisfactionem repedare minime curaverit, ita ut præsentialiter ad synodum coram missis nostris satisfacturus, et a scelere recessurus occurrat; illum de cætero excommunicatum reddemus, et quandiu in hoc permanserit, a totius Ecclesiæ consortio faciemus exsortem.

XXI.

AD EPISCOPOS IN CONCILIO METENSI RESIDENTES.

(Anno 862.)

Ut Theutbergæ causam examinent ac definiant, conciliique Acta ad se mittant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, omnibus reverentissimis archiepiscopis confratribus nostris, et episcopis in concilio residentibus quod Metis celebratur.

(*a*) Reverentiæ sacerdotali tunc debitus honor impenditur, cum eos in omnibus, quæ ab illis sub æquitatis libramine geri debent, trutinam misericordiæ cum lance rectitudinis tenere conspicimus, et tenendo nullius favore retenti,aut quorumcunque terroribus permoti, vel etiam numerosis pecuniis, aut honorum amplitudinibus a tramite justitiæ quoquomodo inclinati permutantur. Sed quantum eis erga proximos in discutiendo cura conceditur, tantum his sine personarum acceptione ad sui custodiam pavor cum zelo rectitudinis procul dubio adhiberi debet,ne immemores illius apostolicæ sententiæ videantur dicentis : *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (*I Cor.* III). Nam cum inter multarum ecclesiasticarum rerum, quæ ad salutem et fidei soliditatem populi Dei pertinere videntur, noster apostolicus animus causas extenderetur, de quarumdam feminarum controversia, Theutbergæ scilicet atque Waldradæ, admodum sicut quorumdam referentium, quia pastoralis nos cura ad audiendum commoverat,relatio intentos reddidit, et ne aliquo violentiæ morbo per desidiam grex fatigetur Dominicus, ad medelam recuperandæ sanitatis ardore charitatis ferventius invitavit. Prædicta quippe Theutberga multis vicibus sedem apostolicam lacrymosis litteris studuit appellare : in quibus affatu flebili puram se quo accusatur crimine,inquit,atque insontem. Ad quod negotium et judicii discretionem,sicut jam vestram fraternitatem nuper per apostolicos apices commonere decrevimus, apostolico vos hortamine adesse volumus, quatenus a pontificii nostri latere venientibus missis, synodicam illic celebrationem, apostolica fulti auctoritate, cum fraternitate vestra præsidentibus adunare debeatis, et una cum eis vigilantius, sine dolositatis macula, vel fomento invidiæ, aut odii nutrimento,quæ possunt homines a via veritatis pervertere, et a calle rectitudinis, proh dolor! declinare, semper Deum præ oculis habentes, personas principum, et terrores, qui ad tempus insurgunt, et in tempore finiuntur,contemnentes, quid in his justius, quidve veracius cum fatis missis nostris invenire valueritis, horum consensu definire et statuere procul dubio studeatis, caventes hoc quod per prophetam dicitur : *Væ his qui dicunt bonum malum, et malum bonum : qui ponunt tenebras lucem, et lucem tenebras : qui dicunt dulce amarum, et amarum dulce* (*Isa.* V). Nam et evangelica inter cætera,quæ nos ad bene vivendum instruit, sententia admonet dicens : *Nolite judicare secundum faciem,sed justum judicium judicate* (*Joan.* IX). Psalmista quoque ait : *Si vere utique justitiam loquimini, justa judicate, filii hominum* (*Psal.* LVII). Igitur cum multa sint,quibus vestram fraternitatem, non oblivionis aut ignorantiæ causa de vobis judicantes, sed charitatis studium amplectentes, commonere possimus : hæc ideo sufficere credimus, quia ad plura vos et evangelicæ, atque apostolicæ, propheticæque lectionis dogmata in talibus memoria transcendere non dubitamus.Tantum est,ut cum æquitatis justitia in præsenti examinatione, sine aliquo dolo vel invidiæ macula,sicut præfati sumus, quia Deo præsente assistitis, proximorum causas, cum jam dictis missis nostris, ita juste et irreprehensibiliter cum Dei timore definire satagatis, ut illorum omnibus vestræque sanctitatis consensus atque judicium æquitate fulgere videatur. Nam si vos vel illos in aliquam partem, pro cujuscunque favore,a canonicis et sanctorum Patrum institutionibus,quod non optamus,declinare perspexerimus, arguere non dubitamus. Si vero aliarum ecclesiasticarum utilitatum in eodem concilio res acciderint, digno examine pertractantes eas cum Dei timore definire satagite. Si autem aliqua in eo fuerit contentio orta, in qua diffinitionis ponere nequiveritis fortasse censuram, nostro eam judicio reservare sancimus.Statuimus autem,ut cuncta quæ in eodem concilio peracta fuerint ac definita, nostro præsulatui gestorum serie incunctanter significetis : ut si ea, justitiæ pulchritudine, probabilique sanctione definita perspexerimus, Deo omnipotenti gratias referamus : si vero injustitiæ,quod nolumus,et contrarietatis fuerint acta intentione,ea renovare summopere jubeamus. Missos quidem nostri pontificii, ut in prima epistola vestræ dilectioni significavimus, pro quibusdam ecclesiasticis utilitatibus, quibus fuimus occupati, destinare nequivimus. En Christo juvante,strenuitatis pollentes scientia atque doctrina, reverentissimos nunc dirigere missos decrevimus, Rhadoaldum scilicet atque Joannem episcopos, deliciosos et consiliarios nostros, qui

(*a*) Hanc epistolam in editis conciliorum mendis hinc inde scatentem emendavi ad normam editionis Rom. epistolarum Pontificiarum an. 1591 : quod etiam et in cæteris præstitum est. Mansi.

prædictum cum vestra sanctitate concilium, ut protulimus, studeant celebrare. Omnipotens Deus, qui vos sacri regiminis culmine perornavit, vestræ beatitudinis corda rectitudinis et justitiæ claritate repleat aique decoret,ut in omnibus vestris actibus æquitatis videamini plenitudine rutilare. Data IX Kalendas Decembris, indictione XI.

XXII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

[Anno 862.[

Petit ut Balduino parcat,qui filiam ejus rapuerat, et in uxorem acceperat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus,servus servorum Dei, CAROLO glorioso regi majori [pro Balduino].

Beato ac pretioso Christi Dei nostri cruore Ecclesia sancta redempta, et sacro ipsius Domini super solidam veræ fidei petram fundata eloquio,pietatis suæ viscera omnibus, non solum quos ex aqua regeneravit et spiritu, delinquentibus, verum etiam quotquot sacri necdum lavit unda baptismatis, patet,atque gremio gratulatur fovere salubri.Unde ab ipso institutionis ejus exordio,ad eam omnes, velut ad pium charissimæ genitricis gremium,confugere digna devotione procurent, qui se in aliquo flagitii scelere jacere cognoscunt : ut per spiritualem gratiam,quæ rite ignoscit pœnitentibus, a peccatorum nexibus absolvantur. Et quoniam ad hanc sanctam Romanam, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiam, quæ ob sui privilegii principatum, quo cæteras Dei Ecclesias orbe universo diffusas excellit divinitus, de diversis mundi partibus quotidie multi sceleris mole oppressi confugiunt, remissionem scilicet, et venialem sibi gratiam tribui supplici et ingenti cordis mœrore poscentes : a qua vero ob insigne dilectionis meritum,et debitæ compassionis gratiam,recti libraminis auxilium cunctis fida petentibus intentione tribuitur atque largitur.Idcirco ad beatissima sanctorum apostolorum principum Petri ac Pauli confugere limina, nostrumque pontificium Balduinus,vasallus vester,ardenti animo accedere studuit : qui vestram se habere indignationem, eo quod Judith filiam vestram, illum præ cæteris diligentem, sine vestræ voluntatis consensu in conjugium elegerit, eamqne volentem accepit,ore proprio retulit. Quamobrem præsulatui nostro preces multimodas fudit,orans et petens obnixe,ut magnitudinis vestræ per nostram interventionem adipisci gratiam mereretur.Cujus nos crebris petitionibus,et misericordiæ largitate commoti,vestram regalem excellentiam his apostolatus nostri apicibus,præsentibusque legatis, Rhadoaldo videlicet et Joanne, reverentissimis et sanctissimis episcopis,deliciosis nostris, valde precamur, ut pro Jesu Christi Domini nostri amore, et sanctorum apostolorum Petri ac Pauli, quorum auxilium ipse Palduinus,megis quam regum terræ, fide devota quæsivit,nostraque dilectione,quam vos luculenter habere agnoscimus,jam dicto Balduino, quia et tale jam olim aliis evenisse regibus scitur indulgentiam pariter,et plenariam gratiam largiamini,ut vestræ amplitudinis fretus benignitate consistat, maneatque inter cæteros vobis fideles securus. Cui sane ideo vestræ sublimitatis gratiam ut tribuatis deposcimus, non solum quia pio amore omnibus,qui aliquo fuerint sceleris contagio maculati,hujus apostolicæ sedis opem, atque misericordiam,et præsidium postulantibus, humilique devotione quærentibus,pro qualitate facti subvenire debemus : verum etiam metuentes ne propter iram indignationemque vestram ipse Balduinus impiis Northmannis,et inimicis Ecclesiæ se sanctæ conjungat,et in populo Dei, quem,prudenti consilio menteque sollicita,salvum et incolumem regere et gubernare debetis,aliquod iugerat periculum,et scandali fomitem, qui fidelium cœtus depopuletur, immittat; et ob hoc animæ vestræ quod absit,contingat discrimen.Dextera vos supernæ protegat majestatis, et ab omnibus semper adversitatibus illæsos custodire dignetur. Data IX Kalendas Decembris, indictione XI.

XXIII.

AD HERMENTRUDEM REGINAM.

[Anno 862.)

Intercedit pro Balduino, qui ad opem implorandam in Urbem venerat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, HERMENTRUDI reginæ [pro Balduino].

Fidelium universitas gentium ex variis mundi partibus, cujuscunque sint ordinis, vel ætatis, si qua forte criminis noxa, vel seniorum suorum formidine detinentur, ad hanc sanctam omnium terrarum matrem Romanam Ecclesiam, ut salutare percipiant remedium,recurrunt,et ab ea non solum animæ, sed et corporis salvationem, ut omnibus patet, humili prece suscipere precantur. Quibus multis divinitus fulta auctoritatibus, et sanctorum Patrum roborata documentis,materno amore solamina subministrat, et sugenda ubera consolationis compatiendo inferre minime recusat. Et quia hic Balduinus, qui charissimam filiam vestram contra divinarum legum sanctiones rapuit, de his se esse recognovit,liminibus sanctorum apostolorum lacrymosis mœstisque precibus lugubriter se obtulit,et ut pro tanto crimine apostolicam opem acciperet, nostro apostolatui nihilominus flendo se præsentare quæsivit. Cujus cum lamentabilem,et tanto scelere plenam cognovissemus petitionem,ad mentem rediit quod per prophetam Dominus dicit : ***Misericordiam volui, et non sacrificium*** (*Ose.* VI), miserti fuimus, et hos vestræ in Christo dilectæ industriæ apostolicæ sollicitudinis apices fieri statuimus,missosque etiam Rhadoaldum et Joannem reverentissimos et sanctissimos episcopos, deliciosos nostros, pro eo vestræ claritati direximus,per quos obnixius deprecamur,ut præfatus Balduinus, quam apud vestram

per apostolorum intercessiones desiderat magnificentiam obtinere, pro Dei amore gratiam percipere valeat, et de sui affectione nostræ præsulatus oraculis consolationem resumat, quatenus qui se per infelicem culpam a norma æquitatis declinasse non ambigit, medelam apostolorum agnoscat, et apud seniorem vestrum venialem, vobis juvantibus, vigorem obtineat. Dextera vos supernæ protegat majestatis, et ab omnibus semper adversitatibus maculisque custodire dignetur.

XXIV.

AD STEPHANUM COMITEM ARVERNORUM.

(Anno 862.)

Jubet ut Sigonem Arvernensem episcopum Ecclesiæ suæ dejecto pervasore restituat, et synodo legatorum de objectis satisfacturus se sistat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei STEPHANO comiti.

Quæ et quanta contra canonicas et ecclesiasticas regulas, imo contra naturalia jura pertinaciter egeris, sedis apostolicæ, quæ ubique ex ministerio sibi credito spiritaliter præsto est, cognitionem omnino non latet. Et licet tanto sint odio a nostris mentibus repellenda, ut in te eorum auctoritatem merito mittere in virga cogamur: ut tamen adhuc te resipiscere a tantis malis sperantes, has nostri apostolatus litteras tibi dirigimus, ut submissa pertinaciæ tuæ cervice, sanctorum sacerdotum præceptis pareas, de præteritis pœnitudinem geras, et a futuris te, ne perseverando in talibus in diaboli laqueos sempiternos incidas, circumspecte ac solerter custodias. Cæterum quia, quod his nequius exstat, contra omne quod Christianæ religioni convenit, dejecto sanctissimo Sigone Arvernensi episcopo, in locum ejus pervasorem Adonem clericum substituisti; præcipimus tibi auctoritate Dei omnipotentis, beatorumque apostolorum principum Petri ac Pauli, ut nullam passus moram, sanctissimum Sigonem episcopum, dejecto pervasore, ecclesiæ suæ restitutas, et in omni sacerdotii dignitate eum manere amodo dimittas. Nam quia nonnulla impudica ac scelestissima de te inculcantur, apostolica auctoritate sancimus, ut de his plenissime satisfacturus, in nostrorum legatorum præsentia, qui constitutæ a nobis synodo præesse debebunt, in loco præfixo occerrure studeas. Quodque si neglexeris, et præsentiam tuam a synodico examine defraudare tentaveris, scias te præsulatus nostri auctoritate a vini et carnium participatione omnino excommunicatum, quoadusque Romæ in nostra speciali præsentia districtam positurus rationem assistas. Pervasor vero sanctæ Arvernensis ecclesiæ, si post hanc nostram definitionem illic remorari tentaverit, et aliquod impedimentum sanctissimo Sigoni episcopo facere quacunque argumentatione præsumpserit, sciat se pari modo non tantum a vini et carnium, verum et a corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi participatione penitus esse sejunctum, quandiu nostris jussionibus obstinate in præsentiam apostolicam venire distulerit. Bene vale.

XXV.

AD SALOMONEM REGEM BRITTONUM.

(Anno 862.)

De renovando ejectorum episcoporum examine apud archiepiscopum Turonensem, vel apud sedem apostolicam : et de jure metropolitani apud Britannos.

(Apud Mansi, *ibid.*)

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei (*a*), SALOMONI regi Brittonum.

(*b*) Benedictus Deus et Pater Domini mei [*ms.*, nostri] Jesu Christi qui per magnæ misericordiæ suæ gratiam adeo tuæ cor sublimitatis illustrare dignatus est, ut merito pro sapientiæ tuæ fulgore ubi habitas, non jam occidens, sed oriens habeatur. Ortus enim est in vobis sol justitiæ, quod ipse Christus est, et infidelitatis tenebræ defecerunt. Sed rogamus eumdem omnipotentem Deum, ut sicuti rectæ fidei agnitionem pie concessit, ita quoque bonæ operationis benignus largiatur effectum. De cætero [*ms. add.* fili] sciat prudentia tua, nos de ejectis et in locis illorum aliis subrogatis episcopis, diligenter in archivis sanctæ Romanæ, cui magna omnipotentis Dei miseratione deservimus, ecclesiæ requisisse, et multo aliter in exemplaribus epistolarum, quæ a decessoribus meis, beatæ videlicet memoriæ Leone ac Benedicto pontificibus, atque a me, Nomenoio, et tibi, nec non archiepiscopo Turonico datæ sunt, papam Leonem [*Ms. Turon.*, et regni tui episcopis missæ sunt, invenisse, quam tu in litteris tuis perhibes, quamvis nec discas in apicibus tuis, sanctæ recordationis papam Leonem, etc.] Nomenoio consilium vel auctoritatem deponendi episcopos tribuisse, quippe quem constat multifarie multisque modis, ne hoc ab et non magis pervasores et sacrilegos tales dixerimus. Qui etiam, si quædam habent negotia, non ad concilia episcoporum occurrere permittuntur, sed contra sacros canones, et venerabiles leges, ad sæcularium tribunalia pertrahuntur, nec suscipiunt episcopale institutum, sed illatum contra regulas populare incurrunt judicium; et ipsis morte præventis, rapitur si quod remanserat subsidium. Judicantur etiam episcopi a lectoribus et laicis hominibus quos non oportuit nisi canonicis legibus, et metropolitanis aut nobis præsentibus, saltem examinari, dicente Domino per prophetam : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari* (*Psal.* CIV); et iterum : *Qui vos tangit, quasi qui tangat pupillam oculi mei* (*Zach.* II). SIRM.

(*a*) Contulit hanc epistolam Harduinus cum ms. archivi Turonensis, unde varias lectiones adnotavit, quas in textu habes.

(*b*) *Salomoni regi Brittonum.* Tertio et ultimo, ut est apud Gratiarum 3, qu. 6, *Hæc quippe est.* Sed male ibidem Joanni papæ tribuit hanc epistolam, cum sit Nicolai. Profert et Hincmarus Laudunensis in priori defensione sua locum, ex altera ejusdem argumenti ad Salomonem cumdem epistola Adriani papæ nond edita : *Sed et præsens*, inquit, *domnus papa Adrianus hæc ex epistola nuper ad Salomonem ducem Brittannorum destinata sui suorumque officii non immemor mandavit :* Sacerdotes vero vobis vicinarum diœceseon super se alios deplorant superpositos sacerdotes Britannicos, si tamen sacerdotes,

aliis quam a certo episcoporum numero fieret, præcepisse. Nam Nomenoio consulenti quid de Spiritus sancti gratiam venundantibus oporteret fieri, respondit nihil inquiens præter quod sancti canones super his præcipiunt, ipsas regulas apicibus suis interserens. Nam qualiter, et a quot, vel a quibus sanxit episcopos condemnari, scribens eodem tempore Britannicæ regionis episcopis evidenter inter cætera, ut eadem ipsa verba ponamus, decrevit, æque præcipiens ut omnia sint in conciliis episcoporum. Nam nullamdamnationem episcoporum esse unquam censemus, nisi aut ante [*ms.*, nisi in ante] legitimum numerum episcoporum, qui fit per duodecim episcopos, aut certe probata sententia per septuaginta idoneos testes, qui tales sint, qui et accusare possint, et prius ad sacra Christi quatuor Evangelia sacramenta præstent, quod nil falsum depromant, sicut nobis beatus Silvester, et sancta Romana tenere videtur Ecclesia. Quam secutus decessor meus, sanctæ memoriæ Benedictus, quia contra decessoris sui decretum, non ab episcopis, sed a laicis, episcopos in regione tua cognoverat esse dejectos, multa mœstitia et indignatione repletus, scripsit quod nulla ratio sineret episcopos a sedibus suis pelli, quos duodenarius numerus non ejecisset. Quorum vestigia et ego quoque secutus eadem censui, imo et censeo, nec ullam posse episcopos sui honoris sustinere jacturam, quos non constat fuisse a duodecim episcopis, præsente primamque sententiam metropolitano episcopo obtinente, cum examinarent auditos. Qui etsi crimen aliquod confessi esse dicuntur, potest credi quod vi vel formidine fassi tantum, et non confessi fuerint quod non fecerant, quia videbant laicos et sæculares quosque una cum rege contra se conspirantes, quod nec saltem audierant. Siquidem qui ore tantum, et non corde profert quod dicit, non confitetur, sed loquitur : quamvis non videatur justa confessio, quæ non legitimo provocatur examine. De Gislardo autem et Actardo [*ms.*, Aitardo *et sic ubique*] episcopis [Nannetensibus], de quibus scripsisti, multo aliter, quam tua referebat epistola, in scrinio nostro reperimus. Licet non bene faciat Actardus, quia denuo consecrat quos Gislardus in eo gradu dignoscitur ordinasse : tamen Actardus invenitur ante Gislardum episcopatus officium suscepisse. Denique sanctissimus Leo papa Nomenoio scribens, inter cætera præcipuum virum Actardum appellat, et hunc sanum sapere, et sanum docere, vivere ac permanere denuntiat : Gislardum vero tanquam prædicti Actardi sedulum invasorem denotat. His ergo ac hujusmodi controversiis, ac difficultatibus enumeratis, et ita repertis, habitis, ac compertis, non possumus a regula sanctorum patrum, aut a sedis hujus institutionibus indebite [*ms.*, ut a sedis tuæ institutionibus quoque indebite, etc.] declinare. Sed si vis Dei omnipotentis benedictionem percipere, vel si veraciter nostra consequi præcepta desideras, consilium meum accipe, et quod tibi per hanc paginam indico libenter attende. Hortamur enim gloriam tuam, et cum æquivoco tuo sapientissimo Salomone dilectionem tuam admonemus, dicente : *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ* (*Prov.* 1). (3, q. 6. *Hæc quippe :* ubi hæc epistola Joanni papæ tribuitur.) Hæc quippe sunt præcepta Dei patris tui, et hæc est lex Ecclesiæ matris tuæ. Videlicet ut omnes episcopos regni tui ad Turonensem archiepiscopum mittere non detrectes, ipsiusque judicium postulare non dedigneris. Ipse enim est metropolitanus, omnesque episcopi regni tui ejus suffraganei sunt, sicut conscriptiones prædecessorum meorum evidenter ostendunt, qui prædecessores tuos, quia illos ab ipsius cura subtraxerant, forti invectione corripere studuerunt : quamvis nec nostra scripta super hac re missa deesse videantur. Cumque coram præsignato Tuaonensis Ecclesiæ præsule, et integro numero collegarum, id est duodecim episcoporum celebrato conventu, fuerint ejecti episcopi regulariter examinati, apparueritque quod canonice fuerint ejecti, ipsis in sua dejectione manentibus, quicunque in locis eorum consecrati sunt, poterunt utique episcopatus honore potiri. Quod si ejecti episcopi insontes fuerint declaratii his amotis qui illis subrogati sunt, Ecclesias suas ipsi recipiant. Nam cum antecessores mei [*ms. add.* Romani] præsules ejectionem eorum episcoporum, qui ab Ecclesiis suis expulsi sunt, non admiserint, nec approbaverint [*ms.*, admiserunt nec approbaverunt], nec ipsos, qui eis subrogati sunt, viventibus illis, legitimos episcopos dixerunt. Sane si forte ad Turonensem archiepiscopum mittere dedignaris, stude duos episcopos de expulsis, et duos de subrogatis, una cum gloriæ tuæ legato, ad apostolicam sedem beati Petri transmittere, ubi digna examinatione præmissa, qui legitimi episcopi sint appareat, et suas Ecclesias irregulariter non amittant. Nihil enim aliud est quod in præsenti negetio penitus definiri possit. Quia vero magna quis sit metropolitanus apud Britannos contentio est, licet nulla memoria sit, vos in vestra regione ullam habuisse metropolitanam [*ms.*, metropolim] ecclesiam, tamen si libet, postquam Deus inter vos pacem et dilectum filium nostrum Carolum gloriosum constituet, facile hoc poteritis advertere. Quod si adeo [*ms.*, ideo] contentiosius agendum creditis, ad nostrum apostolatum destinare contendite : quatenus nostro libramine, quæ fuerit apud vos antiquitus archiepiscopalis ecclesia, luce clarius innotescat, et deinceps omni ambiguitate recisa, quem sequi episcopi vestri debeant, incunctanter agnoscant. Neque enim Ecclesias Domini per discordiam regum divisiones aliquas pati vel damna [*ms.*, per discordiam regum divisiones aliqua pati damna] necesse est : cum quantum ex se est pacem, quam prædicant, servare studeant invicem, et in omnes. His ita prælibatis, per nos tuam scire volumus excellentiam, quia si nostris paternis monitis obedieris, et tam de jure metropolitani, quam de renovatione examinis ejectorum episcopo-

rum nos audire studueris, erit pax et concordia et omnis legitimus ordo in regno tuo. Quod si nos tantum interrogare et non auscultare decreveris, scandala, et discordia et omnis confusio non deerunt tibi in vita tua. Porro legatos tuos, quos ad nostrum pontificium destinasti, dilectioni tuæ commendare curamus : quorum prudentiam et fidem circa vos considerantes, plurimum in Domino gratulati sumus. Deus omnipotens gloriam tuam, et claram conjugem tuam, cum nobilibus natis, atque cum omnibus qui sub tuo regimine sunt, omni gaudio et omni benedictione pie circumdet.

XXVI.

AD CAROLUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM EJUSQUE SUFFRAGANEOS EPISCOPOS GERMANIÆ (*a*)

(Anno 863.)

Declarat se nullam sententiam protulisse in Salomonem episcopum; Abbonis matrimonium, in quarto consanguinitatis gradu contractum, esse dissolvendum, variasque variis peccatis assignat pœnitentias.

[Apud Mans., *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Carolo archiepiscopo, ejusque suffraganeis Altfrido, Salomoni, Hiltigrimo, Theodrico, Guntoni, Gebehardo, Arn. Wingario, Egiberto reverentissimis episcopis, atque Grimalto, Egilberhtto Thiotoniamali, Adalgario religiosis et venerabilibus abbatibur.

Divinorum fulgentes dogmatum diffinitiones scientiæ sacro sedis nostræ alvo procedunt, semperque descendunt, quia rectitudinis et æquitatis species gignere novit, et instituta dilectionis dispositione administrare. Pacis enim ac justitiæ amatrix cognoscitur et benignitatis amica. Cujus consuetudine fulti atque industria, vestræ beatitudini apices destinavimus, rectitudinis fundentes dulcedinem, et probabili sanctione ornatos. cum Abbonis causam de quo fertis, vestra præsentia episcoporum subtili inquisitione examinare decrevimus, ut de ea certitudine per vos maluissemus scire cognitionem. In Salomonem quippe episcopum nec criminis, neque facinoris sententiam certe protulimus, nisi et commissam sibi a Domino plebem, sicut audieramus, non constringeret juramentis. Epistola vero, quam vobis quasi a nobis missam, Grimoldus obtulit abbas, nunquam nostro est scrinio scripta, neque a nobis edita, neque a nostra sede directa, sed omnimodis falsitatis argumento plena, et mendacii constructa demonstratur tenore. En quia Abbonis jam dicti causam atque intentionem secundum nostræ institutionis deliberationem, synodali examinatione inquirere studuistis, nobisque gestis rei veritatem significastis, ingentes vestræ agimus beatitudini gratias, et quia tantæ claritatis erga sedem polorum clavigeri habetis devotionem, ovantes vestram spiritalibus ulnis amplectimur almitatem. Et quia ipsi Abboni veridicis, ut fertis, testibus in vestro concilio comprobatum est, quod contra sanctorum canonum sanctiones uxorem accipere præsumpsisset, in quarta etiam generatione sibi copulasset, sancimus et apostolica promulgatione decernimus, hujus infausti conjugii omnimodis copula dissolvatur, quæ propriæ consanguinitatis et cognationis demonstratur atque cognoscitur esse. Et hoc vobis interrogantibus statuimus, ut nulli liceat Christiano de propria consanguinitate sive cognatione uxorem accipere usque dum generatio recondatur, cognoscitur, aut memoria retinetur. Lætamur autem, vestramque laudamus industriæ observantiam, quia in hac re beatissimorum antecessorum nostrorum Gregorii et Zachariæ pontificum hactenus in vestris parœchiis, ut vestris protulistis in litteris, observando tenetis (decreta). Dixistis enim in quota generatione sibi fideles jungantur. Nos autem generationum in hac re numerum non definimus, sed ut supra retulimus, incunctanter observare monemus. Sacerdotes vero si in fornicationis inciderint laqueum et criminis, et manifestus sive ostensus fuerit actus, sacerdotii non possunt habere honorem, secundum canonicæ institutionis auctoritatem. Sacerdotes illi, qui in crimine fornicationis fuerint accusati, et crimen illis non fuerit comprobatum, aut ipsi non manifestaverint, quid aliud agendum est, nisi quod in Neocæsariensis sancti concilii capitulo legitur, ac demonstratur? Tamen si ipsi juramento se voluerint purificare, licentiam habeant. Similiter autem et diaconi si fuerint accusati, peragant. Feminæ scilicet quæ, sacro sunt velamine consecratæ si fuerint, quod nolumus, fornicatæ, velamen deponere non præsumant sed pœnitentiæ jugo submissæ summopere decertare festinent, ut ad indulgentiæ et remissionis valeant gratiam pervenire. De patricidis et fratricidis præcipimus, ut per unius anni circulum ante fores basilicæ orantes Domini clementiam perseverent. Completo vero anni circulo introducantur ecclesiam, tamen interaudientes, usque dum unius anni spatium finiatur. Stent cum ad missarum solemnia vel ad alia sacra audire officia venerint. His ita peractis, si pœnitentiæ fructus in eis conspiciuntur, corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi participes fiant, ut desperantiæ non indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum, vinum atque pulmentum sumere non præsumant, nisi tres dies per hebdomadam. Jejunent autem usque ad nonam diei horam quotidie, exceptis festis diebus atque dominicis. Arma gerere non audeant vel sumere, nisi contra paganos, et ubicunque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, sed pedestri more proficisci studeant. Tempus autem hujus pœnitentiæ, in vestræ beatitudinis arbitrio ponimus, ut secundum conversionem illorum aut extendere, vel minuere valeatis. Ne uxoribus, si habuerint, non separarentur; si autem non habuerint, et se continere non valuerint, legitimas accipiant in conjugio feminas, ne

(*a*) Hæc epistola ante annum 858, quo Nicolaus I papa creatus est, non est scripta; sed neque post annum 863, quo Carolus Moguntinus archiepiscopus obiit.

fornicationis voraginem incidere videantur. Si autem antequam duorum prædictorum annorum finiantur curricula, finis vitæ illorum pervenerit, viaticum illis non negetur. Si quis cum duabus fuerit fornicatus, aut cum his personis de quibus sacra Scriptura prohibet, si dignam egerit pœnitentiam, et tamen non maluerit continentiam sustinere, liceat legitimam conjugio uxorem accipere. Similiter et mulier quæ tali fuerit scelere lapsa, ut fornicationis ad chaos non perducatur perficiat. Sed hoc de laicis viris ac mulieribus solummodo statuimus. Si quisquam cum matre spirituali fuerit fornicatus, anathematis, ut scitis, percutitur ictibus. Similiter autem et illum percutere promulgamus, qui cum ea quam de sacro fonte baptismatis susceperit, aut cum illa quam ante episcopum tenuerit cum sacro chrismate fuerit uncta, fornicationis crimen perpetravit : legitimam autem si habuerit non dimittat uxorem. Inter hæc vestra sanctitas addere studuit, si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito ipsius liceat secundum mundanam legem eam interficere. Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritualem ac divinum ; non occidit, sed vivificat. De his qui non sponte homicidium commiserunt, in vigesimo secundo capitulo Ancyrami concilii, qualiter agere debeant, definitum habetis. Homicidæ post unius anni spatium liceat ecclesiam intrare. Vidua quidem quæ sacrum capiti velamen imposuerit, et inter cæteras relatas feminas in ecclesia oraverit, et oblationem cum illis obtulerit, si professa est in eodem habitu permanere, spondens nunquam religionis deponere velamen, religionis observantia discedere non præsumat. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

XXVII.

AD EUMDEM.

(Anno 865.)

[Primus hanc epistolam edidit Wassarschleben, *Beitrage zur Geschichte der vorgratianischen Kirckenrechtsquellen*, Leipz. 1839, p.165, e cod. Darmstad.—Ad fidem ejusdem cod. Darmst.2117, olim Colon. 118 fol., ubi exstat p. 49 sqq., recognovit et errata Wasserschlebii corr. Dr Ploss Bonnensis.]

Incipit epistola Nichalai papæ ad Charolum archiepiscopum sanctæ Mogonciacensis Ecclesiæ (*a*).

Nichalaus episcopus, seruus seruorum Dei, reuerentissimo et sanctissimo confratri nostro Carolo archiepiscopo sanctæ Mogontiacensis Eclesiæ.

Qui sacrorum dogmatum nitore intacto capiunt certamine rutilare, superni luminis (*b*) cernuntur fauoribus procul dubio coruscare, quia perfectæ actus normæ exquirunt et beatificæ sanctionis augmentum. Quibus, utremur, compulsi apicum uestrorum nectare nos pro quibusdam salubribus maluistis causis interrogare, ut gregis nobis commissi integritatem salutari ualeatis gubernaculo perornare, et delinquentium temeritates et criminosæ perpetrationis insidias sollerti corrigere censura possitis, probabilisque promulgationis effectui mancipare. In his enim magis letamur et alacribus cumulati apostolico instituimus famine. Qui sacerdotem morti uoluntate tradiderit, uel parricidium perpetrauerit, omnibus diebus uitæ suæ carnem non comedat, nec uinum bibere præsumat. Ieiunet autem usque ad uesperum, exceptis festis diebus atque Dominicis. Arma non sumat, et ubicunque ire uoluerit, nullo vehiculo deducatur, sed propriis pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennii tempus non ingrediatur, sed cum sacrorum orationum officia uel missarum solempnia celebrantur, ante foras basilicæ perseueret, orans et deprecans Dominum, ut tanto crimine abluatur. Post expletum uero quinquennii tempus ingrediatur eclesiam, nondum uero communicet, sed inter audientes tantummodo stet, uel dum facultas conceditur, sedeat. Cum autem duodecimi anni fuerint (*sic cod.*) cursus finitus, communicandi ei licentia concedatur, et equitandi tribuatur medela. Maneat autem in reliquis obseruationibus tres dies per ebdomadam, ut perfectius purificationis mereatur peruenire ad culmen. Illi scilicet qui diuersis erratis uel quibuscumque piaculis pœnitentiæ fuerint iugo submissi, legitimo nullatenus matrimonio separentur, ne fornicationis uoragine demergantur, et dum ad alta subleuari sperantur, corruantur in cœno. Homicidæ post peractam pœnitentiam arma non sumant, nisi contra paganos. De non sponte homicidium perpetrantibus promulgamus : Per triennii temporis spacium non communicent, ieiuniis et orationibus assiduis uacare omni sollicitudine studeant : carnem non comedant tres dies in ebdomada ; neque uinum bibere præsumant usque dum decennii tempus expleverint. Mulieres autem quæ ante temporis plenitudinem conceptos utero infantes uoluntate excutiunt, ut homicidæ procul dubio iudicandæ sunt. Illæ uero quæ dormiendo filios suos suffocare uidentur, leuiter de his iudicare oportet, quia nolentes et nen sentiendo ad hunc deuolute sunt casum. Si uir uiduam duxerit in coniugium ex priore habentem marito filiam, et cum eadem filia postmodum concubuerit, coniugium modis omnibus matrimonii dissoluatur, et uir ille pœnitentiæ subiaceat sanctionibus, ita ut per triennii tempus sacro corpore Domini nostri Iesu Christi suspendatur a sanguine : carnem non manducet, abstineat autem a uino atque pulmento, et singulis diebus ieiunium cælebrare festinet, exceptis diebus festis atque Dominicis : orationibus omni insistere sollicitudine studeat. Cum uero trium annorum finis peruenerit, sacræ consors communionis efflitiatur, aliorumque per trium annorum curricula, ut protulimus, integriter obseruare atque perficere summopere curet. Similiter autem de mulieribus quæ se clanculo patri in concubitu substernerunt et filio obseruandum est. Aliter quidem de his sancimus, qui duabus se absconse sororibus pollutas (*sic cod.*) cognocunt (*sic cod.*)

(*a*) Tituli verba in codice *miniata sunt*.

(*b*) Cod. *Lumilis*.

Hæc breuiter pro celeri uestræ exposuimus portitoris epistolæ necessitate, qui festinus uestros remeare cupiebat ad fines ; et pro quibusdam ecclesiasticis utilitatibus, in qnibus occupati eramus. Congruo pro quibus tempore idoneum uestræ legatum beatitudinis atque apices nostro præsulatui destinare satagite ; et tunc plenius perfecti usque de his omnibus, superna inuante gratia, promulgare studemus, uestræque sanctitati dirigere procuramus. Optamus sanctitatem uestram in Christo nunc et semper bene ualere.

XXVIII.

NICOLAI I PRIVILEGIUM PRO ECCLESIA BELLOVACENSI.

(Anno 863.)

Ecclesiæ Bellovacensi confirmat monasteria Oratorii et Flaviaci, a Carolo Calvo rege concessa.

[Ex Gallia Christiana, tom. X, inter *instrumenta*.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo ODONI episcopo, et per te charissimæ Bellovacensi Ecclesiæ, salutem in perpetuum.

Quicunque in hujus labentis sæculi fuerint in aliquo detenti discrimine, ne velut in fluctuantis maris pelagus viribus infirmitati infeliciter demergantur, nullum melius suæ possunt infirmitatis invenire salutiferum portum quam sedem illius, cui divino oraculo dictum est : *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Unde quia nos vicem illius per abundantiam supernæ gratiæ in tota Christi universali Ecclesia gerimus, debemus omnium infirmantium imbecillitatibus subvenire, et manum confirmationis nostræ omnino libenti porrigere. Sed quoniam sanctitas tua retulit ac suggessit apostolatui nostro quod ecclesia Bellovacensis provinciæ Rhemorum, cui, divina favente gratia, venerabilitas tua præesse dignoscitur, rerum facultatibus quibus prioribus temporibus fruebatur, per terrenam potestatem privata mansit, et modernis quoque diebus paganorum incursione pariter et deprædatione valde attenuata fuerit, pro qua re sollicitus pastorali cura, pii principis clementiam sanctitas tua adiit, auxilium petens ut sibi grex commissus rerum inopia non deperiret, quam vel violentorum manus intulerat, vel hostilis vastitas irrogasset ; et si non aliud consolationis subsidium ferret, saltem de rebus eidem ecclesiæ sublatis aliquod restitutionis auxilium pietas gloriosi regis Caroli non denegaret, cujus precibus religiositas regis mota, res quidem sublatas ex integro non restituere se posse dixit, ne suæ reipublicæ militiam defraudare videretur : conferre tamen solatium sanctæ Bellovacensi ecclesiæ benigne spopondit. Quamobrem concessit ei duo monasteria in eadem Bellovacensi Ecclesia constituta, Oratorium videlicet quod fuit olim puellare cœnobium, et Flaviacum, in quo canonici habitaverunt, pro recompensatione Fontaneti monasterii, quod quidem monasterium veracium testium et irrefragabilis auctoritatis Scripturarum assertione præfatæ matris Ecclesiæ Bellovacensis juris fuisse omnimodis probatur. Quæ tamen monasteria, et prius quidem quam sæcularibus collata fuerant, propter civilis discordiæ seditionem non parum fuerant destructa, et nunc propter barbaricam incursionem penitus sunt eversa, adeo ut non solum rebus privata sint propriis, verum canonicorum sacrarumque virginum chorus, qui prius illic habitaverant, ex maximo inde sit ablatus, et ecclesia totaque ædificia simul sint destructa, nec spes ulla restat restitutionis illorum, si vel reposita fuerint, in sæcularium manus, vel si absque pastore ecclesiastico degerint, ut hactenus fuerunt. Unde tua petiit venerabilitas, ut de iisdem sibi monasteriis ecclesiæ tuæ privilegium nostræ auctoritatis fieret, et nec tuis nec successorum tuorum temporibus auferri ab ecclesia Bellovacensi possit. Insinuavit quoque super eadem re nobis petitiones gloriosissimi et charissimi filii nostri Caroli regis similiter efflagitantis. Quapropter considerantes justam piamque fore petitionem, quatenus et ecclesia Bellovacensis devastationis subsidia non deessent, et præfata monasteria religionis ordine penitus exspoliata non manerent, decrevimus fieri quod postulabatur, et apostolica auctoritate statuimus ut præfata monasteria, scilicet Flaviacum et Oratorium, benignitate Caroli gloriosi regis Bellovacensi ecclesiæ collata, cum omnibus quæ possident ecclesiæ præfatæ perpetuis et futuris temporibus perpetuo manere subjecta, nec ab ulla deinceps vel regali vel judiciali potestate, sive de potestate tua qui impræsentiarum ejusdem ecclesiæ episcopus esse dignosceris, sive successorum tuorum antistitum ecclesiæ ipsius ullo modo auferenda, eo tamen ordine ut de rebus eisdem monasteriis collatis sive conferendis ecclesiæ Bellovacensis necessitatibus subveniatur, prout voluntas et judicium episcopi qui præfuerit eidem ecclesiæ decreverit, et monasteria ipsa nec in ædificiis domorum, nec in restauratione ecclesiarum, nec in necessitate Deo illic servientium subsidia defraudentur, sed ita rerum dispositio fiat ab episcopo Bellovacensis ecclesiæ, ut et ipsa monasteria juxta modum facultatum sibi collatarum restaurentur, et conserventur, et illic Deo militantium sive feminarum sive virorum sexus fuerit, subsidiis necessariis adjuventur, quatenus loca Deo dicata et res illis ecclesiis collatæ ibi potissimum deserviant, ubi Deo fidelium oblationes esse collatæ cognoscuntur, quia nec pium nec justum esse cognoscitur, ut ecclesiæ præfatæ ita suis rebus spolientur, et alterius ecclesiæ necessitatibus deserviant, ut earum necessitatibus nulla videatur cura impendi. Unde sollicitus videat episcopus Bellovacensis, ut sive de feminis illic Deo deservientibus, sive de cujusque ordinis viris, sive de monasteriorum restauratione et conservatione eam curam suscipiat, quatenus et Deo dicata domus dignum se habere procuratorem gaudeat, et ipse qui præfuerit rector supernæ censuræ judicium propter negligentiam non incurrat. In sæcularium vero manus atque potestatem ipsa mo-

nasteria nulla deinceps ratione vel occasione perveniant, quia non est leve ante oculos summi judicis discrimen religiosis locis et monasteriis Deo dicatis, sæcularem præficere potestatem, et ei contradere pastoralis curæ sollicitudinem qui quid sit pastor ignorat, nec quærit lucrum animarum, sed pecuniæ censum, non ut divinis cultibus servitium impendatur, sed ut suis usibus ad dominationis votum deserviatur. Nullus itaque regum, nullus judicum, nullus sæcularis potentiæ fultus dignitate in rebus præfatorum cœnobiorum, vel in villis et aquis, vel mancipiis, et quidquid ad eadem monasteria collatum fuerit, potestatem habeat vel dominandi, vel excipiendi, vel auferendi, præter episcopum ecclesiæ Bellovacensis, sed quidquid vel in auro vel in argento, vel in quacunque supellectile, vel in omni facultatis substantia ipsis est hodie monasteriis delegatum, et futuris temporibus fuerit collatum, episcopi Bellovacensis distributioni et ordinationi fiat subjectum, nec alterius potestatis jus, vel dominatio super eis potestatem aliquam, nisi quantum divina auctoritas, et lex et justitia permittit, obtineat. Si quis autem temerario ausu sive magna sive parva persona fuerit, contra hoc nostrum apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, et cum omnibus impiis æterni supplicii incendio condemnatum. At vero qui observator exstiterit præcepti hujus, gratiam atque misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi merebitur.

Scriptum per manum Petri notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprili, indictione undecima. Bene valete. Amen. Quarto Kalendas Maii, per manum Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domino nostro piissimo Augusto Ludovico a Deo coronato, magno, pacifico imperatore, anno decimo quarto.

XXIX.

AD TRASULFUM ABBATEM CORBEIENSEM.

(Anno 863.)

Privilegium monasterii Corbeiensis.

[Apud Mansi, *Conc.* tom. XV.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, Trasulfo religioso abbati, et per te venerabili monasterio beatorum principum Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeia, in perpetuum.

Convenit apostolico moderamini, quod beatus Petrus apostolorum eximius, per attributam et revelatam sibi divinitus gratiam, licet suis longe imparibus meritis, nobis tamen singulari prærogativa, ut in totius Christianæ religionis universitate principaliter excelleremus, contulit: quatenus sicut dignitate et auctoritate per ipsius singulare privilegium omnibus præeminemus, ita universarum Ecclesiarum Dei sollicitudinem habeamus, et singulis quibusque fidelibus, atque piis locis, in quibus jugi Deo famulantium sedulitate placatur divinitas, opportuna suffragia conferamus. Unde quia non multis intercedentibus annis monasterium beatorum apostolorum Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeia, venerabilis qui tunc fuerat abbas Odo, et gloriosus dilectus filius noster rex Francorum Carolus, decessorem nostrum sanctæ recordationis Benedictum pontificem, directis ad eum tam litteris quam missis postulaverant, ut prædicto monasterio, et rerum suarum liberam concederet dispositionem, et in eligendo de semetipsis abbate regularem daret canonicamque licentiam. Quorum petitionem ille gratanter accipiens, petita concessit, et ut concessionis ejus perpetuitas servaretur, privilegium monasterio jam dicto fecit. Nunc vero adveniens venerabilis Odo Belvacensis episcopus, qui prius abbas monasterii Corbeiensis fuerat, innotuit nobis tam petitionem ipsius benigni principis, quam postulationem tuam, qui præfati monasterii Corbeiæ abbas esse dignosceris, qua postulasti, ut quæ prius monasterio illi a decessore nostro beatæ recordationis papa Benedicto concessa fuerant, auctoritatis nostræ promulgatione firmare non abnueremus. Nos itaque considerantes religiosam esse petitionem tuam, et nihil novi nos constituturos, si prædecessorum decreta sequamur, pastoralis quoque pariter esse officii, servorum Dei jugiter utilitati commodisque prospicere: decernimus ut monasterium Corbeiæ, quod ad laudem Dei, in honorem sanctorum apostolorum Petri ac Pauli constructum esse dignoscitur, et a Balthilde regina Francorum, filioque ejus Clothario, a principio fundatum, et donariis rebusque necessariis locupletatum, quod est in pago Ambianensi super fluvium Summa situm, rerum suarum liberam in omnibus habeat disponendi regulariter potestatem, ut quæcunque eidem monasterio in auro vel argento, in agris vel famulis, seu quibuslibet rebus fuerint oblata, sive in præsenti die collata esse constant, in tua tuorumque successorum abbatum fratrumque maneant dispositione: ut quidquid secundum Dei timorem, ad Ecclesiæ ipsius utilitatem, regulariter et canonice disposueritis agere, liberam in omnibus habeatis faciendi potestatem. Episcopus vero Ambianensis nullam ex eis vel accipiat, vel exposcat portionem; neque vel in abbate, vel in fratribus, vel in ipso cœnobio potestatem obtineat, neque in cellis ipsius monasterii denominatione potiatur ulla, neque in clericis, neque in famulis, et in omnibus, quæcunque ad monasterium illud videntur habere possessionis respectum, sicut jam olim concessum illi monasterio cognovimus ab episcopo Ambianensi [Bertefrido], et ab aliis episcopis Galliarum, et privilegio cessionis firmatum, tam temporibus dilecti filii nostri Caroli, præsenti tempore regnantis, quam antiquis temporibus Baltchilde, Clotharioque Francis principantibus; nisi quantum canonicus ordo permittit. Nec ad monasterium, seu cellas ejusdem, vel ipse per se episcopus, vel œconomus ejus, vel archipresbyter, vel archidiaconus illius, aut quælibet ex ejus agentibus persona, potestatem habeat acce-

dendi, nisi forte ab abbate monasterii, vel fratribus, necessitatis causa, vel dilectionis gratia, vocatus advenerit; ne importunitate sui, ministrorumque suorum inquietudine, fratres vel abbates sustineant ullam molestiam. Neque in ecclesiis prædicto monasterio subjectis, vel in presbyteris eisdem ecclesiis ordinatis, aliquam tentet facere perturbationem, vel abbati, vel fratribus, novam constituendo, et antiquam consuetudinem violando; sed sicut regulariter et canonice disposita sunt, et longo jam tempore manentia, ita quoque futuris temporibus maneant inconcussa. Nec potestate episcopalis fastus abutens, violenter contra constituta majorum disponere velit aliquid adversus voluntatem abbatis, et fratrum in ipso cœnobio Deo quocunque tempore militantium. Ordinationes quæ necessariæ fuerint in monasterio, sive de monachis, sive de canonicis, et quas petierint abbas et fratres, agere non differat. Altaris quoque et basilicarum benedictiones, sive consecrationes, prout necessitas postulaverit, vel in ipso monasterio, vel in agris ipsius monasterii libenter concedat : chrisma quoque, oleumque consecratum per singulos annos præbere non differat : et pro his omnibus nullum munus accipiat, ne Spiritus sancti gratiam vendere conatus, Simonis damnationem, quod absit, sustineat. Hoc constitutum non solum episcopum Ambianensem, verum etiam omnes per Galliæ Germaniæque provincias episcopos, ubicunque præfatum monasterium vel ecclesias, vel agros, vel famulos habere dignoscitur, observare sine cunctatione, sen contradictione decernimus, ut nullus potestatis jure, de rebus præfati monasterii, sine voluntate abbatis fratrumque ipsius cœnobii abutatur; sed maneant omnia quæ collata sunt, fuerintque, in rectoris ipsius monasterii potestate, et regulari dispositione, neque sit aliquis vel regum, vel ullius potestatis, seu dignitatis fultus gradu, qui de monasterii præfati rebus, vel violenter, vel potenter invadat aliquid, vel diripiat. Abbatem vero fratres ipsius monasterii de se ipsis eligendi semper habeant potestatem, et eam personam eligant, quæ monachi propositum et habitu et moribus profiteatur, non canonicum, aut laicum, neque alterius monasterii monachum : quoniam monachico ordini præficere vel laicum, vel canonicum, non est servare ordinis professionem, sed evertere, quod unusquisque præpositus cujus est ordinis, ejus quoque erit et propagator : nec bene disponet aliquando cujuscunque militiæ vitam, cujus non fuerit ipse qui disponit æmulator. Sed neque rex, neque potestas aliqua, ullam monasterio Corbeiensi præponat personam, quam non fratres ipsius elegerint monasterii. Debent enim mundi principes honorem præstare Deo, quem sibi volunt præstari a Deo, videlicet ut quemadmodum cupiunt a Deo sibi collatum regni honorem conservari, sic Ecclesiæ Christi suam non dedignentur servare legem. Non enim decet, neque justum videri poterit, ut sibi militantibus, de Ecclesiæ Christi possessionibus mercedem restituant, et quod de republica sua retribuere debent, id reddere velint de his quæ collata sunt Deo. Qua de re præcipimus omnino, ut monasterio beatorum Petri ac Pauli, quod Corbeiæ dicitur, nullam præficiant personam, vel ex sibi militantibus, vel ex alienos monasterio sumptam, quæ non per electionem sumatur probabilem, sive de laico, sive de canonico, sive de quocunque fuerit ordine. Quoniam vero multæ quæruntur ab importunis hominibus malignitatis occasiones, et necesse est semper adversarii tela clypeo protectionis repellere, decernimus ut abbas, postquam electus fuerit et ordinatus, nulla potestate prævalente dejiciatur, nisi in criminis causa fuerit deprehensus, cujus merito rectoris non debeat administrare officium. Infamiæ vero maculis, seu criminis alicujus denotatione si fuerit appetitus, non præter canonicam et regularem deponatur examinationem. Hoc vero constitutum si fuerit ab aliquo prævaricatum, per episcopum Ambianensem, quisque ille fuerit, ex nostra conveniatur, auctoritate, ut eum qui hujus sedis constituta convulserit, conveniat, et iniquitatis suæ culpam commoneat, cuique periculo subjiciatur, notum faciat. Quod si vel ipse neglexerit, vel despexerit, vel timuerit perficere, metropolitanus episcopus conventus a fratribus ipsius cœnobii, personam hujus sanctionis violatricem adire non differat, et hujus nostri decreti testificationem innotescat, utque ab eo quod prave gessit recedere non moretur, ex sua nostraque auctoritate contestetur. At si ille contumaciter in sui facti perpetratione permanere decreverit, et non quod inique gessit corrigere maluerit, licentiam habeant fratres monasterii prædicti Romanam apostolicamque sedem adire, et necessitatis suæ causas ante papam, qui tunc fuerit, urbis Romæ deponere, et præsentis præcepti constitutionem manifestare : sicque Romanus pontifex, cognita causa, justæ damnationis sententia reum mulctare non cunctetur. Si quis vero sacerdotum vel clericorum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, ordinis sui dignitate careat; laicus vero, cujuscunque sit potestatis, vel dignitatis, si hujus privilegii decreta in aliquo violaverit, reum se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et nisi vel ea quæ ab eo sunt mala ablata restituerit, vel digna [*edit. Rom.* vel legitima] pœnitentia illicite acta defleverit, Dei et beatorum apostolorum Petri ac Pauli auctoritate atque nostra sententia anathematis vinculo innodatus, a sacratissimo corpore ac sanguine Domini nostri Jesu Christi alienus existat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem venerabili monasterio justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ quietis inveniant. Scriptum per manum Leonis notarii regionarii, et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, indictione XI. Data IV Kalendas Maias, per manum

Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domino piissimo Augusto Ludovico a Deo coronato, magno, pacifico imperatore, an. XIV, et post ejus annum XIV [*forte*, et post consulatum ejus anno XIV, HARD.], indictione XI.

XXX.

NICOLAI PRIVILEGIUM PRO SANDIONYSIANO MONASTERIO.

(Anno 863.)

[Apud Felib., *Hist. de l'abbaye de Saint-Denis* inter *probat.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis fratribus ac filiis nostris in venerabili monasterio sancti Christi martyris Dionysii sub regula sancti Benedicti religiosa conversatione degentibus, nunc et futuris temporibus.

Quando ad ea quæ catholicorum regum corda pontificalibus sunt monitis provocanda, ita ardenti desiderio divina proveniente gratia succeduntur, ut ab eis ultro poscantur, tanto alacri et læto sunt animo concedenda, quanto et ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde, juxta scripta petitoria filii nostri præcellentissimi regis Karoli, hujusmodi privilegium præsentis auctoritatis nostræ decreto eidem monasterio vestris futurisque temporibus indulgemus, concedimus atque firmamus, ut sicut ipse gloriosissimus filius noster divino ductus amore, de villis ac facultatibus, seu stipendiis specialiter monachorum, et ecclesiæ ornamentorum, vel luminariorum, ac matriculariorum, seu hospitum, atque pauperum usibus servata, vel emeliorata, seu aucta, ordinatione quæ tempore piæ memoriæ genitoris sui Ludovici Augusti, et Dagoberti quondam regis, atque aliorum regum, necnon et Pepini inclyti regis atavi ipsius, et Karoli imperatoris divæ memoriæ avi ipsius, exinde fuerat facta constituit, et præcepto suæ auctoritatis firmavit, privilegiumque venerabilibus fratribus ac filiis nostris episcopis illarum regionum fieri et confirmari fecit, ita sicut in eodem privilegio, atque præceptis regiis filii nostri Karoli exinde fatis continetur, perpetuo inconvulsa permaneant. Constituimus etiam auctoritate beati Petri, ut nullus regum, nemo antistitum, vel abbatum, seu quilibet quacunque præditus dignitate, de his quæ in præfato privilegio, seu in præceptis ipsius filii nostri Karoli, ex his quæ præmisimus factis continetur, vel in futuro ab eo, vel a quibuslibet aliis de proprio fuerint his specialibus usibus jure collata sub cujuslibet causæ occasione, sive specie, quidquam minuere vel auferre, et sive suis usibus applicare, vel aliis (quasi piis causis) pro suæ avaritiæ excusatione præsumat concedere, sed cuncta quæ præfatis usibus monachorum, et ecclesiæ ornamentorum, vel luminariorum, matriculariorum, hospitum, et pauperum oblata sunt, vel offerri contigerint, perenni tempore illibata et inconvulsa, ac sine aliqua inquietudine eorum usibus pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura permaneant. Hæc igitur omnia quæ hujusmodi præcepti decretique nostri pagina continet, tam vobis quam cunctis qu in eo quo estis ordine locoque successerint, vel eis quorum interesse potuerint, in perpetuum conservanda decernimus, salva in omnibus quæ hujus decreti pagina continentur auctoritate, et honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et sedis apostolicæ privilegio. Si quis autem temerario ausu magna parvave persona contra hoc nostrum apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, et cum omnibus impiis æterni incendii supplicio condemnatum : at vero qui observator exstiterit præcepti hujus, gratiam atque misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.

Scriptum per manum Sophronii notarii regionarii et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, indictione undecima. † Bene valete. Datum quarto Kal. Maias per manum Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ, imperante domno piissimo Augusto Ludovico, a Deo coronato, magno, pacifico imperatore, anno quarto decimo regni ejus, indictione undecima.

XXXI.

EPISTOLA NICOLAI AD CAROLUM CALVUM.

(Anno 863.)

[Apud Dublet., *Hist. de Saint-Denis*, pag. 456.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, excellentissimo CAROLO regi Franciæ.

Supernæ miserationis respectu ad hoc regiminis curam suscipimus, ut pie precantium votis faveamus, et ad stabiliendam sanctorum firmitatem, in quibus laus divina die noctuque per universam Dei Ecclesiam per orbem diffusam Deo persolvitur, aurem accommodemus. Pro hoc enim præmium piissimum apud misericordem Dominum recipere credimus. si venerabilia loca opportune ordinata, et ad meliorem statum perducta, nostris fuerint privilegiis roborata. Igitur, quia litteris tuæ celsitudinis, fili charissime, nobis innotuisti de monasterio sancti Christi martyris Dionysii, speciali, ut scripsisti, patroni tui, quondam a Ludovico filio Dagoberti regis Franciæ, de potestate sedis Parisiacæ episcopi, cum consilio pontificum ejusdem patriæ quod fuerit ereptum, et abhinc sub regimine regum, vel clarissimorum abbatum semper dispositum, a nobis postulasti ut privilegium episcoporum de eodem monasterio factum nostro privilegio, imo magis apostolorum principis, roboraremus auctoritate, quod licentissime secundum tuam benevolentiam petitionem fulcimus : auctoritate siquidem beati Petri apostolorum principis qui potestatem ligandi atque solvendi a Domino accepit (*Matth.* XVI), cujusque nos vicarii existimus, stabilimus ut ipse sanctus locus sicut regum præceptis, et privilegiis apostolicis est fultus, per omnia tempora, sine repetitione cujuscunque episcopi Parisiacæ sedis, aut alicujus judiciariæ potestatis, vel cujuscunque præpotentis hominis, semper sicut præoptat et expetit benevo-

lentia tua, ratus futuro tempore permaneat, quatenus abbas et fratres ejusdem loci venerabiles,pro statu regni vestri et ablutione scelerum vestrorum, et filiorum vestrorum, Deo grates et vota solvere delectat.Si quis autem magna parvaque persona temerario ausu causa cupiditatis vel potestatis hoc nostrum decretum violare præsumpserit, si non resipuerit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum,et a regno Dei penitus alienum,et cum Juda traditore, vel cum omnibus impiis, æterni incendii pœnis damnatum ; causa vero infractionis nostri privilegii ad posteros nostros perveniat.Observator autem hujus firmitatis gratiam et misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo consequi mereatur.

Scriptum per manus Sophronii notarii ac scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ,in mense Aprili,indictione undecima. Bene valete. Data quarto Kalendas Maias per manum Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ,imperante domno piissimo perpetuo Augusto Ludovico a Deo coronato, magno,pacifico imperatore,anno 14 regni ejus.

XXXII.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 863.)

Confirmatio synodi Suessionensis anni 853, *cum privilegio Hincmari archiepiscopi et Ecclesiæ Rhemensis.*

[Apud Mansi., *Conc.* tom. XV.]

Nicolaus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Hincmaro Rhemorum archiepiscopo.

Pastoralis sollicitudinis cura constringimur, et loci sublimitate,qua nos superna providentia totius domus suæ generalitati præposuit, provocamur, ut apostolatus nostri apex in ea tanquam lapis positus angularis, ad imitationem ipsius, fidelibus quidem et humilibus tutissimum et firmissimum refugium, quo cuncti frangantur tumentes hostium fluctus,exhibeat ; his autem qui offendunt verbo,nec credunt in quo et positi sunt, sit lapis offensionis, et petra scandali. Proinde, quia dilectio tua, sequens instituta majorum, ea quæ possunt aliquam recipere quæstionem,ad nos, quasi ad caput et apicem episcopatus,referre episcopaliter [specialiter] studuit, (quod nos libenter accepimus,quia hinc dilectionem tuam memorem canonum comprobamus) synodum illam, quæ a te et cæteris venerabilibus archiepiscopis atque episcopis in urbe Suessionum [Suessorum] anno Incarnationis dominicæ 863,indictione prima,v Kalendas Maii fuerat celebrata,et a decessore nostro beatæ memoriæ Benedicto papa est confirmata, sicut idem sanctæ recordationis pontifex illam confirmavit, ita et nos eam confirmatam, et irrefragabilem, perpetuoque mansuram apostolica auctoritate decernimus,salvo tamen Romanæ sedis in omnibus jussu atque judicis.Præterea quidem et sancimus,ne quilibet ex Rhemorum Durocortorum provincia regionis Belgicæ regulariter subjectus Ecclesiæ,te contempto, vel posthabita coepiscoporum ipsius diœceseos provinciali synodo,impune audeat, seu valeat aliena expetere aut exspectare judicia, aut alienas contra canones ordinationes suscipere, vel ad alias provincias irregulariter convolare ; sed ita ut Nicænorum et cæterorum conciliorum canonicis definitionibus est promulgatum, et beatorum Siricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini, Bonifacii, Leonis, Hilarii, Gelasii, Gregorii, ac cæterorum Romanæ sedis pontificum constitutionibus est decretum, salvo in omnibus jure apostolicæ sedis, velut ab ipso Christo et sacris est cautum canonibus,cuncti sive in prælatione, sive in subditione [subjectione] debita, ordinem ab ecclesiasticis regulis traditum observantes, metropolitanæ tuæ auctoritati, honeste tamen et canonice præcipienti,obediant, et studiosius obtemperare procurent. Et hoc promulgamus,atque apostolica auctoritate statuimus,ut te, quem primatem ipsius provinciæ sanctæ memoriæ præsules prædecessores nostri,Leo scilicet in largitione usus pallii, et Benedictus privilegio suæ corroborationis,ut et antecessores eorum tuos prædecessores, canonica auctoritate et antiqua consuetudine, pro metropolis Ecclesiæ [Rhemensis] genio confirmaverunt,et nos primatu beati Petri Dei voce percepto pariter confirmamus. Nullius unquam infestatio contra canonica apostolicaque decreta sive judicia opprimat,aut ab Ecclesia tibi commissa virtute vel facultate nudare, aut ante audientiam Romani pontificis,quia nec regulæ hoc permittunt ecclesiasticæ, judicare te vel condemnare præsumat. Quod etsi temerarius quisquam forte præsumpserit, nullius excommunicationis,vel obligationis,seu condemnationis sententia sine decreto Romani pontificis tenearis astrictus.Sed si a quocunque vel undecunque fueris compellatus ut debeas judicari,apostolici papæ judicio te reservari, nostra, imo beati Petri apostoli auctoritate decernimus ; nec alterius cujuscunque juri, vel judicio te subjici,excepta potestate sedis Romani pontificis, nec ad alterius primatis provinciæ synodum,nisi ex communi placito, posse convocari mandamus.Ita tamen,si in nullo negotio, apostolicæ Romanæ sedis jussionibus inventus fueris inobediens.Et hoc constituimus,ne quilibet ex provincia metropoli tuæ tibique subjecta,jus secundum ecclesiasticas constitutiones primatui Ecclesiæ tuæ et tibi debitum,et secundum sacros canones,et decreta Romanorum pontificum, ex antiqua consuetudine traditum ac constitutum, quoquomodo per contemptum convellere, aut provinciam dividere, aut tibi, vel Ecclesiæ tuæ, quamcunque violentiam contra eadem canonica constituta,et decreta Romanorum pontificum, pertinaciter inferre præsumat. Quæ omnia suprascripta violari a quoquam, cum anathematis interpositione,beati apostolorum principis auctoritate,et nostra apostolica sententia prohibemus.Eo duntaxat tenore et conditione hæc per hujus præcepti decretique paginam tibi omnibus vitæ

tuæ diebus habenda concedimus,ad tuæque securitatis quietudinem ac decorem valere disponimus : si tam in præsenti,quam semper,dum tamen in hac vita superstes exstiteris,in nullo ab apostolicæ sedis præceptionibus quoquomodo discrepaveris.Quod si a sanctæ Romanæ Ecclesiæ constitutis, vel ab ejus præsulum jussionibus, quolibet tempore inventus fueris segregatus,eorumque sive per epistolam,sive per verba,mandatis obedire neglexeris,hujus privilegii atque præcepti tenor nullius momenti penitus judicetur,et cuncta quæ in eo continentur, irrita in perpetuum atque inania prorsus existant. Si quis autem temerario ausu,magna parvave persona,contra hoc nostrum apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, et cum omnibus impiis æterni incendii supplicio condemnatum. At vero qui observator exstiterit præcepti hujus, gratiam atque misericordiam, vitamque æternam a misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Zachariæ notarii regionarii, et scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprili, indictione XI. Bene vale. Data IV Kalendas Maii, per manus Tiberii primicerii sanctæ sedis apostolicæ,imperante piissimo domino imperatore Augusto Ludovico, a Deo coronato, magno, pacifico,imperii anno XIV, indictione XI.

XXXIII.

AD EUMDEM.

(Anno 863)

De Rothado iterum præcipit ut Lomam mittatur juxta litteras ad synodum rescriptas, et de privilegiis,quæ Hincmarus Ecclesiæ suæ confirmari postulabat, differt assensum.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, HINCMARO archiepiscopo.

Beatitudinis tuæ lectis apicibus, quia fraternitatem tuam circa sanctam Romanam sedem,cui auctore altithrono præsumus, ergaque nostrum pontificium,in eadem qua solita erat [edit.Rom., *persistere*]devotione respiremus,lætitia multa repleti, debita omnipotenti Domino gratiarum officia persolvimus, sanctitatemque vestram ad sedem apostolicam, de his quæ sibi visa sunt referentem, ac pro Ecclesiæ sibi commissæ necessitatibus, atque utilitatibus,apostolatum nostrum postulantem laudavimus ; et nihil esse quod fraternitati tuæ denegare oporteret penitus judicantes,ut annueremus petitis confestim corde concepimus, menteque deliberavimus. Cumque lectis monumentis gestorum,quibus cum cæteris coepiscopis tuis visa est tua quoque venerabilitas subscripsisse, invenimus sanctissimum fratrem Rhotadum apostolicam appellantem sedem, vobis judicantibus,gradu episcopatus dejectum valde doluimus ; et cordis nostri gaudium,quod fratris et coepiscopi nostri Odonis adventus fecerat,cognito a veneratione tua contra spem hujusmodi commisso mœror continuus pepulit. Præsertim cum tanta fuerit apud sedis apostolicæ præsules circa reverentiam tuam ex longo jam tempore confidentia,ut tibi præsentia tuæ dilectionis existeret,nunquam appellantem aliquem apostolicam sedem, quodvis sustinere detrimentum credere aliquo modo quivissemus, etiamsi de hujusmodi re in sacris canonibus quid observandum esset nihil prorsus inveniretur. Præcipue cum tantæ sapientiæ te virum esse non nesciremus, tantæque familiaritatis fiduciam apud dilectum filium nostrum regem Carolum comperissemus tuam habere sanctimoniam,ut si qua in illis partibus mala in Ecclesia Domini pullularent, per tuæ sollicitudinis industriam resecare radicitus,meditaremur. Debuerat certe beatitudo tua, cum Rothadum toties examinaveras, scribens sancti Petri memoriam honorare, ejusque judicium, etiamsi nunquam appellasset idem Rothadus,modis omnibus præstolari.Et si id agere noluisses, saltem post appellationem,cathedræ ipsius, qui videbatur ejectus,alterum non ordinasses, priusquam ejus causa juxta sacros canones in nostro judicio fuisse terminata.Verum de Rothado, viro venerabili, secundum indultam nobis a sanctis regulis potestatem,quæ præcipiunt id observandum, quod nostro qualicunque consilio visum exstiterit,in epistola nostra,quam ad communes fratres et coepiscopos nostros in regno gloriosi regis Caroli charissimi filii nostri constitutos transmisimus, inter quos et tua connumerata sanctitas cernitur,decretum atque definitum a nobis esse dignoscitur.Ad quam fraternitas tua recurrens, quid de te censuerimus facile cognoscere poterit. Cui definitioni nostræ bene facies attendendo,ne si diutius contra interdicta præsumpserit, canonicis legibus augustetur.Privilegia præterea ab apostolica sede vestræ Ecclesiæ confirmanda deposcitis, qui tamen nostra privilegia quantum in vobis est,infirmare satagitis.Portum salutiferum sanctam Romanam Ecclesiam appellatis,qui tamen in eo ne aliqui salventur, quantum potestis, satagere procuratis. Quomodo, rogo, privilegia tua stare poterunt,si ita privilegia illa cassentur,per quæ tua privilegia initium sumpsisse noscuntur? aut cujus momenti erunt tua,si pro nihilo nostra pendantur? si namque sal infatuatum fuerit, in quo salietur? (*Matth.*. v.) Verumtamen sanctitati ac dilectioni tuæ injungimus atque præcipimus,ut lecta sanctionis nostræ pagina, quam per Odonem communem fratrem et coepiscopum beatitudini tuæ,atque cæteris comministris tuis direximus, quæ de sæpe nominato Rothado decrevimus,una cum eis studeas consummatione perficere: quatenus et charitati nostræ et amicitiæ atque gratiæ particeps semper inveniaris,et ad amputanda noxia hostium sanctæ Dei Ecclesiæ germina, atque ad salubria serenda sanctitatem tuam consociam, de cætero familiariter habeamus : sicque demum tanto studeamus,etiam non postulati,contra omnes malevolos tuos, tuæque Ecclesiæ adversarios, tibi privilegia promulgando, et arctius inhærendo, for-

titer expugnare, quanto senserimus fraternitatem tuam contra beati Petri apostolorum principis ejusque sedis privilegia nullo argumento, nulla prorsus adinventione anhelare; sed in eorum veneratione, et defensione, atque excusatione, totis viribus, tota intentione velle persistere. De reliquo, frater charissime, hortamur ut dilectissimum filium nostrum Carolum, excellentissimum regem, ad divina præcepta semper erudias, semper accendas, et ut in ea qua cœpit devotione, atque dilectione erga sanctam Romanam Ecclesiam, apostolicamque sedem permaneat, studio curioso decertes, solertioque prudenti semper invigiles. Cætera vero, quæ hujus paginæ tenoris inserta non sunt, communis frater et coepiscopus Odo qui de tuæ sanctitatis virtutibus nostrum animum plurimum exhilaravit, viva voce poterit enarrare. Sane postremo ad memoriam tuam reducere volumus, nos ecce jam secundo, ut virum venerabilem Rothadum apostolicæ sedi destinasses, sanctitati tuæ misisse. Quod providendum est, si tertio dilectioni tuæ dirigere pro hoc ipso coacti fuerimus, ne in contemptorem sacrorum canonum diffinitivam ac peremptoriam, quod non optamus, sententiam proferamus. Dextera te supernæ majestatis protegat semper, et ab omnibus adversitatibus illæsum custodire dignetur.

XXXIV.

AD EUMDEM.

(Anno 863.)

Ut Rothadum episcopum Suessionensem dejectum sedi suæ intra dies triginta restituat, aut Romam cum eodem ad causam dicendum veniat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo fratri nostro Hincmaro Rhemorum archiepiscopo.

Sanctitatem vestram, quam semper in virtutum exercitiis conversantem comperimus, et in doctrinis ecclesiasticis proficientem, fama crebrescente didicimus, aliter apostolicam reverentiam præ oculis habere sperabamus, quam frequens dictat opinio. Denique fidelium multorum exinde dolentium auditu veraci cognovimus, quod Rothadus frater et coepiscopus noster Ecclesiæ Suessionicæ pro quodam presbytero qui pro facti sui qualitate honoris proprii ante triennium fuerat privatus officio, a vestra sanctitate fuit impetitus, et adhuc, quod nefas est, sedem apostolicam appellans, juxta quod sibi a patribus constat esse permissum, episcopatus etiam absens exspoliatus honore, et in exilium deportatus, hactenus in monasterio retrusus existat. Unde gemimus, valdeque dolemus. Nam cum debuerat honoribus pro sua senectute multiplicibus ampliari, et pro tot laboribus et obsequiis in Ecclesia Dei, pariter et principibus mundi, fideliter ac utiliter impensis, majori dignitate frui, et jam tandem sine cujusquam impulsione quietus existere: nunc e contra dehonestatus, et ad injuriam beati Petri apostolorum principis, cujus sedem appellaverat, fame, et siti ac innumeris maceratus miseriis, ac depositus pariter et abjectus existit. Unde valde miramur, ac vehementissime obstupescimus, quomodo luminum vestrorum serenitatem tam repentina potuerit obtenebrare caligo, adeo ut privilegia apostolicæ sedis, quæ intemerata a tota Christi servantur Ecclesia, contemplari despexeritis, atque ipsos paternos canones nescimus qua auctoritate disruperitis. Quod omnino inultum manere non patiemur, ut qui prohibita præsumpsit, minime quæ sit censura canonica experiatur. Ita ut omnibus manifestum faciamus, quod nullum fratres nostros aliquo modo patiamur sui sustinere dispendium, neque sanctorum Patrum statuta vilescere permittamus. Verum interim Dei summi sanctorumque apostolorum principum Petri et Pauli, et nostra per eos auctoritate, fraternitati vestræ injungimus, ut si nostræ charitatis et communionis, sicut hactenus voluistis videri participes, jam dictum fratrem nostrum Rothadum episcopio partier et pristino honoris sui officio restituatis: ita ut tali per omnia decoretur honore, et omnibus ita reddatur integer officiis, qualem illum eo constat fuisse tempore, quando expellendus apostolicæ sedis memoriam fecit Et ita demum, si qui videntur illius esse calumniatores, cum presbytero illo qui dejectionis ipsius causa exstitit, Romam pariter cum sæpe nominato Rothado, omni remota occasione, indesinenter occurrant. Hoc autem expresse decernimus, ut post triginta dies, postquam hæc nostra epistola ad vos delata fuerit, aut præfatum virum Rothadum omnino restituatis pristinæ dignitati, aut, si juste vos in eum egisse putatis, Romam eum eodem vos, vel vester legatus vestram invicem in omnibus ferens, ut utriusque partis causam ad liquidum sciamus, adveniat. Quod si post præfixos triginta dies, quæ in hac apostolica auctoritate plena continentur epistola minime obedire ac perficere studueritis, decernimus ac promulgamus, ut missarum solemnia tandiu celebrandi non habeatis licentiam, quandiu quæ definimus perducta ad consummationem non fuerint. Qua sententia non solum vos, sed et omnes episcopos obligare decernimus, qui vobis in depositione præfati viri Rothadi consensisse noscuntur. Idipsum vero illos per vos scire præcipimus.

XXXV.

AD EPISCOPOS SYNODI SILVANECTENSIS.

(Anno 863.)

Rescindit acta synodi contra Rothadum : jubet ut ab exsilio revocetur, Romamque ad retractandum judicium cum synodi legatis dirigatur. Respondet etiam sub finem de Balduino, et de causa Lotharii ac Theutbergæ.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, reverentissimis confratribus nostris, metropolitanis, episcopis et cæteris diversarum provinciarum ac urbium præsulibus, qui in Convicinum villam publi-

cam secus civitatem Silvanectensis concilii [*Legendum videtur*, concilii causa, *ex Grat. dist.* x, c. 1], convenistis.

Scriptis dilectæ fraternitatis vestræ susceptis, et inspectis attentius in eis omnis scientiæ et sapientiæ sanctitatis vestræ fluentis, quæ non aliunde in pectora vestra utique nisi ab ipso fonte vitæ poterant emanare, cognita devotione et summi amoris affectu, quem circa hanc sanctam Romanam Ecclesiam, apostolicamque sedem vos retinere monstrastis; et quoniam ex amore secundum constitutionem majorum, ut eadem ipsa verba ponamus, non solum de omnibus quæ possunt aliquam recipere dubitationem, vel quamcunque incurrere quæstionem; verum de cæteris atque majoribus negotiis ecclesiasticis exsequendis, ad apicem episcopatus, id est ad magni Petri sedem debere vos referre cognoscitis: horum auctori ac omnium bonorum largitori Deo, et Domino nostro gratiarum multimodas retulimus actiones. Qui ideo in sancta Ecclesia vos rutilantes, tanquam splendidas stellas verbum vitæ continentes, et morum ac virtutum vestrarum lumine longe lateque proximus illustrantes voluit collocare, ut merito eamdem sanctam Ecclesiam, juxta ipsius magisterii dictum, cœli nomine, ubi talia nimirum fulgent luminaria, valeamus veraciter appellare. De cætero vero, fratres charissimi, dicentes in provinciis vestris paganorum crebris vos laborare infestationibus, insuper et Ecclesias Christi in illis partibus constitutas ab intestinis, id est a suis multa incommoda tolerare, plurimum lamentamur, et vobis oppido compatimur, et contristamur. Quamvis, dilectissimi, non adeo super his contristari ac mœroribus affici debeatis, scientes quoniam tribulatio, secundum Apostolum, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundetur (*Rom.* v.) Siquidem locus hic est afflictionis, hic convallis lacrymarum, donec videamus Deum deorum in Sion. Hic est ubi in lacrymis seminamus, ut postmodum in gaudio metamus. Hic est, inquam, Ægyptus, hic est fornax ferrea, ubi spiritalem Israelem diris oportet lateribus fatigari, donec terram promissionis ingrediamur, id est, donec Dominus cum ei perfecte placuerimus, in regione vivorum se nobis promissum ostendat. Hic opus est, ut quæ ad templi sancti structuram pertinent, summi artificis manu et provisione aptentur: ut cum tonsiones, sonitus, præssuræ, ac persecutiones sæculi præsentis transierint, sine aliqua tortitudine vel inæqualitate in cœlesti fabrica, tanquam lapides vivi idonei, in omnibus comprobemur. Quapropter hæc scientes, dilectissimi, spei vestræ anchoram in cœlesti statione figentes, hujus mundi procellas despicite: quia protector noster omnipotens jam non dormit, qui imperat, et mare et venti obediunt ei, fitque tranquilitas magna. Propterea de Rothadi damnatione apostolicæ sedi referre jure studentes, petistis ut nostra etiam auctoritate rata esse probarentur, quæ de eo apud vos in concilio acta fuisse perhibuistis. Quod agere penitus recusamus, quoniam nos, ut eadem ad Flavianum sancti Leonis dicta ponamus, qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus cujusque partis præjudicio diffinire, priusquam universa quæ gesta sunt veraciter audiamus. Sed fortasse dicetis, vos universa quæ de eo gesta sunt nobis per scripturæ seriem veraciter retulisse, et per fratrem et coepiscopum nostrum Odonem, qui pene conciliis vestris semper affuerit, cuncta pleniter intimasse. Quibus scitote nos satis credere, et ad custodiam disciplinæ ecclesiasticæ consensum præbere potuisse, nisi excusationes et defensiones illius, suggestorumque series innocentiam ipsius, et vestram nocentiam demonstrantium, a vicinis vestris compluribus apostolatui porrectæ apud nos haberentur, et frater coepiscopus noster Odo nihil accusationis publicæ voluerit a nobis interrogatus ei objicere. Quanquam si objecisset, nihil ad damnationem jam dicti Rothadi proficeret, cum neminem partis illius, qui objectis vel annueret, vel remueret, nostram constaret adiisse præsentiam (nam accusatores quæcunque voluerint dicunt) et sciamus juxtum mediatorem non esse, qui sic unam partem audit, ut alteri parti nihil reservet. Præsertim cum Dominus pro absente, et non audito, per Moysem, præcipiat, *jam non maledices*, inquiens, *surdo, nec coram cæco pones offendiculum* (*Levit.* XIX). Ignorare autem fraternitatem vestram non patimur, animum nostrum non mediocriter læsum, eo quod secundum gestorum tenorem et vestrarum suggestionum, quas ad sedis apostolicæ direxistis, cognitionem, appellantem eumdem Rothadum apostolicam sedem deposueritis, ac in monasterio retruseritis: quod nonnisi in contemptum beati Petri, cujus judicium expetivit, et in contumeliam sacrorum canonum, et ecclesiasticarum traditionum præsumptum, ac temere admissum minime dubitatur. Insuper autem, et ad imminutionem apostolicæ et summæ sedis privilegiorum, quibus vestrarum quoque ecclesiarum privilegia firmare deposcitis, imperatorum leges proponitis, quibus quasi prohibentibus, astruere non habuisse appellationis vocem Rothadum nitimini, cum constet constitutionibus mundanarum legum, et imperatorum, non omnibus [*forte*, non in omnibus. HARD.] ecclesiasticis controversiis utendum esse, præsertim cum inveniuntur ecclesiasticæ (*edit. Rom.*, evangelicæ) ac canonicæ sanctioni obviare. Ad quod ostendendum duorum heroum, Innocentii scilicet et Gregorii, satis sufficiunt testimonia. Sanctus Innocentius quidem in decretali epistola sua ad Alexandrum Antiochenum episcopum, ait: Nam quod sciscitatis, inquiens, utrum divisis imperiali, judicio provinciis, ut duæ metropoles fiant, sic duo metropolitani episcopi debeant nominari. Non ergo visum est, ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque ac divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit imperator. Beatus autem Gregorius scribens ad Theoctistam patriciam, inter cætera: Si enim, inquit,

religionis causa conjugia debere dissolvi dicunt, sciendum est quia, etsi hoc humana concessit lex, tamen divina prohibeat. Ecce quemadmodum imperiali judicio non possunt ecclesiastica jura dissolvi : ecce qualiter quod lex humana concessit, lex divina prohibeat. Non quod imperotorum leges, quibus sæpe Eeclesia circa hæreticos utitur, sæpe circa tyrannos, atque circa pravos quosque defenditur, dicamus penitus renuendas : sed quod eas evangelicis, apostolicis, atque canonicis decretis, quibus postponendæ sunt, nullum posse inferre præjudicium asseramus. Quanquam scripseritis appellationes ejus frustratorias, excusationes ac dilationes fuisse tantum quærentes, quod quibus argumentis firmetis, præsertim cum annuentibus sibi canonibns apostolicam sedem appellasse solemniter videatur, non facile patet. Quippe cum nemo sciat, secundum veritatis attestationem, quæ sunt in homine, nisi spiritus ejus qui in ipso est. (*I Cor.* II). Quis autem nesciat constituta Sardicensis concilii ? quæ præcipiunt post aliquot capitulo quarto : Si quis episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, et putaverit se bonam causam habere, ut iterum concilium [judicium.] renovetur, si vobis placet, sancti Petri apostoli memoriam honoremus ut scribatur ab his qui causam examinarunt, Julio Romano episcopo, et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, et det judices : si autem probaverit talem causam esse ut non refricetur, præsertim quæ acta sunt si decreverit, confirmata erunt. Item capite octavo, Osius episcopus dixit : Placuit autem, ut si quis episcoporum accusatus fuerit, et judicaverint congregati episcopi regicnis ipsius, et de gradu suo eum dejecerint, si appellaverit qui dejectus est, et confugerit ad episcopum Romanæ Ecclesiæ, et voluerit se audiri, si justum putaverit, ut renovctur examen, scribere his ecclesiis dignetur, quæ in finitima et proxima provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, et juxta fidem charitatis diffiniant. Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut e latere suo presbyterum mittat, erit in potestate episcopi, quid velit, et quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio judicaverit. Sed sicut in suggestionum vestrarum invenimus scriptis, non habuisse Rothadum appellationis vocem affirmare conamini, eo quod non habuerit bonam causam : cum constet sæpefatum Rothadum usque hodie bonam se habere causam putare, et venerandum concilium, non solum eum qui causam habet, sed et illum pui se bonam causam habere saltem putaverit, sedem apostolicam appellare permiserit, et hujus ab ea renovandum judicium decreverit. Maxime cum juxta constitutionem sanctæ hujus synodi, etiamsi nunquam reclamasset, nunquamque sedis apostolicæ mentionem fecisset, a vobis, qui causam ejus examinastis, memoria sancti Petri honorari debuerat, atque ei præscribi, ut si judicaret renovandum esse judicium, renovaretur, et daret judices. Verba certe [*forte*, vel certe. HARD.], sicut superius commemoravimus, ex ejusdem concilii sanctione, quod si probata viderentur, statueret. Sed quid mirum sit, hoc in despectu apostolorum principis vos contempsisse, cum ad injuriam sacrorum canonum, et venerabilium Romanorum pontificum decretorum, perpetrasse adhuc pejus inveniamini? scilicet, ut post appellationem et reclamationem Rothadi, in cathedra ipsius alterum consecraretis [*edit. Rom.* consecraveritis] : cum id manifestissime a sacris regulis constet esse alienum, ut loco depositi omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio episcopi Romani determinata. Sed dicitis, post appellationem apostolicæ sedis illum vocem mutasse, et episcoporum concilium expetisse. Quibus cum pace vestra fatemur, quamvis vestris assertionibus fidem adhibeamus, et ita fecisse illum. quoniam non est quod possit non credi sanctimonio, veraciter teneamus : tamen qua hoc intentione egerit (*a*), vel quod si interrogetur a nobis, respondere penitus non ignoramus, ut sicut in aliis, et incertæ rei dubium usque [*forte*, ob incertæ rei dubium usque, HARD.] ad utriusque partis examinationem procul dubio remeetur. Præterea fraternitatem vestram non credimus ignorare, ante ad fratrem nostrum Rhemorum episcopum apostolatus nostri nos misissæ apices, ut aut sæpefatum Rothadum venerabilem infra triginta dies post litterarum nostrarum sibi missam epistolam pristino gradui restitueret, aut eum cum idoneo suo legato, si ipse venire non posset, una cum accusatoribus ejusdem viri, si tamen essent, atque cum presbytero, qui causa dejectionis ejus fuit, misisset. Quod si neutrum agere voluisset, post triginta dies præfixos, nec ipse, nec quilibet episcoporum, qui in depositione præfati episcopi consenserant, licentiam missarum solemnia celebrandi penitus habuissent, quousque quæ salubriter decreta nobis essent, obedienter ac pleniter ad effectum consummationis perducerent. Sed ad scripta vestra tendentes, quæ nunc per fratrem et coepiscopum nostrum Odonem ad sedem apostolicam destinastis, invenimus jam dictum sanctissimum virum judicio ac consensu vestro, et episcopatu privatum, et in monasterio hactenus esse retrusum : insuper et in cathedra ipsius alterum episcopum ordinatum. Quod quam sit exsecrandum, quamque a nobis nulla penitus patientia tolerandum, dici non prævalet, etiamsi cuncti corporis artus vertantur in linguas. Certe dum suggestiones, relationes, preces, consulta vestræ sanctitatis scriptis atque verbis nostris fuissent auribus inculcata, mox mente concepimus, et pene cuncta ut annueremus atque indulgeremus disposuimus. At ubi injuriam sancti Petri, sedis apostolicæ privilegiorum immunitiones, sacrorum canonum conculcatio-

(*a*) Locus obscurus.

nem perspeximus; nihil potuimus vobis propinare dulcedinis, qui toti nimirum repleti sumus amaritudine. Siquidem e contrario pro tanti contemptus mole digna vos animadversione canonica severitate merito puniremus, nisi apostolica moderatio paululum nos ad magnanimitatem, et vestra dilectio provocasset. Quod autem qualiter in vos competenter et regulariter exerceremus, ipsi nos litteris vestris affatim, et manifestissime docuistis, quæ, si opportunitas fuerit, colligi et ostendi facilius possunt. Sane interim apostolica atque canonica auctoritate vobis duntaxat episcopis, qui in depositione et exsilio supradicti Rothadi vel judicium dedistis, vel consensum præbuistis, præcipimus ut eum mox ab exsilio revocetis. Et quia secundum indultam sibi a scriptis regulis licentiam, hactenus appellare sedem apostolicam dicitur, Romam illum ad suam causam in nostra apostolica præsentia peragendam ac determinandam destinare, imo dirigere nullo modo postponatis. Dignum quippe est ut, qui vestro omnium judicio in exsilium deputatus est, vestro sit e contrario communi studio beati Petri memoriæ, et sedi ejus honorifice præsentatus. Ex vobis vero præcipimus, ut duo, vel tres, aut certe si libet plures mittantur, qui ita cunctis vestrum omnium præsentiam præferant, ut quidquid agendum est, vel experiendum fuerit, refricata quæ acta sunt vestra omnium vice prorsus sciscitentur. Quod si vos occurrere nequiveritis, vicarios vestros mittite : et ita una cum præfato religioso fratre vestro Rothado pariter veniant, in omnibus, sicut superius diximus, ad cuncta exsequenda, vel certe experienda quæ ventilata coram nobis exstiterint, vicem vestram et personam habentes. Quod si postposito nostro judicio, quod auctoritate apostolica promulgavimus atque decrevimus, occurrere contemnitis, Dei omnipotentis et beatorum Petri et Pauli apostolorum principum, quorum glorioso agone sancta hæc Romana Ecclesia, cui divina dispositione præsumus, est Domino consecrata, atque sanctorum canonum, quorum vos contemptores scriptis propriis ostenditis, necnon et nostræ mediocritatis auctoritate a missarum solemniis celebrandis estote prorsus, quousque nostris diffinitionibus obediatis, extorres : ita sane, ut si post lectum hujus paginæ tenorem, infra triginta dierum spatium, quæ de Rothado viro venerabili sanximus agenda fore, minime studueritis perficere. Scientes profecto, quoniam si post hæc in sanctarum regularum et [*forte*, nostrum, HARD.] nostrarum contemptum fueritis diutius conversati, ipsum quidem Rothadum a nobis, apostolicæ sedis more, a damnationis vinculo fore solvendum, atque convocato episcoporum cœtu, foveam quam ei parastis, vobis procul dubio præparandam. Vos autem, dilectissimi, nolite nostra decreta moleste ferre : quia sicut beatus Innocentius Macedonibus scribit, grave non oportuit videri piissimis mentibus vestris, cujuscunque retractari judicium : quia veritas exagitata sæpius magis splendecit in luce, et pernicies revocata in judicium gravius et sine pœnitentia condemnatur. Nam fructus divinus justitia recens erit, fratres charissimi, præsertim cum nihil nobis amplius sit cum Rothado quam cum omnibus Christianis. Verum privilegia sedis nostræ usque ad mortem, divina annuente gratia, vestigia patrum nostrorum sequentes defendemus. Sed et vos illa quatenus illibata, utpote totius Ecclesiæ Domini remedia, custodiantur, toto conamine, et omnibus votis operari ac suadere debeatis. Quoniam privilegia sedis apostolicæ tegmina sunt, ut ita dicamus, totius Ecclesiæ catholicæ, privilegia, inquam, hujus Ecclesiæ munimina sunt circa omnes impetus pravitatum. Nam quod Rothado hodie contigit, unde scitis quod cras cuilibet non eveniat vestrum? Sic Apostolus admonet dicens : *Qui putat se stare, videat ne cadat* (*I Cor.* x). Quod si contigerit, ut verbis utamur propheticis, ad cujus, rogo, confugietis auxilium? Hæc quidem de Rothado satis dixisse sufficiat. Cæterum de Balduino, de quo multa jam scripsitis, sciat beatitudo vestra, non nos regulas atque sancta decreta velle corrumpere : sed quia ad limina apostolorum veniens a nobis se petiit ajuvari, quanquam nossemus, quod filius noster Carolus gloriosus rex legaliter posset ei, si vellet, et filiam suam in uxorem dimittere, et misericordiæ suæ gratiam impartiri : tamen non jussa misimus, sed preces obtulimus. Quod textus epistolarum nostrarum, quas ad jam fatum excellentissimum regem, et filiam nostram reginam, ad id obtinendum direximus, vobis satis poterit indicare. Nam pro tam præsumptuosa temeritate ipsius viri, maxime cum consideremus dilectissimi filii nostri Caroli sublimis regis contrinionem cordis, et pectoris naturalem affectum, et nos valde doluimus, et ei tota mentis affectione usque hodie compatimur. Sed vestra fraternitas prævideat, sicut ait Apostolus : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* (*Ephee.* v) : et jam, sicut ipsi in vestra pagina testamini, periculosa tempora instant. Ne ergo pejus adhud aliquid oriatur, intervenientes apud eumdem gloriosissimum regem, filium nostrum charissimum, quo et ipsius cordis mærorem pellatis, et eidem Balduino non usquequaque inflexibilis perseveret; præcipue quoniam apostolorum auxilia deprecatus est, et divina præsidia requisivit. Nulli etenim regum grave esse videri debet conservo suo debitum centum denariorum dimittere, qui fortasse suo a summo regum, et Domino dominorum decem millia talentorum sibi dimitti desiderat. Porro quid de Lotharii uxoribus censuerimus, quando et de hoc nostro scripsistis præsulatui, in epistolarum nostrarum, quas per fratres et coepiscopos nostros Rhadoaldum et Joannem in Gal. liam misimus, poteritis exemplaribus reperire. Quæ videlicet exemplaria una cum commonitorio, quod præfatis fratribus nostris pro hac eadem causa ad Lotharium regem missis dedimus, per fratrem et coepiscopum nostrum Odonem vestræ sanctitati transmisimus. In quibus patenter animadvertere atque scire potestis, nobis omnino non opus esse, ut

sentiam, quemadmodum nos hortari voluistis, melius [*in edit. Rom. deest* melius] commutemus. Quoniam divina favente gratia, tantum cupimus hujusmodi scelus, secundum creditum nobis cœlitus ministerium, ab Ecclesiæ facie radicitus amputare; ut si hac vice idem Lotharius monitis salubribus, ac diffinitionibus nostris prælatis [*forte*, præfatis, HARD.], et epistolis nostris regulariter sibi missis noluerit obedire, nec ad pœnitentiam competenti satisfactione præmissa quantocius repedare a nobis, atque a totius Ecclesiæ eorpore, canonica atque apstolica sententia efficietur, una cum omnibus fautoribus et communicatoribus suis, penitus alienus, Præcipue vero quoad eum quem perhibetis die natalis Domini super adulteros benedictionem, quæ maledictio potius credenda est, protulisse [*in edit. Rom.* petivisse]. Ne vero simplices quique adulteris aliquatenus cessisse falso nos opinentur, non incongrue nostri super hoc animi votum omnibus fratribus et coepiscopis nostris intimantes, et concionando in ecclesiis vestris publice, cunctis id ad liquidum subditis exponite. De vocandis autem ex singulis provinciis pro congreganda synodo episcopis, unde scripsistis, sciat sanctitas vestra, misisse nos duos e latere in Galliam fratres et coepiscopos nostros, quorum superius memoriam fecimus, qui synodum pro examinanda causa Theutbergæ et Waldradæ feminarum convocarent: ubi et binos ex vobis præsules, sicut de aliis regnis, adesse præcepimus. Qui nisi antea reversi fuerint, et quæ egerint noverimus, nequaquam de concilio faciendo aliquid deliberare concite possumus. Licet postquam a nobis sunt separati, audivimus Lotharium a sede apostolica petitum non exspectasse consultum, nimirum quod præviderat suo detestando minime pariturum piaculo. Postquam vero præfati fratres nostri reversi fuerint, et nobis quæ gesserint enarraverint, legatos idoneos ad concilium, quod petitis, convocandum mittere ad locum designatum Deo opitulante curabimus. Omnipotens Deus ad profectum et custodiam sui gregis, super quem vos rectores ponere voluit, et hic illæsam sanctitatem vestram conservare dignetur, et post certaminis coronam in cœlesti patria faciat percipere gloriosam.

XXXVI.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 863.)

Intereedit pro Balduino, et de Rothado indicat quid scripserit ad Hincmarum, et reliquos episcopos: hortaturque illum Romam dirigat. Tum de acrioribus litteris suis satisfacit, quibus Carolus fuerat offensus.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilicto filio CAROLO glorioso regi.

O quam vera est, fili charissime, illa sententia, quam, Salomone attestante, de se Sapientia profert, cum perhibet, dicens: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt!* (*Prov.* VIII.) Quod nisi verum esset, nunquam omnino vestra sublimitas tantæ humilitatis poterat decore vestiri. Quod nisi verum esset, nunquam privatarum legum apostolicæ sedis decreta tam facili potuissetis capere mentis intuitu. Nam cum de quodam contra Deum se efferente dicatur: *Ipse rex super universos filios superbiæ* (*Job.* XLI), et vos e diverso summa videamus humilitate præditum, quid nisi vestram regalem excellentiam imitatione filium esse illius poterimus advertere, qui ait: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde?* (*Matth.* XI.) Per sapientiam ergo reges regnant, quia sapientia Patris, juxta Apostolum, Christus est (*I Cor.* I), qui est rex regum, eorum scilicet qui omnes motus corporis, omnesque mentis illicitos appetitus competenti regere moderamine norunt: de quorum numero per divinam gratiam, vos etiam perspicimus et lætamur, et Deo omnipotenti gratias, ex quo regnatis, multiplices exhibemus. Interea noverit dilectio vestra (*a*), Balduinum, ut nobis intimastis, qui natam vestram sibi furto in uxorem contra fas sociavit, quem ideo venerandi præsules, Ecclesiam Domini in regno vestro gubernantes, vinculis anathematis obligarunt, ad limina apostolorum accessisse, et ut a vinculis soiveretur, atque per nos gratiam inveniret, sedem adiisse apostolicam. Nos autem non solum eum a vinculis minime absolvimus, aut in communione nostra recepimus; sed potius tam præsumptuosam temeritatem detestati sumus, atque vestri pectoris naturalem affectum considerantes doluimus, vestræque mœstitiæ participes effecti, vobis hodieque compatimur. Verum quoniam ad divina sese præsidia contulit, amatorumque vestrorum Petri ac Pauli apostolorum principum, sibimet expetiit affore subsidia, non potuimus omittere quominus, ut gratiam vestram perciperet, apud piam excellentiam vestram interveniremus. Verum vestram in emnibus præ oculis habentes dilectionem, quanquam sciamus et filiam vestram, si libet, posse vos ei legaliter in uxorem dimittere, et pietatis vestræ clementer gratiam impertiri, non tamen jussa misimus, sed preces obtulimus. Sed quoniam dicit Apostolus: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* (*Ephes.* V), et ab eo prædicta periculosa novissima ecce jam imminent tempora, provideat solers vestra sublimitas, ne ex hoc deterius adhuc forte aliquid oriatur. Et ita vos cauta provisione undique temperate, ut mœror cordis vestri procul abigatur, et circa jam dictum Balduinum usque in finem nequaquam inexorabilis vel inflexibilis [*al.*, inexorabiliter, vel inflexibiliter, voluit: sed missis publicæ rei ministris, sicut vobis promisit, secundum leges sæculi eos uxoria conjunctione adinvicem copulari promisit, et honores Balduino pro vestra solummodo petitione donavit.»

IRM.

(*a*) *Balduinum, qui natam vestram.* Furtivæ primum, postea legitimæ inter Balduinum et Judith actæ sunt nuptiæ, Hincmarum in eadem epistola apud Flodoardum: « Dominus etiam noster rex, filus vester, huic desponsationi et conjunctioni interesse non

HARD.] persistatis. Non quo vos hæc dicendo terminos, quos posuere patres nostri, transgredi cupiamus, quos per gratiam Dei immotos perseverare semper optamus; sed quo gloriam vestram ultra quam dici possit diligentes, nullum velimus locum dare occasionem quærenti [*forte*,quærenti,*vel* quærendi. HARD.]. Præcipue cum idem Balduinus divinum postularit auxilium, et sanctorum Petri ac Pauli, intercessorum vestrorum, quemadmodum prætulimus, ut gratiam plenam a vestra clementia consequeretur, legationem atque interventionem petierit. Non plane immemor, quod ante aliquot annos quidem,qui in hujuscemodi noxam incurrerat, memoriam et sedem adiisset cœlestis clavigeri,ejusque vicarii interventu apud piæ memoriæ imperatorem Lotharium,non perdita conjuge, plenissimam indulgentiam simul et gratiam percepisset. Nulli præterea regum grave esse videri debet(quod tamen cum pace vestra dixerimus), conservo suo debitum centum denariorum dimittere,qui fortasse a summo regum et Domino dominorum decem millia talentorum sibi laxari desiderat. Porro dilectio vestra noverit, misisse nos ad Hincmarum confratrem nostrum Rhemorum episcopum, et ad cæteros metropolitas atque episcopos regni vestri, ut venerabilem virum Rothadum ab exsilio revocarent, Romamque ad ipsius causam in nostra præsentia examinandam dirigerent. Dignum quippe est,ut quorum judicio in exsilium est deportatus,eorum sit communi studio beati Petri memoriæ,sedique ipsius honorifice præsentatus.Ex illis autem præcepimus,ut duo vel tres, aut certe quotquot voluerint, veniant, qui ita in cunctis reliquorum, qui occurrere non potuerint, præsentiam præferant,ut quidquid agendum est,vel experiendum,dum fuerint refricata quæ gesta sunt, ipsorum omnium vice prorsus utantur.Quod si postposito nostro judicio, quæ auctoritate apostolica promulgavimus atque decrevimus, perpere contempserint,Dei omnipotentis,et beatorum apostolorum principum, quorum glorioso agone sancta hæc Romana Ecclesia,cui divina dispensatione præsumus, est Domins consecrata, atque sanctorum canonum quorum contemptores propriis scriptis esse liquido demonstrarunt, necnon et nostræ mediocritatis auctoritate, a missarum solemniis celebrandis sint, quousque diffinitionibus nostris obediant, prorsus extorres :ita sane,si post lectum paginæ sibi a nobis missæ tenorem,infra triginta dierum spatium, quæ de Rothado viro venerabili agenda sanximus,minime consummare studuerint.Scientes profecto,quoniam si post hanc [*forte*, posthac, HARD.] in sanctarum regularum et nostro contemptu fuerint diutius conversati,ipsum quidem Rothadum a nobis,apostolicæ sedis more,a damnationis vinculis fore solvendum: atque convocato episcoporum cœtu foveam, quam paravere, semet penitus incidendos. Quamobrem vestram nihilominus suavissimam pietatem monemus, et quantis possumus viribus exoramus, vel etiam tanquam devoto filio præcipiendo fidenter mandamus,ut jam dictum Rothadum vestro adjutum solatio ad nos usque misericorditer dirigatis :quatenus juxta decreta sanctorum pontificum Romanæ Ecclesiæ, atque statuta sacrorum canonum,nostro sit ipsius causa judicio terminata.Nam mihi credite, supra modum in damnatione prælati viri,et noster est animus læsus, et totius Ecclesiæ filiorum, ad quorum notitiam pervenit, vehementer offensus. Maxime quod ante et post damnationem suam,sedis apostolicæ idem venerabilis vir appellaverit judicium,nec impetraverit,et per talem præsumptionem summæ sedis videantur privilegia temere violari. Quæ tamen privilegia usque ad mortem, ope freti divina prædecessorum meorum vestigia sequendo, cassari taliter minime patiemur. Sed et vos,charissime, ut ea quibus potestis cultibus veneremini, summopere incitamus. Nam quomodo putatis, si opportunitas exegerit, ut vestro regno,vestris nisibus [*edit. Rom.*, jussibus],vestri regni Ecclesiis aliquod præstemus solatium, aut contra adversarios protectionis clypeum conferamus, si quantum in regni vestri partibus est,quoniam illa omuino scindi non possunt, ea vos aliquatenus minorari sinatis, quibus usi patres vestri,omne suarum dignitatum incrementum,omnemque gloriam perceperunt?Privilegia namque Romanæ Ecclesiæ totius sunt Christi, ut ita dicamus, remedia Ecclesiæ catholicæ. Privilegia, inquam,Petri arma sunt contra omues impetus pravitatum,et munimenta atque documenta Domini sacerdotum, et omnium prorsus qui in sublimitate consistunt,imo cunctorum qui ab eisdem potestatibus diversis afficiuntur incommodis. Turbati autem estis,et multo mœrore affecti,sicut in scriptis vestræ dilectionis reperimus, eo quod forti vos invectione convenerimus, et duris increpationibus vestram celsitudinem cumulaverimus. Qua de re vestra profecto non debuit usquequaque tristari sublimitas; quoniam etsi nulla erat culpa, sicut astruere humiliter contenditis, unde vestram oportuerit pietatem durius castigari: tamen discretus pater tunc aliquoties studet dilectum filium diversis terroribus,vel etiam flagellis competentibus erudire, quando nihil in eo quod reprehendat penitus intuetur.Sic Dominus beatum Job frustra se percussisse perhibet (*Job.* II), cum nihil omnino quod tantis verberibus puniri debuisset invenit,sed tamen frustra non percutit,quia hæc,quatenus per patientiam augeantur ei merita, ut discretus pater exercet. Sic nimirum, sic et vos, charissime fili, vestram sublimitatem tacita fortasse cogitatione frustra læsam a nobis querimini. Scimus tamen nos, ex qua radice contra dilectionem vestram hæc virga processerit :quæ utique non ut funditus interimeret,absit, sed quæ ad sempiterni regni gloriam felicius eruditet: scilicet quam paterna disciplina,ut apertius dicamus, ex interni affectus ramo protulit, non quam malitia ex odii radice produxit. Percuteris ergo, imo pulsaris, fili, etiam ubi te cor tuum non reprehendit, ut cautior et sollicitior,atque tutior,in

quibus delicturus eras,Deo auctore,valeas inveniri. Itaque, charissime, cum vestræ regiæ potestati ab apostolica sede interdum duriora fuerint missa,non modeste feratis, nec vos a nobis odio habitos esse putetis, quoniam aut manifeste justa sunt nostræ correptionis jacula,aut certe occulta sunt,et aliquam habentia rationem. Quapropter in utroque vestræ salutis semper invenire ne diffidatis antidotum.Nos quippe semper quidem vos in visceribus dilectionis nostræ strictos habuimus, et pro vobis Dei omnipotentis misericordiam imploravimus. Sed postquam frater et coepiscopus noster Odo, pariter et Primus fidelissimus noster,quem ad vestram gloriam miseramus, de vestra vestræque eminentissimæ ac dilectissimæ conjugis devotione erga sedem apostolicam, ac dilectione,quam circa Domini sacerdotes habetis, nobis tot retulerunt præconia,tanto arctius vos diligimus,tanto vestri pro statu regni,et vestra vestrorumque salute,DominumJesum Christum instantius deprecamur, tantoque de Northmannorum vobis subacta rabie grates auctori exsultantes rependimus ; quando hæc non ad tumorem elationis, nec ad humanæ cupiditatis ardorem profutura, sed ad exaltationem Ecclesiarum Dei, et ad libertatem populi Christi, atque ad laudem ipsius credimus incunctanter proficere.Optamus excellentiam vestram in Christo nunc et semper bene valere.

XXXVII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 863.)

Ut Rothadum honori pristino restitui faciat, tum deinde ad apostolicam sedem, quam appellavit, venire permittat. Indicat etiam quid de ea re Hincmaro scripserit.

[Mansi, *ibid.*]

Nicolaus, episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nostro Carolo glorioso regi.

Nunc laudanda est frequens conversatio, et assidua cum ecclesiasticis,et cum sapientibus vestra sedulitas,quam circa utilitatem Ecclesiarum Dei, vos habere auditu gratulabundo concepimus,si ejusdem sanctæ Ecclesiæ pastorum,cum quibus hanc humilitatem et sollicitudinem salubriter operamini, sub quadam specie justitiæ nullum omnino sublimitas vestra læserit,sicut de uno quodam, Rothado nomine, nunc vos egisse plurimorum relatu didicimus: maxime cum dejiciendus apostolicam sedem,juxta licentiam canonice sibi concessam,appellasse perhibetur.Pro quo,fili charissime,valde gloriam vestram exposcimus,ut præfatum virum in suo episcopio,et omni pristino reddi faciatis honori, et ita demum ad apostolicam sedem, ad quam illum constat appellasse,securum pro nostro amore aditum properandi dare dignemini.Hoc specie tenus cognoscentes, quoniam tunc credimus vos nostrum apostolatum diligere,sicut sæpe profiteri videmini,si Deum et Dominum nostrum timere pariter et amare vos evidenter cognoverimus : necnon et privilegia sanctæ sedis apostolicæ, et statuta Patrum illibata servantes,ea vilescere vel destrui a nemine patiamini. Cæterum sciat sublimitas vestra,nos ad confratrem nostrum Hincmarum archiepiscopum misisse,quatenus aut infra triginta dies, post lectam a nobis sibi missam epistolam,eumdem episcopum pristino gradui restitueret,aut cum idoneo suo legato,si ipse non posset,una cum accusatoribus ejusdem viri, si tamen essent, atque cum presbytero, qui causa dejectionis ejus fuit,Romam veniret.Quod si neutrum ageret post triginta dies Præfixos,nec ipse,nec quilibet episcoporum, qui in depositione præfati episcopi consenserunt, licentiam celebrandi missarum solemnia penitus haberent,quousque in iis quæ salubriter deceret,nobis sint obedientes,ac pleniter ad effectum consummationis perduxerint.

XXXVIII.

AD ROTHADUM EPISCOPUM SUESSIONENSEM.

(Anno 863.)

Ut Romam veniat, cum primum ei data fuerit licentia : quod si negetur, sedem apostolicam appellare non cesset.

[Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo Rothado episcopo.

Cognoscat experientia tua, frater charissime, de tuis tribulationibus multum apostolatum nostrum doluisse, imo dolere. Sed credimus Dei misericordiam tibi proxime affuturam, quæ te, et sicut Danielem educat de lacu leonum (*Dan.* vi), et sicut prodigum filium prima induat stola (*Luc.* xv). Quæ autem primum de te Carolo glorioso regi, atque Hincmaro miserimus, nosse te credimus. Nunc autem metropolitani, et cæteri episcopi, qui circa [*al.*, contra. Hard., *edit Rom.*, contra] te sententiam protulerunt,nobis multa sub gestorum serie de te, vel contra te intimaverunt, et ut rata essent quæ contra te promulgaverant,nostro flagitaverunt consensu roborari.Sed nos hæc agere distulimus, imo ut renovaretur concilium et juxta canonum normam causam tuam in nostro judicio terminaremus,præcepimus eis, ut te de monasterio educerent, et sancti Petri memoriæ pariter aut ipsi, aut ipsorum vicarii, tecum venientes honorifice præsentarent. Quod si post lectam a nobis sibi missam epistolam, infra triginta dierum spatium, nostram non curassent constitutionem perficere, post triginta dies, a missarum solemniis celebrandis, quæ eis fortiter contradiximus, penitus cessarent,quousque nostris diffinitionibus perfectam obedientiam demonstrarent. Unde, frater charissime, quoniam causam tuam sine examine dimittere non possumus,ne præjudicium districtioni ecclesiasticæ facere videamur : rursusque, quoniam sine præsentia nostra, ne forte injuste lædaris, in aliorum judicio causam tuam discuti ac diffiniri dubitamus, stude quantum potes, ut cum tibi rex et episcopi, quemadmodum statuimus, licentiam dederint Romam properandi, mox utcunque venire non differas.Quod si huc veniendi non tibi tribuerint facultatem, tu tamen id-

ipsum nobis intimare studeto. Verum, quantum au- A des, quibus potes, et quomodo potes, apostolicam sedem appellare, et hanc adire velle, manifestare ne cesses, si tamen te injuste læsum noveris, et bonam te causam habere per Dei gratiam arbitraris : quoniam nos, divina clementia solatiante, nullatenus te in finem oblivioni tradi vita comite patiemur. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data IV Kalendas Maias, indictione XI.

XXXIX.

AD LUDOVICUM ET CAROLUM FILIOS CAROLI CALVI REGIS.

(Anno 863.)

Gratulatur quod in gratiam cum patre redierunt ; hortatur ne in posterum ab eo divellantur, jubetque ut synodo satisfacturi se sistant. B

[Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, (*a*) LUDOVICO et CAROLO filiis Caroli gloriosi regis.

Pervenit ad apostolatus nostri notitiam, quod malorum hominum callida suggestione decepti, a patris gratia, et participatione digressi fueritis. Qua ex re nimio mœrore devicti, dispositum habuimus apostolici moderaminis vobis competenter correctionem dirigere, quæ vos et ab improbis stultisque libidinibus refrenaret, et correctos paternæ gratiæ restitueret. Nunc autem, quia sanctissimus frater et coepiscopus noster Odo veniens, dilectionem vestram pa- C ternæ gratiæ pleniter reformatam esse affatus est, grates Domino Deo retulimus. Ideoque devotionem vestram hortantes, sancimus ut caveatis vos de reliquo a tanti patris unanimitate prorsus divelli, qui vos tanquam evangelicus pater, post perpetratos excessus ad se convertentes, benignus suscepit, stola prima induit, annulumque in manibus, et calceamenta in pedibus tribuit : ita ut sicut erroneus ille filius tandem regressus gratiam promeruit, et paternæ hæreditatis sine margine hæres exstitit, vos quoque studeatis in eo quod probe reversi estis persistere : quatenus et hæreditate patria semper fruamini, et a benedictione et gratia, atque communione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ vos gloriosiores exoptat, nulla penitus negligentia decidatis. Sane in synodo, quæ statuto a nobis loco congreganda est, in D qua apostolicæ auctoritatis legatos credimus adfuturos, præsentiam vestram humiliter præsentari jubemus, ut ibi de quibus impetita fuerit, veraci ratione respondeat, et plenissime satisfactura canonicis regulis se submittat. Optamus vos in Christo bene valere.

(*a*) *Ludovico et Carolo.* Carolo Calvo ex Hermentrude regina filii, ut annales nostri produnt, quatuor fuerunt, Ludovicus, Carolus, Carlomannus et Lotharius. Lothanius puer abbas, et Carolus juvenis rex Aquitanorum, mortui sunt anno 866. Carlomannus etiam clericus ante patrem obiit, ita solus superstes Ludovicus patri successit. JAC. SIRM.

XL.

AD HUCBERTUM ABBATEM, FRATREM THEUTBERGÆ REGINÆ.

(Anno 863.)

Respondet ejus litteris, et quod ipsius causam et sororis in synodo a legatis examinari jusserit.

[Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, HUCBERTO religioso abbati.

Apices defensionis tuæ, per Odonem fratrem et coepiscopum nostrum ad sedem apostolicam missos, libenter accepimus. Quorum etiam tenorem attentius perpendentes, reperimus te conquerentem dura invectione a nobis fuisse conventum, ac contra spem, dum te cum fratre et sorore jugiter proclamantem consolationis epistolas accipere sperares, arguentes te ac corrigentes dure inveneris Quod utique devotio tua moleste ducere non debuerat : quia patris soleres disciplina dilecto filio, etiam minime peccanti, nonnunquam adhibetur : non quo severitate verberum frustra examinetur, sed quo, ne in suspectis facinoribus devolvatur, benevola invectione terreatur. Ac cum dira flagella filius molestissime ferat, eo quod sine culpa percutitur, scit tamen pater, quod blando in pectore modum servaverit disciplinæ, ut ab imminentibus custodiret. Quod cum ita esse nec omnino [*al.*, nullus omnino, HARD.) sciolus dubitet, animadvertendum est, et summa circumspectione cavendum, ne cum apostolici moderaminis tibi aliquoties dura mittuntur, moleste in aliquo feras : quia aut aperta et vera sunt nostræ correctionis verbera, aut occulta et justa sunt, et aliquam habentia rationem. Porro quia innocentiam tuam in sacerdotum examine expetendo, et quotidie proclamando, commendare videris, gratum habemus, et ut ita se veritas habeat, Deum rogitamus. Tamen quia adhuc in acie stare videris, innocentiæ tuæ perseverantiam adhibe, ut unde nunc a nonnullis denotatis, perspecta veritate, postmodum collauderis. Cæterum juxta divinitus nobis creditum ministerium, ut a die qua apostolatui nostro negotium tuum atque sororis relatum est, strenue perstiterimus, nullius sanctæ Dei Ecclesiæ filiorum latere notitiam credimus, et quid fratre tuo egerimus, ipse poterit enarrare. Neque enim in hoc desides negligentesque poterimus vel suspecti haberi, qui ad diversa quoque negotia dirimenda et examinanda, atque ad ultimum juris silentium perducenda, et synodum colligi jussimus, et legatos apostolicæ auctoritatis illuc direximus, quorum censura in collegio fratrum, aut pro culpa canonice puniamini, aut pro innocentia juste a crimine diluamini. Optamus religiositatem tuam in Christo feliciter valere.

XLI.

AD EPISCOPOS IN REGNO LOTHARII CONSTITUTOS.

(Anno 865.)

Ut Lothario regi suggerant, ut submoto Hilduino, cui Cameracensem ecclesiam dedit, liberam eligendi episcopi licentiam tribuat.

[Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis et cæteris(*a*)episcopis in regno Lotharii constitutis.

Quoties de vestræ dilectionis sanctitate ea percipimus auribus, quæ Deo placabilia et grata, necnon et accepta esse creduntur, gaudemus in Domino et immensi tripudii exsultatione lætantes grates ei multimodas reddimus. At vero cum vos torporis desidia audīmus languescere, præcepta cœlestia, tanquam lethæis quibusdam papaveribus perceptis, oblivioni mandare, peccata non premere, sed fovere, non eradicare vitia, sed plantare, ea sacri verbi ligone non recidere, sed veluti quaramdam, ut ita dicamus, linguæ adulationum ut crescant aquas effundere, imo quod est scelestius, alienis perversitatibus protegendo ac defendendo favere; contristamur, et tanto abundantia mœroris deficimus, quanto eos, cum quibus putabamus quibuslibet potestatibus ex adverso ascendendo libera pro domo Domini voce contraire, vel etiam virgam correptionis, ac justitiam rigoris extendere, illos videmus se sequentibus in barathrum, et iniquitatum foveam ducatum præstare, eosque, heu proh dolor! cæcis oculis anteire. Verum de hoc tacendum parumper, quousque tempus loquendi veniat, ratum ducimus. Cæterum fidelium certa relatione didicimus, quod gloriosus rex Lotharius filius noster ecclesiam Cameracensem cuidam Hilduino clerico dederit : quæ quidem in regno ipsius consistere dicitur, esse tamen de diœcesi confratris nostri Hincmari Rhemorum archiepiscopi perhibetur. Quo prædictum clericum in multis a sacris canonibus reprehensum judicante, ei ut alium qui dignus inveniri possit, consecrandi a rege, vobis auctoribus utique, qui hunc non corrigitis, facultas adimitur. Unde eadem ecclesia Cameracensis a jam fato Hilduino pervasa, jam ultra decimum mensem, contra sacrorum canonum normam, viduata consistit, jugiterque suis rebus exspoliatur, et quæ celebrari debent divina ministeria, quia episcopali ministerio caret, in ea minime fiunt. Quapropter præcipimus vobis, ut suggeratis filio nostro Lothario glorioso regi, et si ut nullum ecclesiæ Cameracensi præjudicium inferat, summopere suadere curetis : quatenus jam fato Hilduino submoto, ex se eligendi juxta sacros canones episcopum, clero et plebi ipsius A Ecclesiæ licentiam tribuat. Nam si hanc nostram præceptionem apostolicam contempseritis, scitote vos pro inobedientia, et pro consilii pestiferi veneno, quo jam fatum regem sæpe inficitis, a nostra communione penitus submovendos. Præterea epistolam, quam sæpe dicto Hilduino clerico mittimus, a vobis ei dari præcipimus. Quem nisi ex Dei et B. Petri, et nostra auctoritate excommunicaveritis, ut nihil de Ecclesia Cameracensi sibi vindicet, nunquamque se in eadem Ecclesia ad episcopatum provehi tentet, vel postulet, a communione Dominici corporis et sanguinis estote, divina et nostræ mediocritatis sententia, cum eodem longius sequestrati. Siquidem cujus rei gratia ultra decimum mensem, contra sanctarum regularum diffinitionem, Cameracensem Ecclesiam sine rectore episcopo de proprio B clero electo viduatam permanere permiseritis, nosse procul dubio volumus, et cujus neglectu omissum sit, solerti prorsus examine reperire, et qua quis sit dignus ultionis pœna mulctare, Deo auctore, nulla contenti dilatione studebimus. Optamus fraternitatem vestram in Christo nunc et semper bene valere.

XLII.

AD LOTHARIUM REGEM.

Ut Hilduinum Ecclesiæ Cameracensis pervasorem rejiciat, et Hincmarum in ea disponenda privilegio suo uti permittat.

[Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, LOTHARIO glorioso regi.

C Inter innumera, quæ de te supra modum sinistra exsecrabiliaque feruntur, unde nos non mediocriter te salvum anima et corpore cupientes tristamur, illud etiam tuis excessibus te adjecisse veraci relatione comperimus, quod sanctæ Ecclesiæ Rhemorum, in qua venerabilis confrater noter Hincmarus divina dispensatione archiepiscopus præest, in regni tui finibus facultates ac prædia constituta diripias; et adeo illi diœcesim suam violenti[*pro* violento, HARD.] brachio inhibeas; ut Ecclesiæ Cameracensi, quæ suo ecce per decem mensium spatia est destituta pastore, viduata manens, contra venerabilium canonum instituta, inibi episcopum consecrandi, aut aliquid juxta suum ministerium disponendi, nullam omnino potestatem habere permittas. Quam cunctis Christianis legibus detestandam præsumptionem, a gloria D tua, contra ecclesiasticas institutiones, minime perpetrari optamus, neque aliquo modo patiemur : quoniam si regum est proprium rebelles corporis motus rationis imperio refrenare ac regere, debuerat utique excellentia tua in omnium regni tui Ecclesiarum defensione adesse, et minime metropolitani

(*a*) *Episcopis in regno Lotharii.* De hac epistola Hincmarus ad Nicolaum scribens apud Flodoardum, lib. III, cap. 12. *In epistola vestræ sanctitatis, per Odonem episcopum episcopis in regno Lotharii pro præjudicio Cameracensis Ecclesiæ directa, relegi vestram auctoritatem sciscitaturam, cujus neglectu eadem Ecclesia ultra decimum mensem vacaret.* Vacabat autem post mortem Theoderici episcopi, atque hoc tempore ab Hilduino, quem Lotharius immiserat, detinebatur : donec Hilduino tandem pulso, legitimis suffragiis suffectus est Joannes anno 866. JAC. SIRM.

Rhemorum jure soluto in parochiis regni tui,viduatæ Ecclesiæ Hilduinum aliunde constituere pervasorem. Ob hanc rem dilectionem tuam hortamus et monemus, atque apostolica auctoritate inhibendo arcemus, ut nullo pacto in his quæ ad Rhemorum sanctam Ecclesiam pertinent,illicitos appetitus extendens,ditioni tuæ submittas, neque Ecclesiæ Cameracensi pervasorem diutius inhabitare permittas. Quod nisi feceris, et omnia metropolitano Rhemorum non restitueris,ut ipse juxta suum illic privilegium disponere queat: quia jam tanta a te horrenda ac detestanda in corpore sanctæ Dei Ecclesiæ commissa diutius æquanimiter fere nequimus,ut saltem compulsus resipiscere valeas, noveris te citissime mucrone ecclesiastico feriendum : ita ut ulterius talia in sancta Dei Ecclesia perpetrare formides. Pervasorem vero Cameracensis Ecclesiæ, Hilduinum nomine,scias a corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi communione penitus segregatum,et ab omni Christianorum consortio sequestratum,si post hanc nostri apostolatus interdictionem remorari tentaverit, quousque in nostram præsentiam de his canonice satisfacturus occurrat. Optamus gloriam tuam in Christo bene valere.

XLIII.

AD HILDUINUM CLERICUM.

(Anno 863.)

Ut ab Ecclesia Cameracensi,quam pervaserat, deinceps abstineat.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, HILDUINO clerico.

Cum nostri voti desiderium de omnibus bona cupiat semper cognoscere,multum nos contristaverunt quæ de perversitatibus tuis, nostris auribus a veracibus quibusdam certa sunt attestatione relata. Diceris enim quod contra statuta sanctorum canonum Ecclesiam Cameracensem invaseris,et ejus sanctæ plebis clericos opprimas ac dehonestes, bona quæque ipsius diripias,metropolitano, id est confratri nostro Hincmaro Rhemorum archiepiscopo, nullam debitam subjectionem vel obedientiam impendas; sed absque libitu ejus,ecce per decem jam menses viduatam eamdem Ecclesiam occupatam detinens; et cætera detestanda de tuis temeritatibus nostræ apostolicæ sollicitudini nuntiantur,quæ quidem nunc silemus : tantum hoc tibi præcipiendo injungimus,ut omnia quæ a prædicta Ecclesia subtraxisti,et ea habere dignosceris,ei reddere ne differas.Et quoniam licet humana quædam potestas permittat, divina tamen canonicaque censura te in eadem Ecclesia episcopum consecrari nequaquam consentit,imo omnes qui tui sunt moris atque præsumptionis,a tanta dignitate procul repellit: maxime cum metropolitano Rhemorum provinciæ, cui ipsa Cameracensis Ecclesia subjecta est, nullum debeat præjudicium irrogari ; præcipimus tibi,ut de eadem Ecclesia Cameracensi nil auferens quantpcius abscedas,ut talis a clero,et a plebe ipsius Ecclesiæ eligi, et ab archiepiscopo Rhemorum consecrari possit, qui in nullo a sanctis canonibus reprehendatur.Quod si præfatæ Ecclesiæ quæ tulisti, præter illa quæ ad victum et potum pertinuerunt, reddere distuleris, vel si amplius aliquid inde abstuleris, et ab ejus potestate ac regimine te minime subduxeris, Dei nostri, et sanctorum apostolorum atque sententia auctoritatis nostræ,sis vinculis anathematis obligatus,quandiu hujus nostræ diffinitionis epistolæ pertinaci animo reluctaveris.

XLIV.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 863.)

Decretum anno 863 *a sancto Nicolao et a sancta sede Romana missum Carolo regi Francorum gloriosissimo, reginis et ecclesiis sub anathemate omnium episcoporum confirmandum, et corroborandum.*

Quam (*a*) sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, et de eorum perpetua securitate tractare, ante actum nos officium, quod in regimine cœnobii exhibuimus,informat.Et ideo quia in plurimis monasteriis multa a præsulibus præjudicia atque gravamina pertulisse cognovimus, oportet, ut nostræ fraternitatis provisio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione, quatenus conversantes in illis in Dei servitio, gratia ipsius suffragante, mente libera perseverent. Sed ne ex ea, quæ magis emendanda est,consuetudine,quispiam monachis quidquam molestiæ præsumat inferre, necesse est ut hæc quæ inferius enumeranda curavimus, ita studio fraternitatis episcoporum debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Jesu Christi, et ex auctoritate Petri et Pauli principis apostolorum prohibemus,cujus vice huic Ecclesiæ Romanæ, auctore Deo, præsidemus, ut nullus episcoporum ultra præsumat de redditibus, rebus, chartis monasteriorum, vel de cellis, seu villis, quæ ad ea pertinent quocunque modo, qualibet exquisitione minuere, nec dolos, vel immissiones aliqua facere. Descriptiones quoque rerum aut chartarum monasterii ab episcopo ecclesiasticas fieri omnino negamus. Missas quoque publicas ab eo in cœnobio omnimodo prohibemus, ne in servorum Dei recessibus ulla popularis detur occasio.Obeunte autem abbate,in describendis providendisque acquisitis, vel datis quærendis,ne rebus monasterii nulla se occasione permisceat, non audeat ibi cathedram collocare,vel quamlibet potestatem imperandi,nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi,nisi ab abbate loci fuerit rogatus,quatenus monachi semper maneant in abbatum suorum potestate, et omne monasterium propriam possit suæ libertatis munitionem habere, et pontificale decretum,regumque immunitatis,Romanique

(*a*)Hæc prima decreta non sunt Nicolai,sed sancti Gregorii, qui ea in Lateranensi concilio edidit. Verum ea adoptata sibi Nicolaus misit ad Carolum Francorum regem. MARTENE.

pontificis constitutum inviolabilem perpetuis obtineant temporibus firmitatem. Fiat.

Item in decretis ejusdem Nicolai papæ.

Decernimus apostolatus nostri auctoritate ut omne monasterium inter Gallias situm rerum suarum habeat liberam in omnibus secundum Ecclesiæ ipsius utilitatem, et servorum Dei compendiosam dispensationem, et in abbatis de semetipsis electione. Nullam ulla alia persona, sive sæcularis, sive ecclesiastica, obtineat in omni monasterio possessionis dominationem, nec ullam obtineat, vel sibi vindicet portionem; sed maneant omnia in abbatis et fratrum ibidem Deo militantium dispensatione, ut quidquid secundum monasterii utilitatem regulariter vel canonice voluerint agere, situm sit potestate. Neque episcopus ipsius regionis ad monasterium, quasi propriæ potestatis abutens jure, invocatus ab abbate vel fratribus accedat; ne sui adventus pressura fratrum quietem perturbet, neque dolos aut machinationes ullas vel abbati, vel fratribus, sive per se, sive per suos aliquando facere præsumat. Quin potius quidquid Dei servis in monasterio commorantibus conferre ad ordinis sui conservationem utiliter et modeste, et benigne poterit, id pro Dei amore et sempiternæ remunerationis gratia proficiat nec violenter aut callide mali quidquam aut perturbationis moliatur in illos, sicut audivimus quosdam facere voluisse. Nullus in monasterio quidquam evindicet sibi regionis episcopus, neque per se, neque per ministros suos, neque ex clericis, neque ex monachis, neque ex canonicis, neque ex laicis potestatis jure, aut episcopali fastu, sine voluntate abbatis ipsius loci, et fratrum ibi degentium, præsumat aliquid vel ad ordinandum. Ordinationes vero quas petierit abbas, vel ipsi fratres, ecclesiarum consecrationes, vel altaris benedictionem, chrismatis quoque oleique sanctificationem, prout petierit abbas et loci illius habitatores, non moretur præstare, quia communis officii sui causam episcopus non pro lucri gratia, sed pro creditæ sibi dispensationis ministerio debet impendere; et providentiæ pastoralis existit, ut decretis sibi ovibus ex amore potius quam potestate consulere quærat. Abbatem vero de se eligendi semper fratres habeant potestatem, neque in ejus electione episcopi respiciant constitutionem, aut dispositionem. Et quoniam multi per pravorum hominum insidias servis sæpe Dei fabricantur doli, decernimus ut ordinatus deponi non possit, nisi criminalis causa eum monstraverit reum. Quod si fuerit infamia denotatus, ex regali providentia archiepiscoporum vel episcoporum habeantur non minus quam decem conventus. Non est æquum enim ut electus et ordinatus Ecclesiæ pastor, fortuitu et sine judicio absque ullius manifesti criminis denotatione pellatur. Nullus enim apud regem sæculi damnatur, nisi in criminali causa deprehensus, veritatis testimonio apparuerit : sic abbas, et electus a pluribus, et ordinatus sacerdotali benedictione nullo modo debet sui ordinis honore privari. Quod si quis hujus constitutionis parum ducens decretum, omni cœnobio sancto vel abbati vel fratribus violentiam fecerit, et vel in ipsis, vel in famulis corum, vel in omni ipsius monasterii possessione invasor apparuerit, reum se in divino judicio non dubitet apparere et divinæ censuræ puniendum damnatione. Universi episcopi responderunt : Libertati monachorum congaudemus, et quæ de his statuit beatitudo vestra firmamus.

XLV.

EPISTOLA NICOLAI AD UNIVERSOS EPISCOPOS ET PRINCIPES GALLIÆ.

(Anno 863.)

Privilegium libertatis monasterio sancti Karitefi confirmatur.

[Mansi, *ibid.*]

Nicolaus, Romanæ sedis episcopus, Galliarum episcopis universis et principibus [*edit. Rom.*, pontificibus sempiternam in Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo salutem.

Regum corda divinitus inspirata quando pro religiosis locis sollicitudinem gerunt, divinitati gratiæ sunt agendæ, et in omnibus quæ pie religioseque procurant, eorum voluntati cum omni devotionis alacritate est parendum. Orandi denique essent, ut de sanctorum locis pietatis affectum, et sollicitudinis curam susciperent. Nunc autem ultro se ad hæc peragenda præbentes, et illis est congratulandum, et quæ jusserint sine retractatione perficiendum. Gloriosus itaque rex Francorum Carolus, cœlitus animum inspiratus, inter cætera suæ devotionis studia, quæ circa Dei Ecclesiam prompta semper impendit devotione, curam quoque dignatus est assumere de monasterio sancti Karilefi confessoris, quod est in pago Cenomanico constructum super fluvium Anisola, in quo a prima suæ conditionis die, ex quo beatus confessor Christi Karilefus in eo corpore quievit, religiosum [*edit Rom.*, fuit in corpore religiosum, *etc.*] monachorum habitavit examen, habuitque libertatis privilegium, et in rerum suarum dispositione, et in abbatis de semetipsis electione. Verum quia impugnare Ecclesiam Christi nunquam hostis humani generis omittit, securitatem libertatis, quam ex multis jam annis possederat, etsi non penitus abscidit, concussit tamen, et convellere conatus est, et paucis quidem ante jam annis, et præsentibus quoque, id est ipsius Caroli regis temporibus. Quia vero divina clementia deserit nunquam in se confidentes, principis animum ad hoc movit, ut non solum inimici persuasio non prævaleret; sed etiam procurare voluit, ut sequentibus temporibus libertatis privilegium olim monasterio illi concessum, a nullo deinceps nec everti posset, nec violari. Unde dignatus est ad nos pius princeps præfatus, et missum dirigere suum, id est venerabilem Odonem, Bellovacensem episcopum, et litteras suæ dignationis destinare, quibus postulavit, ut libertatem illi mona-

sterio, et ab episcopis, et a regibus Francorum concessam, nostra firmaremus auctoritate, et futuris mansuram temporibus roboraremus. Considerantes itaque piam esse postulationem, et servorum Dei quieti pernecessariam, et quæ a pastoribus Ecclesiarum postulanda esset atque procuranda, si minus eam mundi principes procurarent; decernimus apostolatus nostri auctoritate, ut monasterium sancti Karilefi confessoris, intra Gallias situm in pago Cenomanico super fluvium Anisola, rerum suarum habeat liberam in omnibus secundum Ecclesiæ ipsius utilitatem, et servorum Dei compendia, dispensationem, ut episcopus Cenomanicæ urbis, sive Rotbertus qui nunc illi sedi præest, sive successores ejus, nullam obtineant in eo monasterio possessionis dominationem, neque præfatum monasterium ad suæ urbis inclinare conentur subjectionem, sed abbas ille qui nunc ibi est Engilharius, et fratres ejusdem monasterii, dominationis jus secundum ecclesiastica statuta, et præsentibus et futuris obtineant semper temporibus. Videlicet, ut quidquid oblatum est, vel fuerit deinceps illi cœnobio, vel in auro, vel in argento, vel in agris et famulis, vel in quacunque rerum substantia, nec episcopus Cenomanicus, sive Rotbertus, qui nunc illi urbi præest, sive qui post eum Cenomanicam Ecclesiam rexerint, nec ulla alia persona, sive sæcularis, sive ecclesiastica, ullam obtineant vel sibi vindicent portionem; sed maneant omnia in ipsius abbatis, et fratrum ibidem Deo militantium dispensatione: ut quidquid secundum ipsius monasterii utilitatem regulariter et canonice voluerint agere, in eorum situm sit potestate. Neque episcopus ad præfatum monasterium, quasi propriæ potestatis abutens jure, nisi vocatus ab abbate et fratribus accedat, ne sui adventus pressura fratrum quietem perturbet; neque dolos aut machinationes ullas vel abbati, vel fratribus, sive per se, sive per suos, aliquando facere præsumat; quin potius quidquid Dei servis in prædicto monasterio commorantibus, conferre ad ordinis sui conservationem utiliter et modeste et benigne potuerit, id pro Dei amore et sempiternæ remunerationis gratia perficiat. Nec violenter aut callide mali quidquam, aut perturbationis moliatur in illos, sicut audivimus quosdam facere voluisse, quasi inscriptiones quasdam monstrantes, quibus monasterium suæ civitati possessionis jure subditum fieri conati sunt: quas constat omnino falsas fuisse, quandoquidem privilegia regum, quæ ex antiquorum regum Francorum temporibus olim monasterio illi concessa sunt, hoc destruant, sicut et ipsa testantur, quæ in archivis monasterii ob testimonium sibi concessæ libertatis hodieque servantur. Quod si fortassis contigisset, ut aliquando monasterium illud sub potestate Cenomanici fuisset episcopi, quod rebus ipsis probatur et testimoniis monasterio collatis nunquam fuisse; tamen secundum leges sæculi, post tot jam sæcula et annorum spatia repeti nullatenus jure potuisset, et quod semel acceperat libertatem, jam sub ditione nequaquam mancipari denuo potuisset. In legibus enim habemus, ut omnes quæstiones infra triginta annos terminum accipiant. De ecclesiasticis autem causis, post quadragesimum annum nulla querela moveri potest, si non intra hoc spatium annorum fuerit mota. Et ecce hoc monasterium a primo rege Francorum Christiano, id est, Clodoveo filioque ejus Childeberto, cum habuerit libertatem, et deinceps ab omnibus regibus, semper manserit liberum, et in rerum suarum dispositionibus, et in abbatis electione, nunc repetitur quasi in proprii juris dominationem; cum si terrena possessio fuisset, et per tot annos possessoris sui dominatione caruisset, nullo modo secundum leges sive mundi, sive ecclesiasticas, antiquus possessor eam sibi vindicare potuisset. At vero, quod est dictu nefas, Christi possessionem, et servorum Dei contubernium, quod terrena potestas liberum esse concessit, episcopalis ambitio in servitutis jus vindicare conatur. Apparet itaque, quisquis hæc perverse molitur, non lucrum requirere quod velit animarum, sed magis dominationis fastum et lucra cupiditatis inhiare. Unde omnibus modis hanc perniciosam reprimentes, ambitionem, præcipimus ut Rotbertus episcopus Cenomanicus, et quicunque successor ejus fuerit. nullam in præfato monasterio sibi vindicet ditionis potestatem: sed maneat secundum concessam sibi jam multis annis absolutionem, ab omni episcopali pressura et dominatione remotum. Nullus in eo quidquam vindicet sibi præfatæ civitatis episcopus, neque per se, neque per ministros suos, neque ex clericis, neque ex monachis, neque ex canonicis, neque ex laicis, potestatis jure, aut episcopali fastu, sine voluntate abbatis ipsius loci, et fratrum ibi degentium, præsumat aliquid vel ad ordinandum, vel ad disponendum vel ad dominandum. Ordinationes vero, quas petierit abbas, vel ipsi fratres, vel ecclesiarum consecrationes, vel altaris benedictionem, chrismatis quoque oleique sanctificationem prout petierint abbas et loci illius habitatores, non moretur præstare: quia munus officii sui episcopus non pro lucri gratia, sed pro creditæ sibi dispensationis ministerio debet impendere; et providentiæ pastoralis exstitit, ut creditis sibi ovibus ex amore potius quam ex potestate consulere quærat, licet in subjectos utraque secundum tempus sint necessaria: sed amor debet generare solertiam, potestas vero temperanda est amore, ut potius Christi charitas ferveat quam potestatis rigor insolescat. Abbatem vero de se eligendi fratres cœnobii sancti Karilefi semper habeant potestatem, neque in ejus electione, episcopi Cenomanici respiciant constitutionem aut dispositionem, sed quemcunque dignum vita, moribus, atque doctrina prospexerint pastorali officio, et sibi utilem et aptum dispensatorem esse, ipsum eligant, regisque in notitiam deferant, ut ejus et concessione et consensu potestatem regiminis accipiat. Neque pro ejus vel ordinatione, vel constitutione, munus aliquod accipiatur, vel detur: quoniam Spiritus sancti donum

non debet pretio, sed gratia promereri. Et quoniam multi per pravorum insidias hominum servis sæpe Dei fabricantur doli, decernimus ut ordinatus deponi non possit, nisi criminalis eum causa monstraverit reum. Quod si fuerit infamiæ calumniis denotatus, ex regali providentia episcoporum habeatur non minus quam sex conventus quorum de numero Cenomanicus constituatur episcopus: et eorum judicio secundum canones illius causa discussa, non aliter deponi possit, nisi reus manifestis certisque patuerit indiciis. Non est enim æquum, ut electus et ordinatus Ecclesiæ pastor, fortuitu et sine judicio absque ullius manifesta criminis denotatione pellatur. Nullus enim apud leges sæculi damnatur, nisi in criminali causa deprehensus veritatis testimonio patuerit: nullus Ecclesiæ qui fuerit ordinibus consecratus, merito deponendus erit, si non certis criminibus apparuerit convictus. Sic itaque abbas, et electus a pluribus, et ordinatus sacerdotali benedictione, nullo modo debet sui ordinis honore privari, nisi manifestis criminibus fuerit denotatus atque convictus. Unde sub hac auctoritate præcipimus, ut abbas cœnobii sancti Karilefi, postquam electus regulariter, atque canonice fuerit ordinatus [*edit. Rom.*, et ordinatus], a nullo nec episcoporum, nec regum, nec alia qualibet persona deponi possit, si non criminalis intercesserit causa, pro qua merito secundum regulam sancti Benedicti, et canonum instituta, deponi debeat. Hæc autem constituta volumus omnibus omnino modis inviolabilia præsentibus et futuris temporibus permanere, et a nemine vel regum, vel episcoporum, vel alicujus ordinis violari: quod si quis constitutionis nostræ parvi ducens decretum, cœnobio sancti Karilefi, vel abbati vel fratribus violentiam fecerit, et vel in ipsis, vel in famulis eorum, vel in omni ipsius monasterii possessione invasor apparuerit, reum se in divino judicio non dubitet apparere, et divinæ censuræ puniendum damnatione. Unde constituimus, ut primum quisquis hoc molitus fuerit, sui honoris dignitate privetur, sive sit sæcularis, sive ecclesiastica persona: deinde ab ecclesiasticæ communionis societate fiat alienus, corporis quoque sanguinisque Christi participatione non communicet, donec vel quod inique gessit corrigat, vel digna pœnitentia satisfactionem emendet. Fratres vero ipsius monasterii, si quid horum quæ constituimus violatum esse cognoverint, id est, si abbatis electionem quis eis prohibere molitus fuerit, vel ipsius monasterii possessiones, aut quæ ibi oblata fuerint, suo juri mancipare decreverit, vel ipsum monasterium episcopus Cenomanicus ad civitatis suæ subditionem subjugare tentaverit, licentiam habeant metropolitanum episcopum Turonensem convenire, et pressuram innotescere suam; et metropolitanus, causa cognita, personam per quam vexantur conveniat, et cui periculo tradita sit, ex præsenti auctoritate relecta edicat, utque emendare velit quæ prave gessit moneat. Quod si non libenter audire, et reatum corrigere suum maluerit, secundum præsentis constitutionis decretum, eum a communione Christianorum et corporis sanguinisque Christi participatione efficiat alienum, quæcunque fuerit persona, et cujuscunque fuerit dignitatis. Quod si metropolitanus episcopus eorum precibus et acclamationibus adjutorium præstare detrectaverit, licentiam habeant S. Karilefi monasterii fratres apostolicam, id est Romanam sedem, adire, et necessitudinis suæ causam ante episcopum, qui tunc fuerit, urbis Romæ deponere, et præsentis edicti constitutionem manifestare: ut Romanus pontifex, cognita causa, justam anathematis condemnationem in reum exercere non moretur: ut monasterium præfatum propriam possit suæ libertatis munitionem habere, et pontificale decretum, regumque immunitates, Romanique pontificis constitutum, inviolabilem perpetuis obtineant temporibus firmitatem.

XLVI.

AD MICHAELEM IMPERATOREM.

(Anno 863.)

Narrationis ordo de Photii depulsione, et Ignatii patriarchæ institutione]Cod. Vat., *restitutione*]: *necnon de Zachariæ ac Rhadoaldi dudum episcoporum depositione, ac excommunicatione, cum capitulis interpositis.*

His ita se habentibus, et his apostolatus nostri epistolis pro manifestando nostræ voluntatis proposito Constantinopolim, et in alias mundi partes destinatis, sicut ex superioribus scriptis hujusque recitatis colligere, ac comprehendere potestis; nunc quæ post habitam satisfactionem nostram, et ostensum votum nostrum de Ignatii fratris et episcopi [*edit. Rom.*, coepiscopi] nostri restitutione, ac Photii adulteri repulsione coram omni Ecclesia, quæ apud nos est, astante præsentialiter Leone a secretis, et imperiali legato, cujus superius mentionem fecimus, et quæ post discessum ipsius acta sunt, vestræ in Christo fraternitati ac piæ generalitati breviter indicamus. Igitur cum hæc gerebantur, nondum Rhadoaldus et Zacharias episcopi, quos ab apostolica sede Constantinopolim direxeramus, detecti erant, vel ostensi, quod ipsi deposuissent patriarcham Ignatium, vel communicassent invasori, et mœcho, ac laico Photio; sed procedente tempore murmur multorum ab illis partibus Romam venientium, quin imo persecutiones a fautoribus Photii commotas fugientium, sensim eosdem cœpit episcopos numeribus fuisse corruptos diffamare, et quod communicassent Photio, et deposuissent Ignatium divulgare. Quo audito, nimio mœrore repleti, qualiter ab Ecclesia Christi, cui divina dignatione præsumus, non habente maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sinistram procul faceremus suspicionem (videlicet, ne in hanc saltem tenuis subsannandi oriretur occasio) cogitare cœpimus, et mente revolvere. Tunc convocato multarum provinciarum occidentalium regionum sanctissimorum episcoporum cœtu, ex collecta sancta synodo in ecclesia Dei, ubi beatus Petrus apostolorum princeps corpore floret, et vir-

tutibus emicat ;deinde propter frigidiorem locum in ecclesia Salvatoris,quæ ab auctore vocatur Constantiniana, et quæ prima in toto terrarum orbe constructa est, ibique recitatis omnibus scripturis de Græco sermone in Latinum conversis,tam videlicet nefanda synodo,quæ per jam fatum Leonem apostolicæ sedi delata est,quam etiam imperialibus epistolis,in quibus omnibus depositio Ignatii continebatur; et deductus in medium Zacharias episcopus, quia Rhadoaldus propter absentiam haberi ad præsens non poterat,et discussus,et diligenter examinatus, inventus est in depositione Ignatii et communione Photii omnino culpabilis. In quo idem Zacharias tunc episcopus,nunc autem honore,ac communione privatus, se obnoxium recognoscens,proprio ore,ac proprio scripto se Constantinopolim a sede apostolica directum esse,et quæ sibi a nobis agenda fuerant injuncta, neglexisse ;ac quæ sibi fuerant prohibita, peregisse confessus est: Ignatium scilicet sine jussione apostolicæ sedis deponendo,et Photio contra nostri apostolatus præceptionem communicando. Tunc decernente sancta nobiscum synodo, depositionis et excommunicationis suæ sententiam præfatus Zacharias accipiens in foveam quam alii præparavit, incidit ; alterius (id est Rhadoaldi)examinatione propter absentiam usque ad aliam synodum protelata. Quæ autem in eadem venerabili et sancta synodo unanimiter et consonanter de fratre et consacerdote nostro Ignatio patriarcha, vel de invasore et usurpatore Ecclesiæ ipsius Photio,atque fautoribus ejus,necnon et de sacris imaginibus statuimus, et promulgavimus :insuper autem quid in alia synodo a nobis olim collecta decreverimus adversus eos, qui divinitatem Domini nostri Jesu Christi cum Valentino, Manete [Mani], Apollinari, et Eutyche, ac sectatoribus eorum contra primum pastorem,et apostolum,qui Christum tantum carne passum dicit,passibilem ore sacrilego in quibusdam regionibus vestris prædicare dicuntur, subter annexis capitulis declaratur.

I. Photius qui ex schismaticorum et se a sanctæ communionis participatione avertentium parte esse dignoscitur, et ex sæculari administratione atque militia, et ex foro subito tonsuratus a Gregorio Syracusano dudum episcopo in synodo damnato, et ab apostolica sede convicto episcopus ordinatus est, et vivente,ac superstite consacerdote nostro Ignatio sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ patriarcha,sedem ipsius invasit,et sponsam quam a Christo sponso immaculatam custodiendam veluti amicus sponsi perceperat, non per ostium, quod Christus est,sed aliunde ex adverso in ovile Dominicum more furis atque latronis ingrediens, ac si violentus, rapax et sceleratus adulter irrupit.Deinde cum damnatis,et anathematizatis, atque cum his,qui ne sacerdotale officium ante audientiam præsumerent a prædecessore meo beatæ memoriæ Benedicto papa fuerant obligati, quotidie ac indifferenter communicans,et conversans contra fidem promissam,contraque suam professionem, qua pollicitus est se adversus jam fatum patriarcham nullum sinistrum concilium esse facturum,congregavit concilium,et una cum sequacibus suis depositis, et damnatis,excommunicatis, et anathematizatis, et aliis sine sedibus,atque cum his a quibus vel ille irregulariter et illicite provectus fuerat, vel quos ipse temere, ac indebite provexerat, contra eumdem fratrem,et comministrum nostrum Ignatium depositionem facere,et anathema dicere ausus est. Deinde apostolicæ sedis missos, quos pro causa sanctarum imaginum,et pro inquirenda et nobis renuntianda jam fati patriarchæ dejectione, et ob inveniendum modum promotionis hujus neophyti destinaveramus,quibus potuit argumentis a nostris mandatis avertere more Acacii quondam Constantinopolitani hæretici patriarchæ præsumpsit. Et ad processionem, quæ ei cum paribus suis habebatur,sicuti eorum professione patefactum est. Et sancto Spiritu revelante,venerandæ synodo, quæ a nobis collecta est,claruit ad damnatorum et schismaticorum communionem contempta legatione,quæ vel gentilium more servari debuit,pertraxit,et in illusionem beati Petri apostoli,a cujus sede profecti fuerunt, non solum inefficaces redire fecit, sed etiam impugnatores omnium quæ fuerunt mandata monstravit.

Postremo episcopos, qui ei tanquam adultero et pervasori communicare noluerunt exsilio relegavit, et sui sceleris complices in eorum subrogare locis non timuit. Et usque hodie Ecclesiam Dei diversis persecutionibus impugnare non desinit, ita ut fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium sanctissimum patriarcham inauditis pœnis, et horribilibus tormentis afficere non quiescat ;sed et omnes quotquot pro veritate et fide cum eodem persistere comprehenderit,quibus prævalet modis perdere impræ-termisse moliatur. Hæc et his similia contra evangelica, apostolica, prophetica,atque canonica instituta afferens,sit Dei omnipotentis,et beatorum apostolorum principum Petri et Pauli,et omnium simul sanctorum, atque venerandorum sex universalium conciliorum auctoritate, necnon et Spiritus sancti per nos judicio,omni sacerdotali honore,et nomine alienus, et omni clericatus officio prorsus exutus: ita ut si post notitiam hujus sanctionis,quam divina inspiratione depromptam esse credimus,cum unanimitate et concordia sanctæ synodi sit procul dubio promulgata, tentaverit in Constantinopolitano throno præsidere, aut sæpe fato venerabili coepiscopo nostro Ignatio,quominus Ecclesiam sibi commissam sine quavis inquietudine regere possit,impedierit ; vel si ulterius ausus fuerit aliquid de sacro ministerio more sacerdotis contingere juxta præcedentem consuetudinem, nullo modo liceat ei communionis spem,aut locum habere satisfactionis; sed anathematis vinculis innodatus una cum communicatoribus suis, atque fautoribus suis perpetuo Dei per nostram mediocritatem judicio ac sententia sacrum corpus et sanguinem Domini nostri

Jesu Christi, non nisi vicino mortis periculo, omnino percipiat; ut hæc unusquisque discens nequaquam de cætero temeraria præsumptione ex laicis subito in dominicis castris insperato quodammodo impetu irrepere audeat, et principatus amore ante ducatum præstare velit, quam tironis consummet officium; et ante tentet docere, quam discere: sicut in eadem Constantinopolitana Ecclesia sæpe præsumptum esse comperimus. Et rursus ne contemptis clericis, quorum ut pote in tam magna urbe copiosa multitudo est, quippe ab ipsis (ut ita dixerimus) cunabilis imprætermisso labore in Ecclesia Christi desudant, et indesinentia Domino exhibent servitutis obsequia; is, qui de foris est alterius ovilis, Christi repente principatum arripiat, et nitatur quos esse suos non recognoscit, discerpere: et grex Dominicus incipiat eum, ut pote extraneum et improvisum, omnino contemnere: præsertim cum perspiciat nil sibi stipendia profecisse meritorum, et alienum suorum cernat consumere fructus laborum.

II. Gregorium sane, qui Syracusanæ Ecclesiæ irregulariter, atque Deo contempto præest, eo quod et ipse ex parte schismaticorum sit, et postquam a synodo episcopatus officio privatus, et a decessore meo sanetæ memoriæ papa Benedicto obligatus est, et Photium laicum subito consecrare in episcopatu non formidavit, et de sacro ministerio ausus est multa contingere, juxta præcedentem consuetudinem sancimus, et juxta canonicam deliberationem apostolica auctoritate diffinimus, atque statuimus, omni sacerdotali carere, atque privatum fore ministerio: ita ut nullo modo liceat ei in qualibet synedo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis: quod si de reliquo præsumpserit in sacro officio more sacerdotis quovis tempore ministrare, anathema sit. Sed et si contra fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium turbas excitaverit, vel ab ejus communione fideles averterit, anathema sit. Et omnes communicantes ei ab Ecclesia abjiciantur, sed et ipsi anathema sint.

III. Eos vero, quos Photius neophytus, et Constantinopolitanæ sedis invasor, in quolibet ecclesiastico ordine provexit, quoniam manifestum est eos in omnibus consecratoris sui pravitatibus consensisse, atque ei post invasionem communicare [communicasse], omni clericali officio privamus, et apostolica atque canonica auctoritate, et synodali decreto eos penitus sequestramus.

IV. Reverentissimum et sanctissimum fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ patriarcham, qui primo quidem imperiali violentia ac terrore, proprio throno privatus est, et postea a Photio adultero, prævaricatore, ac pervasore sedis Constantinopolitanæ, et ab ejus complicibus (excommunicatis videlicet et anathematizatis, atque damnatis, et sine episcopalibus sedibus, et a decessore meo sanctæ recordationis Benedicto papa, obligatis hominibus) anathematizatus est, et postremo ab apostolicæ sedis misso contra A nostram præceptionem (ut sanctæ synodo Spiritus sanctus revelavit, et dudum Zacharias episcopus, qui unus de eisdem duobus legatis exstitit, propria confessione manifestavit) infulis est sacerdotalibus despoliatus, auctoritate summi judicis Domini nostri Jesu Christi promulgamus, sancimus, atque decernimus, unquam nec fuisse, nec esse depositum, vel anathematizatum, tanquam qui ab imperiali potentia sit absque ulla canonica auctoritate pulsus Ecclesia, et tanquam qui ab alligatis nullo possit haberi vinculo colligatus, et ab eis qui nullam eum judicandi potestatem, vel ab apostolica sede auctoritatem habuerint, et nullum sui honoris discrimen pati debuerit. Et ideo illum (id est eumdem fratrem et consacerdotem nostrum Ignatium patriarcham), omni B vinculo anathematis ab eo remoto, per potestatem divina voce in beatissimo Petro collatam, et per auctoritates sacrorum canonum, et decretalium constitutionum more sanctorum Patrum prolatarum, pristino honori, pristinæ dignitati et sedi, pristino gradui, et patriarchio, ac pristinis et pontificialibus infulis, atque officiis restituimus, statuimus, ac confirmamus: ita ut quicunque post notitiam hujus apostolicæ atque synodicæ sanctionis, quominus omnia, quæ præmisimus, insignis pontificatus recipiat, ei impedierit, et non in omnibus huic decreto obedierit, vel se ab ejus communione seperaverit, vel ulterius contra eum aliquod judicium proferre tentaverit, absque sedis duntaxat apostolicæ præmisso consensu; si quidem clericus fuerit, ab omni clericatus officio coram Deo et hominibus sit alienus, atque C perenni pœna tanquam qui magistrum prodiderit cum Juda traditore constringantur, et nisi a prava intentione recesserit, perpetuo anathemate maneat condemnatus; si vero laicus exstiterit ille (quisquis est) huic nostræ constitutioni contraire tentans, et eum sedem et omnem pristinam duntaxat dignitatem recipere non permiserit, vel si post receptam priorem sedem denuo illum impellere, et a patriarchio expellere tentaverit, vel personæ ipsius seu sacerdotali honori aliquam molestiam sine primæ hujus sedis consensu intulerit, omni benedictione paterna privetur, et maledictione Chanaan filii Cham, qui verecundiam patris sui videns non cooperuit, sed irrisit, mulctetur; et cum parricidis æterna pœna Domino judicante percellatur, et nexibus anathematis nonnisi resipiscens penitus eruatur. D

V. Eos autem episcopos, seu cujuslibet ordinis clericos, qui post injustam dejectionem fratris et coepiscopi nostri Ignatii, vel in exsilio relegati, vel ministerio, aut gradu invidiose privati sunt, statuimus ut exsilio dissoluto proprias sedes, atque gradus recipiant. Quod si quisquam huic decreto nostro contraire præsumpserit, et ut sedes, vel gradus resumant impedierit, quousque non obtemperaverit, anathema sit. Sane si qui ex eis ab aliis criminantur, decernimus eos antea sedes quidem et proprios gradus recipere, judicari autem nisi a sede Romana

non patimur. Sed si qua præter regulam forte egisse dicuntur, nostro eos decreto judicandos reservari statuimus, juxta quod et sacri præcipiunt canones.

VI. Quod oportet nos majorum nostrorum statuta immoto mentis intuitu conservare, et in omnibus sanctorum Patrum semper dogmata venerari, diffinimus de sacris et venerandis imaginibus Domini nostri Jesu Christi, ejusque semper Virginis genitricis Mariæ, omnium sanctorum, qui Deo ab Abel justo placuisse creduntur, quos Ecclesia sancta in universo orbe diffusa antiquitus accepit, quæque sedis apostolicæ præsules pro eis decreverunt, ac statuerunt, illibata persistere, atque intemerata manere. Quapropter Joannem quondam Constantinopolitanum antistitem (*a*) et sequaces ipsius, qui eas frangendas, atque calcandas esse ore polluto asseverant, quandiu de his nobiscum non senserint, et juxta sanctorum pontificum Romanorum decreta, et aliorum catholicorum Patrum instituta non sapuerint, sancimus eos a Christo, et ab Ecclesia catholica atque apostolica esse anathema.

(Capitula quæ subsequuntur in alia primitus a nobis collecta synodo promulgata sunt.)

I.

Quia Dominus Jesus Christus carne tantummodo passus est.

Veraciter quidem credendum est, et omnimodis profitendum : quia Dominus noster Jesus Christus Deus, et Dei Filius passionem crucis tantummodo secundum carnem sustinuit : deitate autem impassibilis mansit, ut apostolica docet auctoritas, et sanctorum Patrum lucidissima doctrina ostendit.

II.

De his qui divinitatem passibilem dicunt.

Hi autem qui aiunt quia Redemptor noster, et Dominus Jesus Christus Deus et Dei Filius passionem crucis secundum deitatem sustinuit, quod impium est, et catholicis mentibus exsecrabile, anathema sint.

Igitur rediens Rhadoaldus a Galliis, ubi non minora quam in Constantinopolitana urbe perperam gesserat, et collegam suum tale quid pertulisse cognoscens, quin potius conscientia propria stimulatus, expavit. Quod nos intuentes ne quid formidaret, illum admodum sumus hortati, subjungentes duntaxat præter examen synodi nihil in illum nos esse moturos, sed neque et sine culpa prolata, fore aliquid adversi laturos; sed quia fugit impius nemine persequente, dum nihil mali et sufficientibus nostris frueretur bonis, ante tempus synodi, ante sui purgationem, ecclesiam et parochiam propriam deserens ad alias diœceses examen utique subterfugiendo se contulit. In quibus diutius eo morante, apostolico moderamine freti, canonicam, quam merebatur ultionem, super eum inferre distulimus : ne videlicet ad vindictam faciles, vel videremur esse præcipites. Quamobrem destinatis in diversa loca cum epistolis (id est, ubi solus illum rumor latitare fatebatur), missis nostris, videlicet sanctissimis episcopis, ratum eum duximus convocari. Sed ille diversas latebras penetrando (ut pote filius noctis et tenebrarum, qui opera lucis et diei semper refugiens, causam suam ad manifestationem justitiæ solis deduci formidat) quousque valuit, nobis obedire dexpexit. At ubi non reperit tutum suæ tergiversationis latibulum, tandem aliquando Romam redire ausus est.

Et cum nos inter furentium adversariorum linguas, et manus apud beatum Petrum apostolum degeremus, ipse insperatus super nos hostis, inter hostes irrupit : et, ut nunc claret, iterum discessurus fraudulenter accessit; quo tamen corpore, non mente reverso, et synodi tempore propter imminentes hostium oppressiones dilato, rumore crebrescente diffamatur, quod Rhadoaldus denuo fugam arripere meditaretur. Quo audito, quia non poteramus sub tam horrendo nævo Ecclesiam non habentem maculam [*edit. Rom. addit.* aut rugam], aut aliquid hujusmodi, deserere, quominus illam etiam a falsa suspicione redderemus extorrem : nec poteramus personam in tantis prævaricationibus diffamatam, et tam [tantorum] scelerum ore [*forte*, sorde] aspersam, sine satisfactione in communionem nostram admittere, coram multis fratribus et episcopis, coramque plurimis filiis sanctæ hujus Ecclesiæ admonuimus eum, quatenus sicut prius nullam in partem sine nostra licentia a Romana discederet urbe; sed in ea residens, sine timore suis licenter utens, et amicos ac homines suos libere possidens, tempus synodi qua purgandus esset, intrepidus exspectaret : sciens profecto nihil se injustum ante, vel post, præter examen synodicum fore passurum, sed in justitia, quam haberet, esse mansurum.

Insuper etiam sciret, si quoquam a Romana sine licentia nostra discesserit urbe : quia ex tunc esset depositus et excommunicatus. Sed spretis satisfactionibus nostris, atque sententiis in se prolatis, imo spretis sanctorum patrum constitutionibus, sine licentia nostra propriam Ecclesiam despolians, et lupinis dentibus oves sibi creditas deserens ad alias diœceses, imminentem synodum fugiens, discessit. Et quia hæc, et alia multa objecta non diluit, vera esse quæ de illo dicebantur, modis omnibus examen subterfugiendo firmavit. Quapropter, convocata sanctissimorum episcoporum numerosa et venerabili sydo do in superius memorata ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana : auctoritate Dei omnipotentis, et beatorum Petri ac Pauli apostolorum principum, et omnium simul sanctorum, quorum regulas et decreta multipliciter violavit, necnon et nostri apostolatus judicio deposuimus eum, et a corpore et sanguine Christi excommunicavimus, sanctorum scilicet statuta Patrum sequentes, et præcipue sancti

(*a*) Sive Joannem, qui post Antonium ponitur a Constantino Porphyrog. lib. III, n. 26, an. 844. HARD.

Felicis exemplum, qui Vitalem et Misenum episcopos deposuit, et excommunicavit, eo quod huic apostasiæ in Constantinopolitana urbe olim par omnino piaculum perpetrarunt (*Felix III, in epist.* 5). Quod si prædictus Rhadoaldus dudum episcopus, nunc autem depositus, et excommunicatus de cætero cum anathematizato Photio invasore Constantinopolitanæ Ecclesiæ mistus esset aliquando, et Ignatio fratri et coepiscopo nostro infestus esset, et Ecclesiam Dei amplius conturbasset, vel si de damnatione sua querimoniam fecisset, anathematizatus foret : ac per hoc ab omni Christianorum separatus et alienatus, donec nostræ sententiæ sponte se submitteret, collegio. Est igitur Rhadoaldus nunc depositus et excommunicatus, et si Photio communicaverit, anathematizatus : quem vobis, fratres charissimi, ideo intimamus, ut scire valeatis cum quibus communicamus, et quos a nostra apostolica et catholica communione repellimus : quatenus per hoc, secundum sacras regulas, et præcipue juxta Nicænum concilium (*cap.* 5), qui ab aliis abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Porrigentes ergo Ecclesiæ Dei manus, quos a nobis abjicimus, a vobis repellite : et quos suscipimus, suscipite, quatenus uno animo, uno ore glorificetur Deus, et Pater per Jesum Christum in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Præterea postquam sanctæ in Christo fraternitati, piæque religioni vestræ, quæ in isto volumine hucusque releguntur per alia scripta nostra, nota facere procuravimus : venit ad sedem apostolicam quidam protospatharius nomine Michael ab imperatore Græcorum cum epistola missus, in qua eumdem imperatorem invenimus jactitare, quod vos beatissimos videlicet patriarchas, et charissimos fratres nostros traductos, atque seductos habeat : quatenus in illa exsecrabili apostasia fautores exstitistis ; videlicet ut et in depositione fratris nostri, et consacerdotis Ignatii irregulariter facta, et in consecratione Photii mœchi, et ecclesiæ invasoris consentiatis : et contra statuta nostra, sed et adversum sedem principis apostolorum Petri, vos cum illis pariter efferatis. Quod quidem nos de vobis licet minime credamus, qui tale quid ab antecessoribus vestris catholicis duntaxat antistitibus actum nusquam omnino legimus : de vobis tamen magis, quam de nobis curam habentes, hæc nos in scriptis ipsius imperatoris recepisse vos nolumus ignorare : intimantes pariter, et vestram unanimem charitatem admonentes, quatenus in speculo sitis, et ad memoriam revocetis ista vobis nos ideo nota facere studuisse, quoniam, ut prædiximus, sancti, magnique Nicæni concilii decretis jubetur per unamquamque provinciam, ut epistola regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Deinde vero, ut cauti, sollicitique semper sitis, ne quorumlibet suasionibus, vel terroribus hominum, aut quibuscunque mendaciis decepti a capite (id est, a prima sede) dissentiatis, vel ab ejus Ecclesiæ charitate, ac unitate dividamini, cui ille præfuit, quem vox Christi prætulit universis.

Verum si dies antiquos secundum datam vobis divinitus sapientiam cogitatis, priscosque sedium vestrarum præsules ad memoriam ducitis, quanta veneratione sedem beati Petri prædecessores vestri celebraverint, quantoque charitatis amore, decreta ipsius semper amplexi sint, profecto reperietis : denique [*forte*, neque, H.] in universalibus synodis quid ratum, vel quid prorsus acceptum, nisi quod sedes beati Petri probavit (ut ipsi scitis) habetur : sicut econtrario quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodo consistat hactenus reprobatum. Proinde charitas unanimitatis vestræ de fratris et comministri nostri Ignatii sanctissimi patriarchæ dejectione nobiscum doleat, et quæ prævalent ei solamina nobiscum exhibeat. Nam si juxta Apostolum, quod patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra (*I Cor.* XII) ; quanto potius compatiendum est illi, quod inter cætera membra præcipuum tenuisse locum dignoscitur? Unde si non pro unius, et specialis personæ præfati fratris nostri repulsione, vel certe pro summi sacerdotii conculcatione dolere, gemere, flere, currere, ac decertare debetis. Nam, si licitum fuerit sæculari potestati de Ecclesiæ Domini præsulibus taliter judicare, vel si rursus fas exstiterit inferioribus de prælatis sibi tam temere ista patrare, perpendite ne ad perniciem vestram, imo totius Ecclesiæ nunc et futuris temporibus præsumptio talis prævaleat, quod si attenditis, ecce jam cernitis. Nam impietas tantum caput extulit, ut Ecclesiarum præsulibus postpositis, et ordine canonico conculcato, laici nunc ecclesiastica moderamina teneant : et pro libitu proprio, modo istos removeant modo illos in locis eorum promoveant ; et rursus quos nunc approbant, post modicum mentis victi levitate repellant.

Ut enim iidem sæculares, ac laici homines quælibet scelera valeant licenter committere, ut pro his a nullo pontificum, qui ex clero promotus, hæc summa poterat auctoritate compescere, libere redarguantur, non de clericorum catalogo permittunt ad sacros ordines provehi, qui vitam eorum tanto audacius, quanto diutius ac familiarius sub Christo duce forti militantes fortius comprimere possent : sed ex seipsis eligunt, qui facta eorum tanto minus præsumant arguere, quanto se paulo ante de eorum cœtu favore ipsorum promotos meminerit. Quod illius in partibus tanto familiarius agitur ista præsumptio (videlicet ut ex laicis subito tondeantur, et in episcopos consecrentur) quanto ex consuetudine inolevisse testantur, quam nos econtra tanto studiosius de Ecclesia Dei eradicare volumus, quanto nimium noxiam esse clericis, et omni religiosæ plebi supra docuimus. Quantoque scimus ex sacris canonibus, quod non minus mala consuetudo, quam perniciosa corruptela vitanda sit : et scimus quod paulatim crescens, jam suæ pestiferæ nequitiæ gravamine multos invaserit, adeo ut temeritas hæc tantum

excreverit, ut jam minime clericis egeant, dum contra sacros canones ex seipsis subito tonsuratum, quem voluerint, eligant : et ad labores clericorum mentis oculos non inflectant, ac per hoc fit,ut alicnus comedat ipsorum fructum laborum,et stipendia meritorum extraneus hostis insperatus subripiat. Ita nihil proficiat clericis in castris dominicis militasse, vel gradatim per singulos ecclesiasticos ordines ascendisse,dum alter saltu hos omnes transcendit,et repente principatur in eis is,qui inter eos nec contra spiritales hostes arma sustulit,nec diversis Ecclesiæ adversariis pro veritate prælians aliquando restitit.

Quantum autem ne laicis temere quislibet ad episcopatum eligatur,sacri canones enim aliis prohibeant, Sardicenses ostendunt, Osio episcopo capite decimo tertio dicente(*can.* XIII): Et hoc necessarium arbitror, ut diligentissime tractetis, si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratione episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur nisi ante et lectoris munere, et officio diaconi,aut presbyteri fuerit perfunctus; et ita per singulos gradus,si dignum fuerit,ascendat ad culmen episcopatus.Potest enim per has promotiones, quæ habebant utique prolixum tempus,probari qua fide sit, qua modestia, qua gravitate et verecundia : et si dignus fuerit probatus,divino sacerdotio illustretur : quia conveniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, ut temere et leviter ordinetur, aut episcopus, aut presbyter,aut diaconus,qui neophytus est : maxime cum et magister gentium beatus Apostolus ne hoc fieret denuntiasse,et probibuisse, videatur (*I Tim.* III) : sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita, et merita fuerint comprobata. Contuemini ergo et futura, imo urgentia mala conspicite : medici estis, imminentes morbos per præcedentia signa prævidete : episcopi estis, exsurgens in Ecclesiam Christi horrendum exitium prospicite : speculatores estis, in altam mentis arcem conscendite, et in gregem Dominicum feram pessimam irruere cupientem a longe contemplamini: quasi tuba exaltate vocem vestram, et annuntiate populo Dei scelera eorum : *super montem excelsum* id est,ad altitudinem virtutum)*ascendite,qui evangelizatis Sion (Isa.* XL) : state in fortitudine,potestatibus hujus cæculi ex adverso ascendite,et murum pro domo Dei apponite, et quibuslibet potestatibus inique agentibus contraite : sicque fiet,ut nec,sicut canes muti, de taciturnitate argui valeatis, nec de talenti occultatione districtam Domino rationem reddere compellamini. Vosque ipsos, et consacerdotes, nostros, imo Ecclesiam Christi illis in partibus constitutam ab ingenti pernicie, a noxia labe ipso jubente laudabiliter eruatis, mirabiliterque regatis.

Hanc autem epistolam,quam per superius memoratum Michaelem protospatharium glorioso Augusto Michaeli direximus, idcirco pridem sanctitati, seu unanimi dilectioni vestræ cum aliis scriptis non misimus,quia et fratres per quos illa destinata sunt, se dimitti vehementissime postulabant, et nos ad multa ecclesiasticorum negotiorum extendi hanc tam concite,sicut valebamus,solemniter ordinatam præ manibus,cum dimitterentur,minime poteramus habere.

XLVII.

AD ROTHADUM EPISCOPUM SUESSIONENSEM.

(Anno 863.)

Commemorat quam multa pro ipso hactenus in Gallia scripserit, spondetque se ipsi, Romam si reniat, minime defuturum.

[Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, sanctissimo et reverentissimo ROTHADO Suessionicæ urbis episcopo.

Sciat sanctitas tua, quoniam misimus increpatoriam epistolam pro te Hincmare sanctæ Rhemorum ecclesiæ venerabili archiepiscopo, eo quod post appellationem ad sedem apostolicam in te depositionis intulerit sententiam, quam quidam vir, qui cum Bosone comite Romam venerat, ad te deferre debuit : sed hanc rescripsit nobis ipse Hincmarus reverendus archiepiscopus,quod eam minime viderit. Insuper tam Hincmarus, quam cæteri episcopi,qui ad eamdem synodum convenerant,ubi sententiam depositionis circa te protulerunt, sub gestorum serie quæ de te gesserint in nobis latius intimaverunt, accusationes circa te pro se excusationes multiplices protendentes,et per Odonem venerabilem episcopum nostro eas apostolatui verbo tenus indicantes.Per quem tam eisdem archiepiscopis et episcopis generaliter,quam dilecto filio nostro Carolo glorioso regi specialiter rescripsimus,increpantes et admonentes pariter et jubentes, ut te de claustris monasterialibus præsentialiter educerent, et nostro aspectui præsentarent. Nunc autem venit Liudo religiosus diaconus secum epistolas jam fati regis et Hincmari ferens, quæ te jussu ipsius regis de monasteriali custodia eductum, et cuidam episcopo familiari tuo commendatum esse fatebantur. Per quem tam Carolo glorioso regi quam præfato Hincmaro archiepiscopo metropolitano tuo, sicut et prius, direximus, ut quia unam partem sine altera audire non possumus ad renovandum in nostra præsentia judicium, et te honorifice, et aliquos eorum qui te judicaverunt, vel ipsorum vicarios, Romam dirigant.Nunc autem fraternitas tua studeat secum sollicita mente revolvere,quod tibi quasi in ipsis tuis auribus loquimur,ut si quidem conscientia tua reprehendit te, aut forte judicium episcoporum circa te prolatum admiseris, nec te fatigare nec alios velis. Si vero illi nostro consilio freti, episcopalem tibi reddiderint dignitatem, sicut eis scripsimus, bene. Quod si nostrum consilium parvipendentes hoc agere illi distulerint, et tu in cœpto proprio perseverans ad nos venire elegeris, intrepidus et de Dei misericordia fidens occurre : sciens profecto quia te, Deo auxiliante,non deseremus,quoadusque justitia convertatur in judicium,et quæ nunc operta

sunt Dominus revelare dignetur. Dabitur autem tibi sine dubitatione ad nos aditus veniendi : quod et nos apostolica auctoritate, et firma censura statuimus, et dilectus filius noster Carolus Christianissimus rex, et nobis devotissimus, pariter, et Hincmarus frater et coepiscopus noster, scriptis sui præsenti tempore te ad nos missuros fore se, firmissime sunt omnibusque modis polliciti.

XLVIII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 863.)

Hortatur ut Rothado Romam venturo itineris solatia prospiciat.

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Carolo glorioso regi.

Cum vos tantæ humilitatis tantæque devotionis incurvatione, sub potenti manu Dei ad reverentiam præcipuorum ipsius apostolorum flecti conspicimus, impletum videmus quod sanctus Job de Domino loquitur dicens : *Sub quo curvantur qui portant orbem* (*Job.* IX). Nisi enim vos, qui in regali sublimitate positi estis, tanquam cujusdam ingentis fabricæ bases, vestro sudore mundum quodammodo portassetis, nequaquam Græco sermone βασιλέων vocabula sortiremini. Rursusque, nisi tanta coram summo Deo vos humiliatione incurvassetis, nequaquam nobis, licet indignis servis ejus, obedientiæ colla tanta facilitate submitteretis. Operatur autem idem ipse Deus in vobis hoc, qui et laudandus est propter hoc, quique prævidit vos, et ad regni gubernacula destinavit, quo auctore vobis felicia arridٍent, ut cernimus, tempora, et prosperis prospera, ut audivimus, succedunt. Quapropter ejus misericordiam glorificamus, et quia ignoramus quo hæc in vobis judicia divinitus patrantur, dilectionem vestram instantissime adhortamur, ut memores fragilitatis humanæ nulla vos commoda elevent, nulla secunda dissolvant : sed semper ad vosmetipsos recurrite, et quia nihil est in homine unde se extolli debeat, sedula consideratione perpendite. Si qua ergo cœlitus tribuuntur ad votum, largitorem ante oculos vestra revocare solertia non omittat, nec in his quæ temporaliter conceduntur bonis, consistere finem existimet, nec cito defluis delectata felicitatibus, perennis beatitudinis gaudia appetere desinat. Prospera vero mundi occasio vobis sit cœlestia præmia requirendi, non fomes ad ima tendendi. Hinc egregius Apostolus admonens : *Qui utuntur*, inquit, *hoc mundo, tanquam non utantur* (*I Cor.* VII). Tunc enim vos indubitanter ad æternam gloriam pertingere posse confidemus, si in hujus vitæ gloria positos vos humilitatem sectari veraciter senserimus. Scriptum quippe est : *Gloriam præcedit humilitas* (*Prov.* XV) : e contrario vero : *Ante ruinam exaltatur cor* (*Prov.* XVI). Sed hæc nos ad ædificationem sublimitatis vestræ quam paterno incunctanter affectu diligimus, cursim tetigisse vestra libenter tranquillitas noverit, et eo quo a nobis mittuntur mentis intuitu, vester benignus hæc gratanter suscipiat animus. Cæterum de Rhotado venerabili episcopo, de quo apostolatui nostro omittendum non est, iterum iterumque suggerimus, ut omni desita amaritudine, quam circa illum celsitudinis vestræ retinet indignatio, pro amore apostolorum principis, ad cujus sedem, dum anxiaretur cor ejus, clamavit, gratiam illi impartiamini ; et placabilem erga eum pietas vestra, gratamque in omnibus se prorsus exhibeat, ita ut cum Romam profecturus erit, vestra illi sufficientia in itinere non desint solatia : sed potius vestris saltem pro nobis ditatus heneficiis, ac fultus subsidiis, ad cœptum pertingere queat sine aliqua difficultate propositum. Porro de his pro quibus apostolatum nostrum consulere merito decrevistis, fratri et coepiscopo nostro Hincmaro, quod nobis tolerabile esse videtur, custodiendum ac decernendum mandavimus. Præterea nolumus ignorare vestram sagacitatem quod licet semper dilexerimus vos, plurimum tamen amoris cordi nostro præsentium latores inseruerunt, qui sedulis persecutionibus suis tam miranda de vobis nostris auribus inculcarunt. Unde et omnipotentem Deum merito laudamus, et ad dilectionis vestræ ardorem magis ac magis cor nostrum consequenter succendimus. Optamus gloriam vestram in Christo bene valere.

XLIX.

AD HERMINTRUDEM REGINAM.

(Anno 863)

Respondet se causam Rothadi, quod illa in Caroli regis gratiam suggerebat, indiscussam relinquere non posse.

[Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, Herminտrudi gloriosæ reginæ.

Litteras dilectionis vestræ, filia charissima, ut nostrum regem Carolum, virum vestrum, nostrum autem dilectum filium, in causa Rothadi episcopi exaudiamus, nos hortantes, ecce nunc secundo suscepimus. Pro qua re, mihi crede, multum anxiamur multumque undique coarctamur : quoniam nec nos possumus vobis, ut nobiscum de illo unum sentiatis, id ipsumque velitis, suadere : nec rursum causa talis est, quod sine offensione Dei nos valeamus utrumque postponere. Verum, filia, ut cum charitate vestra dicam, si oporteat obedire Deo magis quam hominibus, ipsa potius judica. Nos autem causam Rothadi in virtute Dei non patiemur, vita comite, indiscussam relinqui, præterquam si ante idem venerabilis vir pristino fuerit honori ac dignitati redditus, quam coram nostra speciali præsentia, discernenda causa ipsius exstiterit præsentata. Quis, rogo, in toto orbe regni vestri læsus, aut lædendus, clamaret unquam ad sublimitatem vestram, cujus vos vocem postponeretis, et non magis ultione districta ipsius injurias vindicaretis? et nos quo modo hortari videmini, ut vocem sanguinis fratris nostri non exaudiamus? Aut quomodo obturabimus aures ad clamores illius, cum

vehementer paveamus ne nostra ob hoc fiat oratio exsecrabilis, clamemusque, sicut scriptum est, et non exaudiamur? Certe pro sollicitudine, quam circa Ecclesiam Dei retinemus universam, et pro speciali cura, quam circa cunctos fratres nostros principaliter habemus, etsi nunquam vocasset, a nobis summa diligentia quæri, et competenti debuerat studio adjuvari. Quod autem scripsistis, quia si exaudiamus filium nostrum, non detrimentum, sed augmentum ecclesiæ nostræ privilegiis generetur: nos certissime credimus, quia privilegia sanctæ Romanæ Ecclesiæ nullum possunt sustinere detrimentum, nec plantatio quam cœlestis pater noster plantavit eradicari, nec fundamenta, quæ summus posuit architectus, queant quibuslibet et quantislibet fluctuationibus amoveri, Verumtamen, charissima filia, magnum manet periculum, tam eos qui sua desidia ea minui aliquo modo sinunt, quam eos qui sua præsumptione illa violare contendunt. De exaudiendo vero, vel non exaudiendo filio nostro Carolo, conjuge vestro, per Liudonem venerabilem, idoneam vobis, ut remur, misimus rationem. Verum nos quidquid illi admonendo, vel hortando, vel etiam increpando mittimus, ad ejus et dilectorum illius salutem, atque ad regni ipsius incolumitatem perficere, non dubitamus, imo, Deo auctore, omnino confidimus. Incolumem serenitatem vestram divina conservet majestas, filia charissima.

L.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 863.)

Pro Rotberto episcopo Cenomanensi adversus monachos sancti Karilefi.

[Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei CAROLO glorioso regi.

Excellentiæ vestræ innotescimus, quia Rotbertus sanctæ Cenomanensis Ecclesiæ antistes nobis litteris sui cognitum, præcipua cordis devotione obsecrans, facere studuit, quod monasterium sancti Karilefi, situm in pago Cenomanico, loco videlicet, qui antiquitus dicebatur Casa Gaiani, super fluvium Anisola ab ejus ditione ac potestate subtractum sit; et quod antecessorum ejus decreto et voluntate ordinabatur, nunc sine ipsius sit consensu sub abbatis constitutum regimine. Unde vestram Deo amabilem magnificentiam his apostolis monemus atque hortamur apicibus, ut juxta veritatis censuram, sanctæ jam dictæ Cenomanensi Ecclesiæ, super hujus rei negotio justitiam conservare, et pium devotionis vestræ auxilium impertiri, nulla hominum subdola persuasione præternittatis: ipsum monasterium pro Deo, nostræque paternitatis amore, præfato Rotberto episcopo, sicut et antecessoribus ejus jure permansit, deinceps habere, atque salubriter pro ipsius venerabilis loci utilitatibus ordinare, libenti animo permittatis: nullamque potentiæ vestræ vim in hoc aliquatenus patiatur; sed liceat ei habere securiter, quod juste suos semper tenuisse prædecessores privilegio etiam nobis ostenso fatetur. Si vero quispiam monachorum supradicti monasterii sancti Karilefi amplius resistere nititur, ne sub Ecclesiæ Cenomanensis potestate jam dicta consistat, et in hac omnes obstinatione perdurant: ipse Rotbertus episcopus de vicinis episcopis sibi quos voluerit judices eligat, et nostra auctoritate simul convocatis, et cæteris episcopis, qui in diœcesibus sanctæ Turonensis Ecclesiæ videntur existere, talis tumultus dissensiones, quæ callido sunt exortæ ingenio, justo sanctorum Patrum judicio resecentur, omnisque hujus litis ambiguitas pacifica veritate pellatur: ita sane, ut monasterium priscis fundatum temporibus, cum omnibus sibi jure debito pertinentibus rebus, Deo auxiliante, illibatum sub potestate Cenomanensis Ecclesiæ, si justum fuerit, maneat. Quamobrem magnitudinem vestram monemus, ut sicut superius dictum est, justitiam et æquitatem in hoc et in cæteris omnibus conservare, ob recompensationem futuræ retributionis nulla sæculi felicitate negligatis. Quod si in eodem judicio prædictus episcopus Cenomanensis aliqua necessitate compulsus appellaverit se de hoc in nostra præsentia judicium agere, volumus et jubemus tam ipsum episcopum, vel legatum ejus, quamque etiam tres de monachis prædicti monasteriii tempore opportuno ad nos omni prætermissa occasione venire: ut digne apostolicæ sedis examine atque judicio talis utriusque partis controversia resecetur, et ad æquitatis debitæ jus pars justa sine protelatione indubitanti fine perveniat. Quod si ipsi monachi, nostra jussione vocati, venire forte contempserint, vestræ potestatis properare cogantur imperio, cum quibus et fidelem hominem vestrum transmittere qui ipsius causæ et contentionis initium experiatur et finem, dignemini.

LI.

AD ROTBERTUM EPISCOPUM CENOMANENSEM.

(Anno 863.)

Narrat quid ipsius causa statuerit de controversia monasterii sancti Karilefi.

[Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, ROTBERTO Cenomanensis urbis episcopo.

Plane quia sanctitatem vestram ad apostolicam sedem constat plenas devotione litteras destinasse, multas gratias Deo omnipotenti, vobisque referimus, eo quod et debitam reverentiam observantes, nos in vestris utilitatibus adjutores quæsivistis, et sanctam omnium terrarum matrem Romanam Ecclesiam interventricem suppliciter præoptastis, quod ita se habere luce clarius patet, vestris annisibus consulere. De illorum monachorum sancti Karilefi improvida intentione decrevimus ut, si venerint, et talia concedi petierint, vestro ducti amore nec illorum impolitis precibus annuemus, nec auctoritatis nostræ censuram illis in talibus largiemur. Qui si voce forte falsidicæ assertionis aliquid, quasi nostræ institutionis edita decreta, protulerint, donec nostro demum pontificio cognitum fiat, illis credulitatem

exhiberi non volumus : quia,ut præfati sumus,illis in talibus minime assensum præstabimus, aut alia volentibus facere apostolicam licentiam dabimus : excepto si talis ratio non præluceat [*forte*, ratio nobis præluceat,HARD.],pro qua id diffiniri intentio cogat. Gloriosum quoque regem vestrum Carolum, ejusque regni episcopos, nostris exhortationibus admonemus ut,nostra fulti auctoritate,contra [*edit. Rom.*, circa] vestræ ecclesiæ privilegia sententiam minime inferant, discutiant, ac audiri permittant : sed,divina clementia favente,juste decernant,et Cenomanensis urbis viris,ejusque præsulibus,ut erat, ipsum monasterium redderent,statuimus ut vestri sub cura regiminis subderetur.Hoc illis summopere statuentes,ut si a vobis judices,qui canonice causam determinent, ex ipsis electi fuerint, vestræ pareant voluntati : ita ut et judices dentur, et hujus rei intentio æque ventiletur.Quod si ob alicujus impedimentum inibi res digesta non fuerit, præcipimus ut utraque pars, vos scilicet aut vester legatus, et tres ex ipsis monachis, in nostram specialem præsentiam veniant, ut nobis præsentibus legitimum finem accipiant.Nam et confratrem nostrum Herardum archiepiscopum, de his per apostolicos apices certum reddidimus, et ut a nobis institutum est intimavimus. Unde et eosdem monachos dignum duximus corripere, admonere, ut proprio libitui resistere incipiant, et ultra modum mentem non elevent,nec illicita quæque reprehendere præsumant : sed repressa tantæ temeritatis audacia,vobis obedire non differant, et vestræ ecclesiæ colla submittant.

LII.

AD MONACHOS S. KARILEFI.

(Anno 863.)

Jubet ut episcopo Cenomanico subesse non detrectent, ad causam coram episcopis, vel coram sede apostolica dicendam se comparent.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei,cunctæ congregationi monasterii sancti Karilefi.

Fidelium relatione comperimus, quod modum proprium transgredi cupientes, a jure Cenomanicæ urbis, in cujus diœcesi moramini, vos subtrahere conamini, et, sicut nostri apostolatus arbitratu cognoscimus, ad vestri interitus perditionem,in propria voluntate vivendo,animos elevare videmini.Qua de re salutem vestrarum desiderantes animarum, apostolica auctoritate a talibus vos revocare studuimus. Expressiusque jubemus, ut non vos proprius libitus ducat, quo animus erigi prævaleat : sed ad principalem vestram ecclesiam,videlicet Cenomanicam, solito more recurrite; ejusque episcopo obsecundantes,et illam,qua nomine dicimini,vitam implere sagite, et vestri ordinis ministerium prudenter assumite cum sanctitate.Quod si ista vestrarum arcana mentium non penetraverint, tunc in conspectu sanctissimorum episcoporum,qui a Rotberto Cenomanico præsule convocati fuerint,causam edicere procurate,ut quo res ducitur plenius digeratur. Nam si illic inter prædictum Cenomanicum episcopum atque vos regulare judicium datum non fuerit,tunc incunctanter præcipimus, ut ex vobis tres eligantur, qui cum sæpe fato episcopo,vel ejus legato,in nostram apostolicam veniant præsentiam : ut omni repulsa occasione, nostro examini hujus rei gratia appareat, atque canonico calculo finem accipiat. Optamus vos in Christo bene valere.

LIII.

AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CALVI CONSTITUTOS.

(Anno 863.)

Ut causam inter episcopum Cenomanicum et monachos sancti Karilefi discutiant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus reverentissimis et sanctissimis confratribus archiepiscopis et episcopis in regno Caroli gloriosi regis commorantibus.

Dignum est, ut qui sacerdotali reverentia decorantur, secundum sanctorum Patrum censuram, æqui moderaminis lance sic cuncta studeant trutinare, quatenus gregum sibi a Domino creditorum septa munire non desinant, et debitam curam adhibere nequaquam postponant : ne forte cum segnitia cœperit oboriri,incentori aditus relinquatur,per quem pestifero more in ovile Dominicum ingrediens, oves dominicas discerpere,ac morsu ferino incipiat lacerare.Quod utique de vobis,fratres, minime dici volumus,quin commonemus,ut tantæ sollicitudinis operam ad cunctorum subjectorum profectum assumere studeatis,quantum illud audire cupitis, quod Dominus se confitentibus misericorditer repromisit: *Euge*, inquiens, *serve bone et fidelis : quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV). Idcirco sanctitati vestræ compertum esse volumus,qualiter a primordio constructionis suæ monasterium sancti Karilefi, in Cenomania situm, ejusdem Cenomanicæ urbis juri, ejusque præsulis, subditum fuerit : et juxta canonica instituta, qui ejus diœceseos curæ præerat, ipsius etiam sub regimine ejusdem monasterii congregatio degebat. Sed nunc,ut nostris intonuit auribus,monachi ipsius, regulari auctoritate contempta, zelum paternæ traditionis non ducunt, et modum debitum servare non cupiunt; cum,quod non licet, proprio libitu vivere quærunt, et parochiam,in cujus diœcesi consistunt,jus non tenuisse fatentur.Quapropter apostolicæ auctoritatis apicibus omnium vestrorum reverentiam commonere decrevimus, ut rectitudinis atque justitiæ intercurrente libramine,Dominum præ oculis habentes,hoc extra institutionem sanctorum Patrum fieri non sinatis : sed usquequaque causam considerantes, quid rectius, quidve utilius inveneritis, hoc conservantes, atque tenentes,Cenomanicam plebem non patiamini præjudicium sustinere,atque quæ ejus sunt, inconvenienti calculo discernere, ac pertractare : quatenus et vestræ fraternitatis ordo non violetur, et ipsius ecclesiæ præsul sua amittere nequaquam co-

gatur. Igitur si ab eodem Cenomanico præsule ex vobis, qui hujuscemodi quæstionem discutiant, judices electi fuerint, et alia electio in unum convenerit, tunc si illuc contentionis finis aliqua emergente difficultate dirigi non poterit; jubemus ut utraque pars in nostram specialem veniat præsentiam, ut litis intentio legali coram nostro pontificio sententia ventiletur, declaretur, atque luce clarius finiatur. Omnipotens Dominus mentes et corda vestra ad bene agendum semper inclinet, ut bonis operibus inhærendo, æquitatis atque justitiæ culmine videami sublimari.

LIV.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 863.)

Taxat illum quod monachis sancti Karilefi fuvens, Caroli regis animum adversus episcopum Cenomanensem commoverit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro HINCMARO Rhemorum archiepiscopo.

Relatu quorumdam audivimus, quod tua fraternitas contra Rotbertum Cenomanicæ urbis episcopum, pro eo quod monasterium sancti Karilefi ad jus ecclesiæ sibi commissæ vindicare velit, non parum sit indignata : ita ut animum dilectissimi filii nostri Caroli gloriosi regis adversus eum commoverit, et in synodo, quæ modo dicitur a sanctitate tua colligi, fertur quod nescio quas insidias, quasi ex alia ratione, illi nitamini præparare, lædere eum magnopere gestientes, quod de tanto viro indignum credere judicavimus. Denique si Rotbertus episcopus petit quod petere debet, impetret : si vero quod non debet postulat, nunquam obtineat : verumtamen ob id nihil sustineat omnimodis læsionis. Quod tua, frater charissime, studeat sanctitas summopere præcavere ; ne quod non credimus, injuste, vel obtentu æquitatis, idem antistes a tua lædatur in aliquo reverentia. Sed si crimen illi objicitur, sic de eo examinatio præveniat, ut judicium in illum ex nostræ auctoritatis libramine subsequatur. Nam cum vos suspectos habere videatur, indecorum, imo temerarium est, ut a vestra sanctitate aliquid patiatur discriminis. Sed et devotissimi filii nostri Caroli pii regis animum vestra beatitudo circa jam fatum episcopum placabilem ac mitem reddere nostra vice procuret : quatenus furore deposito, dum Deo auctore mentem suam ad nobis adhuc obediendum, et circa sæpe designatum episcopum benigne regere studuerit, quod vere rex sit omnibus palam detur intelligi, et cunctis manifeste ipsius pietas innotescat. Optamus fraternitatem tuam in Christo bene valere.

LV.

AD VITALEM GRADENSEM PATRIARCHAM.

(Anno 863.)

Invitat ad synodum Romæ habendam.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo confratri nostro VITALI patriarchæ.

Notum fieri religioni tuæ, et summopere necessarium judicavimus, quia pro diversis utilitatibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostram synodum vel concilium una cum cæteris sanctissimis confratribus nostris tertio Kalendarum Novembrium in S. Romana sede celebrare dispositum habemus. Quapropter apostolica auctoritate, et pastorali persuasione tuam monemus fraternitatem, ut ad condictam synodum præsens adesse tua sanctitas omnibus modis studeat, quatenus cum tua pariter cæterorumque sanctorum episcoporum industria de his quæ sanctæ Dei Ecclesiæ valde pertinentia et necessaria, satisque habentur utilia, auxiliante divina clementia, canonice ac legitime liberare secundum Deum, imo juxta illius voluntatem definire valeamus. Si autem, quod minime optamus, tua ipsa præsentia nullo modo potuerit per semetipsam præsens adesse, omnimodis decernat sanctitas tua ex suffraganeis episcopis tuis strenuos cum presbytero pariter et diacono, qui vicem tuæ fraternitatis, auctoritate tua succincti, vigilanter expleant, et cum quibus de his quæ nostro vestroque pertinent ministerio, saluberrime atque canonice instruere vel definire, Deo præstante, possimus. Optamus fraternitatem tuam in Christo bene valere.

LVI.

AD EPISCOPOS GERMANIÆ.

Adversus Tietgaudum Trevirensem et Guntharium Coloniensem in negotio divortii Lotharii regis.

(Anno 863.)

[Apud Hontheim, Hist. Trevir., tom. I, pag. 200.]

NICOLAUS, servus servorum Dei, reverendissimis ac sanctissimis fratribus nostris archiepiscopis in regno Ludovici regis Germaniæ constitutis.

Scelus quod Lotharius rex, si tamen rex veraciter dici possit qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenavit, sed lubrica enervatione magis ipsius illicitis motibus cedit, (a) Theutberga scilicet et Waldrada commisit, omnibus manifestum est. Sed et dudum episcopos Theutgaudum et Guntharium in tali facto eum habuisse tutores et fautores, pene totus nobis orbis, undique ad limina seu sedem apostolicam confluens, referebat, absentibus quoque id scribentibus apostolatui. Quod nos tanto credere renuimus, quanto de episcopis tale quid audire nullatenus sperabamus, donec ipsi Romam tempore concilii venientes, coram nobis et sancta synodo tales inventi sunt, quales fuerant a multis sæpe prædicati, ita ut scriptura, quam suis stipulaverant manibus, quamque volebant ut nostro roboraremus chirographo, caperentur, dum muscipulam innocentibus apponere satagerent, insidiis suis illaqueati sunt ipsi. Sicque completum est, Deo auctore, quod in Proverbiis legitur : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*. Siquidem ipsi obligati sunt et cecide-

(a) Desunt hic aliqua.

runt ; nos vero, qui in hoc flagitium falso cecidisse dicebamur, favente Domino,cum justitiæ propugnatoribus surreximus et erecti sumus. Igitur decernente nobiscum sancta synodo in præsentia depositi et ab officio sacerdotali excommunicati,atque regimine episcopatus alienati indubitanter existunt. Unde nostra paternitas canonum normam custodiens, et decretorum sanctiones observans,cavet ne eos quos nos abjecimus,recipere in sacerdotum catalogo quis præsumat.Depositionis autem sententia, quam in prædictos Theutgaudum et Guntharium protulimus, cum cæteris capitulis,quæ sancto concilio nobiscum sanciente promulgavimus, inferius annexa monstratur (*a*).

LVII.

AD LOTHARIUM REGEM.

Fragmentum. — (Anno 863.)

[Apud Jaffe, *Regesta pontificum Romanorum.*]

Ita corporis tui cedere motibus consensisti, et, relaxatis voluptatum habenis temetipsum in lacum miseriæ et in lutum fæcis pro libitu [*al.*, prohibitum dejecisti,et qui positus fueras ad gubernationem populorum, effectussis ruina multorum.—Probat hoc Thiegualdi (Trevirensis) et Guntharii (Colcniensis), dudum episcoporum, legitimus casus, qui pro eo, quod te minime competenter erudierunt,nostra sint apostolica depositi auctoritate,etab omniepiscopatus regimine regulariter sequestrati.— Annon districta ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech et flagitium imitatus esse dignosceris ?

LVIII.

ITEM AD EUMDEM LOTHARIUM.

Fragmentum. — (Anno eod.)

Auctoritate apostolica, non regio favore episcopus est eligendus.

[Apud Gratianum, *Decret.* I, D. 63, c. 4.]

Porro scias quia relatum est nobis quod quicunque ad episcopatum in regno tuo provehendus est, nonnisi faventem tibi permittas eligi.Idcirco apostolica auctoritate sub divini judicii obtestatione inungimus tibi, ut in Treverensi urbe, et in Agrippina colonia nullum eligi patiaris, antequam relatum super hoc, nostro apostolatui fiat.

LIX.

AD ADONEM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 864.)

Respondet variis illius consultationibus. De Lotharii regis divortio et de Alvico clerico.

Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Adoni, sanctæ Viennensis Ecclesiæ archiepiscopo.

Consultationis vestræ ad apostolicam sedem delatos suscepimus apices,qui diversitatum negotia continentes, de his vestræ fraternitati a nobis rescribi quærebant, et utrum quædam in Dei Ecclesia provide necne tenenda essent, et apostolica [*f.*,ut apostolica,Hard.]sanctio decerneret zelo charitatis summopere expetebant. Nempe sollicitúdinem vestram in talibus laudamus, et gaudentes de vobis magnis sanctitatem vestram præmiis attollimus, eo quod adeo sollicitiores vos in ecclesiasticis disciplinis reddere volumus,ut unde modo lætamur,verissima et certissima inde relatione jucundissimi efficiamur. Sed quia litterarum vestrarum latores, ut oportuerat, si propterea quia si post suos comites remansissent per incognita loca pravorum angerentur insidiis hominum sustinere nequaquam valentes, ideo vobis tam subito rescribere non potuimus,præcipue cum hac sancta Romana Ecclesia, cano exigente more, in suis pro cæteris sollicitudinem gerat, et eodem tempore propter festi paschalis dies major nobis præter solitam alii tempori consuetudinem incumberet dispensatio ecclesiasticæ occupationis.Verumtamen vestra fraternitas congruo tempore taliter dirigere studeat,ut quod nunc flagitat, tunc de requisitis tolerabilius consequatur. De cætero monemus, et sicut Dominici agri cultores estis,et pastoris vices tenetis, pastorali providentia Lotharium gloriosum regem pro dissidio prioris et assumptione alterius feminæ interim sacratis monitis et divinis increpationibus(*b*)exoremini,quatenus quod nomine dictare, opere ad exemplum subjectorum veraciter approbetur. Non sit in illo voluptatis juvenilis incontinentia, pro qua florigeræ gloriæ regnum amittat perenniter permanens. Desinat,jam desinat calcare semitam iniquitatis, et per justitiæ iter incedens ad castra Dominica vestris interventionibus sine vi procellarum securus perveniat. Et hæc quidem succincte transcurrimus,quia de vobis credimus,ut quæ saluti ejus conveniunt edicatis. (Dist. 32, *de illo clerico.*)Interea de illo clerico,Alvico nomine, quem per ordines ecclesiasticos usque ad diaconatum caste vixisse dicitis, cur nostra auctoritate uxorem duxerit miramur,et eo quod nulli unquam,exceptis illis,quos ecclesiastica regula habere permittit,uxorem ducendi licentiam dedimus.Nam exemplar epistolæ quod misistis neque recognovimus, sed nec illius stylum a nobis directum fuisse meminimus. Quocirca vestra fraternitas sollicita investigatione perquirat,ut quis auctor illius epistolæ fuerit valeat inveniri, quatenus cum apostolica auctoritas mittitur non fuscetur ;et si vestros legatos destinaveritis per eos ut ipsam epistolam nobis dirigatis optamus, quo cum illam contemplati fuerimus, vos de hac causa certissimos reddere possimus.Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere. Data III Kalend. Aprilis, indictione XII.

(*a*) Vide Acta concilii Metensis, apud Mansi Conciliorum tom. XV, col. 651.

(*b*) Locus corruptus.

LX.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 864.)

Rothadum ab itinere Romano prohibitum fuisse indignatur. Jubet ut quamprimum dirigatur, et illius interim loco episcopum ordinari vetat. Monet ad extremum, ut Guntharii communionem ipse atque ejus suffraganei caveant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, Hincmaro archiepiscopo Rhemorum.

Ad fraternitatem tuam, epistolam dilecto filio Carolo glorioso regi quæ suo nomine titulatur, a te mittendam dirigimus: idcirco apostolatus nostri scripto hortamur, ut illam instantius prædicto regi destinare procures, et pro nostro amore sine mora facias præsentari. Miramur præterea et æquanimiter ferre non possumus, cur apostolica nostra monita jam toties pro confratre nostro Rothado episcopo vilipendens, spernere non recuses, de quo non solum ter, sed et quater charitati tuæ, ut recuperaretur, direximus, et ad ultimum statuimus, ut autem honori pristino redderetur, aut Kalendis Maii istius XII indictionis apostolatui nostro cum legatis tuis præsentaretur. Quod non tantum fieri renuisti, sed etiam cum ipse venire vellet, iterque jam cœptum haberet, non est permissus: sed potius coactus, retro reversus est. In quo datur intelligi, ut tua fraternitas ad hujus casum prompta existere possit, quando et apostolica præceptio ad injuriam beati Petri apostoli illis in partibus non observatur, et a te spernitur ac violatur. Si vero erga apostolicam charitatem nostram benevolentia tua haberetur, saltem cur in veniendo idem Rothadus fuerit impeditus, nobis significasses. Recognosce ergo atque considera, quia bene agere minime probaris, cum constet nos, Domino annuente, prædicti Rothadi causam usque in finem indiscussam nequaquam dimittere: sed pro viribus eo quod ad sedem apostolicam appellavit, ad veri examinis perducere nos velle æquitatem. Tu autem, frater charissime, omnem inobedientiam depone, et tum per te, quam per filium nostrum Carolum gloriosum regem, eumdem episcopum, quem a nobis exaudiendum venire jubemus, iterumque præcipimus, ad apostolicam beati Petri sedem, cujus membra esse probamini, cum missis tuis quantocius dirigere studeas, si tuam charitatem in integritate firmissime petræ desideras collocare, ubi Christus domum suam fundavit. Nam et alterum episcopum, qui post illum sedem in ejus dejectione suscepit ibi non consecres, donec coram nobis, de eo examinatione præmissa, luce clarius causam ejus vere intentione discutiamus. Quoniam, ut sæpe diximus, repetimus ac tenemus, illum sine examine non dimittemus. Sed et illud quod fraternitatem tuam cavere oportet, necessario intimamus, de Gunthario scilicet uno de damnatis, qui contra sanctorum Patrum statuta, contraque nostri apostolatus et sanctæ synodi sanctionem, ut fama jactitat, juxta præcedentem consuetudinem de sacro ministerio quod ei prohibitum fuerat, attrectare præsumit, et id quod contra eum canonice actum est, irreverenter defendere quærit. Nos autem, eo quod sic definitum cum sancta synodo habemus, nullatenus, si ita est, ei communicamus, sed ab omni communione fidelium illum cum sequacibus, consentaneis, fautoribusque suis alienum esse penitus judicamus. Verumtamen ne illius sola fæce tu vel suffraganei tui episcopi, sicut jam vobis mandavimus, coinquinari valeatis, summopere exhortamur, monemusque atque præcipimus. Nam et qualis sit idem Guntharius, quantumque sanctorum Patrum excesserit regulas, viva voce jubemus omnibus publicare, et ejus præsumptionem palam ad canonicam censuram cavendam edicere procurare. Diu sanctitatis vestræ fraternitatem ad exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ Deus omnipotens servet incolumem.

LXI.

CAPITULA RESPONSIONUM NICOLAI PAPÆ.

Ad legationem Salomonis episcopi missi anno 864 a rege Ludovico Germanico.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Fateor veraciter apostolatum nostrum commotum fuisse adversus eum, non quia illicitæ copulæ consensit, sed quia sicut non consensit, sic non prohibuit. Et non sufficiat ad salutem non facere malum, si non faciamus bonum. Job sancto non sufficeret solum quia simplex erat per innocentiam, nisi esset et rectus per æquitatem. Duo filii Juda, iniquus scilicet et semen in terram fundens, duo genera hominum significant, unum videlicet per malitiam nocens, et alterum per benevolentiam præstare nolens. Sed utrumque Dominus iratus occidit. Rursus qui nos vult simplices esse sicut columbæ, admonuit ut simus prudentes sicut serpentes. Nam et Spiritus sanctus in columba et igne monstratus est, quia omnes quos repleverit simplices et ardentes facit, simplices puritate, ardentes æmulatione. Videte ergo quomodo placere Deo simplicitas sine zelo non possit. Talem igitur se debuit per zelum rectitudinis contra injustitiam exhibere, ut omnibus palam daretur intelligi justo regi rectoque principi non placere tam immane piaculum, maxime in suo sanguine et in sua carne. Sed cum simplices ita illum tepere vidisset et forinsecus nulla pro veritate commoveri æmulatione, arbitrati sunt quod nisi placeret illi, nullo modo tanto silentio uti potuisset. Unde seducti secuti sunt nefas sicut nefas. Quod præcavens Eleazar, de quo apud Machabæos legitur, cum juste prohibita perficere cogeretur, nec saltem æstimari voluit talibus suasionibus annuisse: cui cum placere ob ejus reverentiam carnificcs voluissent, et ipse posset et mortem evadere et in legitimis Domini non peccare, maluit mortem eligere quam vitam ad infirmorum enervationem diligere. Nam quid prodesset Deum in occulto non abnegare, et tamen palam non glorificare? Denique cum Christus sit

veritas, quisquis pro veritate palam non certat, Christum coram hominibus procul dubio abnegat.

I. Si voluntas ejus nec erat, nec est, nec erit in illa injusta copula, Deo gratias agimus, quia valde diligimus illum. Et idcirco plurimum doleremus si, quod absit, aliter esset. Sed quia Deo gratias rex est et in sublimi potestate consistit, palam omnibus innotescat suam non esse in tali copula voluntatem; ut videntes homines ejus bona opera, glorificent Patrem nostrum qui est in cœlis. Nemo quippe, sicut Veritas dicit, accendit *lucernam et* ponit *eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt* (*Matth.* v). Ergo deserat simulationem, et arripiat liberam audaciam, quam pro Dei nomine, non solum cum est rex, verum etiam si esset pauperrimus, apprehendere nequaquam formidare debuerat. Quia vero quando habuerunt synodalem conventum, ibi nec ipse fuit, nec episcopi de regno ipsius, hoc magnopere laudandum non est, eo quod si esset, forsitan contradixissent, forsitan ascenderent ex adverso et opponerent murum pro domo Domini. Verum melius judicamus eos ibi non fuisse quam si essent et vel tacendo consensissent. Queniam autem propter nostram petitionem et amorem fratris sui familiaritatem habuit cum illo, et regnum ejus stabilivit et adhuc stabilire vult, si nostræ obedierit jussioni bene facit. Sed, proh dolor! quid ei prodest regnum terrarum qui perdit ætherium? Vel cujus familiaritatis societas haberi potest cum eo qui dissociatur a Deo, et carnem suam odio habens, tollit membra Christi, et facit ea membra meretricis.

II. Quod si a via veritatis ille Lotharius deviaverit et normæ justitiæ non obedierit, et domnus rex Ludovicus postulat nostrum apostolatum, sicut credimus quia ex cordis postulat simplicitate, et confidimus quia postquam nostrum consilium quærit, non parvipendet, sed obedienter perficiet, interea disponimus eumdem Lotharium admonere, et iste patruus ei similiter faciat. Quod si toties conventus parere nobis distulerit, neminem Christianorum cum eo volumus familiaritatem aliquam habere, sed sit ulterius omnibus sicut ethnicus et publicanus cum familiaribus suis. Tu autem, sanctissime episcope, bene nosti quia sæpe nonnulli compulsi redeunt ad viam salutis. Unde si sicut apud nos nullum potuit habere suæ iniquitatis præsidium, ita nullum invenisset apud patruos et fratres suos confugium, jam vel coactus rediret. Sed cum invenit requiem apud hos et tutamentum, reverti contemnit. Quia vere nos cum sancta synodo juxta canones ea conditione Theodgaudum et Guntharium deposuimus ut si juxta præcedentem consuetudinem aliquid de ministerio sacro auderent contingere, nullo modo liceret eis nec in alia synodo restitutionis spem aut locum habere sotisfactionis, sed et communicantes eis omnes adjici de Ecclesia, et maxime si postea quam didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverint, et nunc audimus Guntharium interdictum sibi ministerium usurpasse; quapropter tale consilium damus et per auctoritatem Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum principum et omnium simul sanctorum patrum domno regi Ludovico injungimus ut ab ejusdem Guntharii vel etiam Theodgaudi communione se suosque omnes et præcipue episcopos substrahat, et a familiaritate eorum qui illis communicant vel quoquo modo favent, se et suos quotquot potest contineat, ita tamen si verum est quod interdictum sibi episcopale officium peragant, vel si conventicula contra diffinitionem nostram in ipsos prolatam congregare tentaverint; similiter et a Lotharii communione se omnino suspendat, ita duntaxat si idem Lotharius monita nostra negligens in copula Waldradæ permanere delegerit, vel si cuilibet damnatorum præfatorum contra decreta nostra renitenti communicare vel favere præsumpserit. Alioquin nec Dei nec beatorum apostolorum Petri et Pauli, nec sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ communionem habere procul dubio poterit.

III. Piæ memoriæ Ludovici imperatoris studium collaudamus, prædecessorisque nostri sanctæ memoriæ Gregorii vestigia sequi parati sumus.

IV. Ut episcopus Bremonensis, licet a Gunthario hæc non potuerit dari licentia, nec ab eo tale quid peti debuerit, tamen pro amore domni regis, quia pia est ejus petitio, cum nostra auctoritate in prædicto loco Bremon potestatem et honorem archiepiscopatus super Donas et Suevos habeat, et simili modo sui successores per tempora futura perpetualiter teneant atque possideant.

V. De episcopo Radasbenensis civitatis, si adeo, sicut dicis, infirmatur ut de ovibus sibi commisis nullam curam habere possit, ne sine sollicitudine pastorali degentes oves Christi depereant, profiteatur scripto et propriæ manus subscriptione suo metropolitano se nil lucri plebi sibi commissæ posse pro sua gravi ægrotatione conferre. Sed et simili modo nunquam se deinceps episcopale officium repetiturum polliceatur, si tamen ejus in hoc tota voluntas est et de sanitate ipsius modis omnibus desperatur. His ita gestis, non talis qualem ipse elegerit, ne contra canones successorem sibi ipse elegisse videatur; sed quem cleri et plebis cum consensu metropolitani voluntas egerit, is loco ipsius episcopus modis omnibus consecretur, de ipsa Ecclesia superstiti episcopo stipendiis quandiu vixerit sufficientibus per successorem suum episcopum subrogandis.

VI. De Hartuvigo Pazzouvensis civitatis episcopo, quem asseritis ante annos quatuor paralysi percussum, ita ut nil valeat luqui, et Ecclesia sibi commissa dissipetur et ad nihilum redigatur, dum et omni pastorali cura destituta et nulla episcopali providentia circumsepta, si ita est, debet idem episcopus saltem scripto profiteri se officium illud non posse peragere. Quod si hoc agere non potest, quomodo possumus viventi episcopo propriam Ecclesiam auferre, dum divitias misericordiæ Dei nullus comprehendere

possit, et dum ipsi quæ minus putamus ipsius dispensatione occurrunt? Sit ergo cura rerum ecclesiasticarum œconomo electo de proprio clero juxta sacros canones commissa; et quæ ad episcopum agere pertinent, per episcopum quem metropolitanus antistes ad hoc opus agendum elegerit interim gerantur. Aliter autem de hoc quam de superiore diximus, quia illius affatu scire possumus, istius vero voluntatem nosse nequimus.

VII. De episcopo juventi [*al.*, juveni] facimus quod pie a nobis re voluit postulare.

VIII. Similiter de Liudberto archiepiscopos facimus quod poposcit.

IX. Hymnus angelicus, id est *Gloria in excelsis Deo*, non est a presbyteris nisi in paschali festivitate dicendus, quod et liber Sacramentorum demonstrat, et consuetudo in Romana Ecclesia antiquitus observata patenter ostendit, quam debere omnes in ordinibus ecclesiasticis sequi beatus Innocentius in principio decretum suorum luculenter exponit.

X. Pro rege Danorum, qui vovit votum Deo et sancto Petro, gratias agimus eidem Deo, deprecantes pariter ut quod nobis de Cornelio centurione refertur, faciat quoque clementer de hoc in proximo nos audire. Cui orationes et eleemosynæ etsi ante baptismum non profuerunt ad diluendam impietatatem, profuerunt tamen ad cognoscendam veracissimam pietatem.

XI. Quoniam nuntias quod fidelis rex dispositnm habeat venire Tullinam et deinde pacem cum rege Vulgarorum confirmare et Rastitium aut volendo aut nolendo sibi obedientem facere, oramus omnipotentem Deum ut angelus qui fuit cum Jacob patriarcha, sit quoque cum ipso et cum omnibus suis, et bene disponat iter ejus, et cum pace et gaudio revertatur ad propria.

XII. Quia vero dicis quod Christianissimus rex speret quod ipse rex Vulgarorum ad fidem velit converti et jam multi ex ipsis Christiani facti sint, gratias agimus Deo, quem precamur ut abundare faciat incrementa frugum in horreo suo. Jejunium vero pro eis et orationes, sicut per te hortatur, Deo propitio faciemus.

XIII. Præterea fateris quod devotissimus princeps deprecetur nos ut si aliquis sinistrum quippiam de illo nobis per missum seu per epistolam intimaverit, non ei credamus priusquam ipse venire præsens vel suos idoneos lugatos ad nos possit transmittere. Cui renuntiamus quia nos pignus repromissionis dilectionis et devotionis suæ retinemus. Cujus memores, si quid de ipso sævum forte audiremus, tanquam si ranarum cantus declinare studebimus. Verum ipse semper operetur unde tripudiantes lætemur et ob id Deo gratias debitas persolvamus.

XIV. Porro asserverasti quod domnus rex nobis ita deinceps obediens per omnia fieri velit ad nostram mutuam sanctæque Dei Ecclesiæ exaltationem sicut filius patri et junior magistro, sis pem firmam in nobis habere potest, sicut habuit postquam nos Deus in sancta hac sede constituit. Cui intimamus uti post Deus talem in nobis spem habeat ut nullus sit cui ille credat quod nos illi et suis non omne gaudium et omnem velimus evenire lætitiam, optantes scilicet, et Deum omnipotentem incessanter flagitantes, ut non solum in præsenti sæculo prospere regnet atque per multa temporum curricula vigeat, verum etiam in futuro cum Christo sine fine beate vivat, Deum sicut est contemplans.

LXII.

NICOLAI EPISTOLA AD ANSGARIUM ARCHIEPISCOPUM HAMBURGENSEM.

SEU

Bulla pro conjunctione episcopatus Hamburgensis et Bremensis anno 864 *data.*

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, omnibus fidelibus Ecclesiæ sanctæ Dei, præsentibus et futuris, salutem et apostolicam benedictionem.

Quisquis Dominum, et Redemptorem nostrum Jesum Christum de sinu Patris ad terram pro demonstranda cordibus hominum vera et certa fide descendisse non dubitat, profecto non ignorat, omnes, qui ejusdem fidei per gratiam ipsius participes facti sunt, et præcipue nos, qui per primum tantæ virtutis ministrum locum præcipuum tenemus, hominibus debere lucrandis insistere, et per universas gentes verbi semina serere, ac solatia ferentibus ministrare. Nunc autem quia Ludovicus sublimissimus rex per Salomonem venerabilem episcopum civitatis Constantiensis, nostro studuit apostolatui intimare, quod piæ memoriæ Ludovicus (*a*) pius imperator progenitor (*b*) suus, quemdam monachum nomine Anscharium de monasterio Corbeiensi tulisset, et collocasset eum juxta Albiam fluvium in confinibus Danorum Saxonumque (*c*) in castello Hammeburg, inter duos episcopatus, Bremensem scilicet et Verdensem. De quibus tollens ecclesias, et decimas ad sustentationem provehendi præfati jam episcopi clericorumque ejus, condonasset in prædicto loco, annuente, ac solemnia sedis apostolicæ privilegia præbente prædecessore nostro bonæ memoriæ Gregorio papa. Cujus et auctoritate in supradicto Nordalbingorum populo sedes constituta est archiepiscopalis in castello superius memorato Hammeburg, et in eadem quoque sede accepto a sede apoctolica pallio, archiepiscopus primus ordinatus est Anscharius, cui a præfato (*d*) summo pontifice delegata est cura seminandi verbum Dei, et animas Deo lucrandi (*e*). Cujus delegationis et auctoritatis, ac pallii acceptionis pagina nobis est a præfato filio nostro Ludovico rege per jam dictum Salomonem sanctissimum episcopum destinata,

(*a*) Deest in editis Bolland., *pius*.
(*b*) Boll., *genitor*.
(*c*) Boll., *et Slavorum*.
(*d*) Boll. non legit *summo*.
(*e*) Hic desinit Boll. Sed hic incipit excerptum a Remberto in Vita S. Ansgarii datum.

juxta morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ ebullata. Per cujus paginæ tenorem hæc ita facta fuisse comperimus, sicut pietas nobis jam præfati regis per fidelem virum Salomonem episcopum intimavit. Unde nos vestigia tanti pontificis et prædecessoris nostri Gregorii sequentes, omnemque Deo dignam ibi statutam providentiam agnoscentes, magnorum principum votum, Ludovici videlicet divæ recordationis Augusti, et æquivoci ejus filii excellentissimi regis, tam hujus apostolicæ auctoritatis præcepto, quam etiam pallii datione more prædecessorum nostrorum roborare decrevimus, quatenus tanta fundatus auctoritate prænominatus Anscharius primus Nordalbingorum archiepiscopus, et post ipsum successores ejus, lucrandis plebibus insistentes, adversus tentamenta diaboli validiores existant. Ipsum filium nostrum jam dictum Anscharium legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueorum, Danorum et Slavorum, ac in cæteris ubicunque illis in partibus constitutis divina pietas ostium aperuerit, publicam evangelizandi tribuimus auctoritatem. Ipsamque sedem Nordalbingorum, Hammeburg dictam, in honorem S. Salvatoris, sanctæque ejus intemeratæ Genitricis semper Virginis Mariæ consecratam, deinceps esse decernimus archiepiscopalem. Atque ut strenui prædicatoris episcopi, post decessum dicti Anscharii archiepiseopi, crebro persona tanto officio apta eligatur semper sucecssio (successura) sub divini obtestatione judicii statuimus. Verum quia Carolus rex, frater supradicti regis Ludovici, post decessum imperatoris patris sui, piæ memoriæ Ludovici, abstulit a prænominato loco, qui dicitur Hammeburg, monasterium, quod appellatur Turholt, situm in occidentali Francia, quod illis genitor suus ad supplementum et victum episcopos et clericis ejus dederat, cœperunt, ut fertur, ministri altaris recedere. Deficientibus quippe necessariis sumptibus, ab ipsis recesserunt gentibus, et eadem ad gentes legatio per hujusmodi factum defecit. Ipsa quoque metropolis Hammeburg pene deserta est facta. Igitur dum hæc agerentur, defunctus est diœcesanus Bremensis, quæ huic contigna esse dicitur. Cumque sæpe dictus rex et hanc diœcesim vacantem, et illam novellam institutionem cerneret deficientem; insuper et utramque hanc Ecclesiam, Dei permittente occulto judicio, per barbarorum sævitiam admodum attenuatam; quærere cœpit, qualiter prædicta Bremensis Ecclesia prædictæ novellæ archiepiscopali uniretur, et subderetur sedi, nostro hoc votum roborante decreto. Unde per sæpe dictum venerabilem missum Salomonem Constantiensem episcopum, nobis hoc relatum est confirmandum, ac postulatum est nostra auctoritate roborandum. Nos ergo id subtili perpendentes examine, animadvertimus propter instantem necessitatem et animarum lucra in gentibus ostensa, utile fore, omnia quæ proficua Ecclesiæ probantur existere, et divinis non insultant præceptis, licita, et facienda esse non dubitamus, maxime in tam novellæ Christianitatis plantatione, in qua varii solent eventus contingere. Quamobrem auctoritate omnipotentis Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli hoc nostro decreto decernimus, secundum reverentissimi regii Ludovici votum, ipsas prædictas diœceses, Hammeburgensem videlicet et Bremensem, non deinceps duas, sed unam esse, et vocari, subdique sedi, quæ prædecessoris nostri decreto archiepiscopali est munere sublimata, restituta duntaxat de Bremensis Ecclesiæ rebus episcopatui Verdensi parti inde ablata. Nullus vero archiepiscopus Coloniensis ullam deinceps in eadem diœcesi vindicet sibi aucioritatem; quinimo et ipsi, et omnibus omnino suademus veræ religionis cultoribus, ut sacra hæc legatione fungentibus adjutorio sint et solatio, quatenus gratia hujus beneficii plenam mercedem recipere mereantur ab eo qui dixit : *Ite, docete omnes gentes;* et : *Quicunque recipit vos, me recipit* (*Matth.* x *et* xxviii). Itaque omnia a dilecto filio nostro Ludovico ad hoc Deo dignum officium deputata, nostra etiam pia ejus vota auctoritate firmamus. Et quia casus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, omne quoque adversantem, vel contradicentem, atque nostris his studiis quoquomodolibet insidiantem anathematis mucrone percutimus, atque perpetuæ ultionis reum diabolica sorte damnamus, ut culmen apostolicum more prædecessorum nostrorum causamque Dei pio affectu zelantes, ab adversis hinc inde partibus tutius muniamur. (*a*) Et quia te, charissime fili Anschari, divina clementia nova in sede primum disposuit esse archiepiscopum, nosque tibi pallium ad missarum solemnia celebranda tribuimus; quod tibi in diebus tuis uti, et Ecclesiæ tuæ perpetuo statui manentibus privilegiis uti largimur, idcirco hujus indumenti honor a te servandus est morum vivacitate. Si ergo pastores ovium sole geluque pro gregis sui custodia, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis lanianda morsibus. oculis semper vigilantibus circumspectant, quanto sudore, quantaque cura debemus esse pervigiles nos, qui pastores animarum dicimur, attendamus, et ne susceptum officium in terrenis negotiis aliquatenus implicare debeas, admonemus; vitaque tua sit filiis tuis via. In ipsa, si qua fortitudo illis inest, dirigant, in ea quod imitentur aspiciant. In ipsa semper considcrando proficiant, ut tuum post Deum videatur esse bonum quod vixerint. Cor ergo tuum neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant. Districtum mali cognoscant, pium benevoli sentiant. Insontem apud te malitia aliena non maculet, reum gratia non excuset. Viduis et pupillis injuste oppressis defensio tua subveniat. Ecce, frater charissime, inter multa alia, ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii. Quæ si studiose servaveris, quod foras accepisse ostenderis, intus habebis. Verumtamen ista omnia superius annexa, ab apostolica

(*a*) Hic desinit Rembertus.

sede beatitudini tuæ indulta cognosce, si a fide et decretis sanctæ Ecclesiæ catholicæ Romanæ in nullo deviaveris. Quod si a fide et institutis sedis apostolicæ declinare præsumpseris, his nostris tibi collatis beneficiis carebis. Porro te pallio uti nonnisi more sedis concedimus apostolicæ, scilicet, ut successores tui per semetipsos vel legatos suos fidem nobiscum tenere, ac sanctas sex synodos recipere, necnon decreta omnium Romanæ sedis præsulum, et epistolas, quæ sibi delatæ fuerint, venerabiliter observare, atque perficere omnibus vitæ suæ diebus scripto se et juramento profiteantur. Scriptum per manum Zachariæ notarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio. Indict. XII, imperante Ludovico imperatore anno suo (*a*) qninto.

LXIII.

AD HORIGUM REGEM DANIÆ.

(Anno 864.)

[Ex *Actis Sanctorum*, tom. I, pag. 407.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei. HORICO(*b*) regi Danorum.

Multas omnipotenti Deo gratias egimus in adventu fratris et coepiscopi nostri Salomonis, qui missus a filio nostro glorioso rege Ludovico et munera tua obtulit et de fide tua, quam etiam ante baptismi gratiam per prævenientem Dei misericordiam jam habere dignosceris, nos plurimum exhilaravit. Et ideo levantes oculos ad eum, qui solus est verus et unicus atque omnipotens, incessanter pro salute tua clementiam ejus suppliciter exoramus, ut qui dixit de tenebris lucem splendescere, et sancti sui Spiritus illustratione caliginem ignorantiæ vel infidelitatis e cordibus illorum, qui crediturі erant in nomine ipsius, sua præveniente gratia dissipavit, jamque in te miserationis suæ opus ostendere solita pietate curavit; ipse quoque oculos tuos ad cognoscendam veritatem aperiat, e pectore tuo ignorantiæ tenebras abigat, duritiam et velamentum cordis tui removeat, lumenque tibi veræ fidei ac religionis ostendat, atque te ad suam attrahat cognitionem, et ad salutarem fontem et ad perenne regnum et ad vitam perducat æternam; ubi est gaudium sine mœrore, satietas sine fastidio, salus continua, vita indeficiens, pax non habens finem, et summa manet securitas ac sempiterna gloria : ubi videbitur Deus sicuti est, et omnes justi cum illo regnabunt, et regnum ipsorum nec terminis angustiatur, nec præliis agitur, nec fine concluditur, nec consummatione finitur. Quod agnoscentes nos, qui fidem Christi tenemus, et Christiani vocamur, credimus in ipsum, qui talem nobis vitam et regnum promisit, ac multo amplius illi servimus et colimus pro illa vita, quam pro ista, quæ tota misera est, tota plena periculis, ubi est mæror continuus satietas cum dolore, sanitas brevis, vita mortalis, jurgia, ac suscepta securitas, et cito deficiens gloria, ubi scriptum est : *Militia est vita hominis super terram, et quasi dies mercenarii dies ejus* (Job VII, 1) : ubi, inquam, regnum breve est, et jugibus bellis concutitur, et post paululum de manu possidentis adimitur, dum etsi non virtute hominis, tamen conditione mortis aufertur. Desine ergo idola colere, et dæmonibus jam servire desiste. *Omnes enim dii gentium*, dicente Psalmista, *dæmonia; Dominus autem cælos fecit*. Itaque qui fecit et qui [*adde* non] factus est, creator et non creatura colendus est. Ecce enim idola tua manu facta, surda, muta, et cæca sunt; et quam tibi salutem possunt conferre, ipse, quæso perpende, cum sibimet nullum auxilium, cum sint sine sensu, valeant omnino præstare. Deum igitur cole, ipsum adora, ipsi soli singularem servitutem impende, qui est omnipotens, omnitenens, ineffabilis, immensus, infinitus, simplex, incommutabilis, incirconscriptus, immortalis, totus bonus, totus misericors, totus sanctus; qui tibi et in hoc sæculo auxiliari potest, et in futuro beatificare; qui tibi post mortem vitam dabit quæ non finitur, et regnum tribuet, si eum perfecte colueris, et amaveris, quod nesciat prorsus occasum, nec sentiat ullum sui status aliquando decrementum. Illuminator omnium Deus omnipotens illuminet cor tuum et ad agnitionem suam perducere dignetur.

LXIV.

AD HERMENTRUDEM REGINAM

(Anno 864.)

Gratias agit de muneribus ab ea missis.

[Apud Mansi, *Conc.*, tom. XV.]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, HERMENTRUDI gloriosæ reginæ.

Devotionem tuam et fidem quam sublimitatem tuam circa beatorum apostolorum reverentiam habere perspicimus agnoscentes, dignas Domino Jesu Christo retulimus gratias. Nam et munerum vestrorum diversis speciebus oblatis non tam censum, quam pium considerantes affectum reginæ Austriæ industriam tuam prætulimus. Siquidem tanto coram nobis gratius, quam præfatæ reginæ, vestra munera suscepta sunt, quanto illa mortali, tu vero, filia chorissima, immortali regi, et Ecclesiæ ipsius principibus, qui cum eo feliciter regnant, et vobis intercessionibus suis solatia conferunt, dona non tam corruptibilia, quam semper mansura, et ante Deum jugiter florentia obtulistis. Et revera, si illius quæ

(*a*) Apud Lunig. Spicileg. pagin. 73, ubi pariter hæc bulla habetur, recte legitur : *decimo quinto*.

(*b*) Est hic Horicus junior, qui puer regnum accepit anno 854, et ultra anno 888, quo sanctus Rembertus decessit, creditur regnasse : hunc a S Anschario placatum Christianitatem suscepisse suisque omnibus, ut Christiani fierent per edictum mandasse, scribunt Adamus c. 28, et Albertus ad annum 853. Imo *regem Daciæ*, qui Danorum est, a *S. Remberto baptizatum esse*, traditur, in vetere scripto Ecclesiæ Bremensis una cum Historia archiepiscoporum Bremensium post Adanum edito. Quæ miramur nusquam in Vita SS. Anscharii aut Remberti proferri. Ex hac epistola eum Christianis favisse constat, et ex Actis S. Anscharii permisisse subditis fidem Christi, si vellent, amplecti.

duo tantum minuta in gazophylacium misit, tanto est munus coram Deo acceptum, quantum putas vestra fore grata, quæ plurima contulistis? imo quod est majus, temetipsam devotione et fide Domino, ejusque servis, totis affectibus exhibetis? Omnipotens Deus te incolumem custodiat, dilectissima filia.

LXV.

AD RODULFUM BITURICENSEM ARCHIEPISCOPUM EJUSQUE COEPISCOPOS.

Anno 864.)

Scribit iterum de Theutgaudo et Gunthario a sede apostolica damnatis, monetque ut ab eorum communione penitus abstineant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Rodulfo Bituricensi archiepiscopo, ceu omnibus venerabilibus fratribus nostris episcopis diœceseos tuæ.

Nuper, fratres charissimi, vobis scripta, quibus damnationem Theutgaudi et Guntharii dudum archiepiscoporum vestræ notam fecimus sanctitati, transmisimus: sed utrum ad vos usque perlata sint, penitus ignoramus. Quapropter quæ habentur in subditis, vobis mittenda decrevimus; ut quæ sit apostolica censura et quam juste in fautores adulterorum commota nostra fuerit auctoritas, experientiam vestram non lateat : quatenus cum apostolica sede de his zelo zelati pro domo Domini sentiatis, quos etiam ante sententiam nostram damnatione dignos nullo modo dubitaveratis. Ipsi quippe, more pseudoprophetarum, de quibus scriptum est, quod viderint et prophetaverint falsa, terreno regi, et post concupiscentias suas eunti, favere studentes, contempserunt cœlestem regem, ante cujus oculos omne versutiarum patet argumentum, et quasi aranearum tela omnis callida dissipatur astutia. Insuper ad majorem suæ cumulum damnationis, Ingeltrudem uxorem Bosonis, quæ relicto viro proprio cum adultero adultera in eorum diœcesibus commorabatur, non solum ad virum suum repedare minime fecerunt, vel ab omni Christianitatis nomine vinculis illam anathematis innodandam sequestraverunt, juxta quod a sanctæ memoriæ decessore nostro Benedicto papa, et a nobis per multa fuerat jam tempora monitis et terroribus conventi : verum etiam a nobis cum suis complicibus et fautoribus jam anathematizatæ, adeo post sibi intimatam sententiam in ipsam a nobis prolatam, favere consenserunt, ut in suis illam diœcesibus degere, et ecclesias intrare, et cum fidelibus in locutione, et cibo ac potu communicare permiserint : imo, ut ipsi coram nobis et sancta synodo sunt professi, licentiam ei copiamque taliter conversandi tribuerint, et contra ipsos Nicænos canones, quam nos abjecimus ipsi receperint. Quæ nimirum omnia constat illis fuisse prohibita, sicut ad præfatos nostra indicat super hæc remissa præceptio. Itane fratres debuit tam immane sine vindicta exsilire flagitium? et debuit apostolica sedes, solli- A citudinem habens omnium Ecclesiarum Dei, tanti auctores piaculi ad subversionem fidelium immunes deserere? Et ubi erit quod primus ejus sessor tertio a legislatore summo audivit, *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI), si tanta desidia easdem, nullo zelo ascensi, nulla utentes virga, a tam voracibus lupis permiserimus discerpi? cum, licet indigni pro patribus nati filii, vicem ejus agentes, Dei sumus gratia constituti in domo ipsius principes super omnem terram? Igitur quia unum damnatorum, Guntharium scilicet, crebrescens fama divulgat imperatoris et regnum auribus contra statuta canonica molestiam inferre, et quorumdam fratrum corda fallacibus et suasoriis decipere verbi, contra id quod adversus se actum est, velle impudenti fronte consurgere : nos, ei quia ita est ab apostolatu nostro, et a sancta sede definitum, nullo modo communicavimus : quin potius ab omni eum communione fidelium, et cum particibus et fautoribus suis, Dei auctoritate judicavimus penitus esse alienum. Oportet ergo fraternitatem vestram summopere præcavere, attentiusque fore sollicitam, ne forte, quod absit, homini hærentes perverso, ab illa petra decidatis, super quam verus architectus totius domus suæ voluit fundamenta construere, et auctorem pravitatis sequentes, amittatis communionem ipsius, a quo et episcopatus et apostolatus sumpsit initium : per quem etiam vos, per gratiam Dei, non solum episcopi, verum et Cristiani estis effecti. Capiti ergo religionis, id est sanctæ apostolicæ sedi, hærete : caput autem serpentis pravæ videlicet suggestionis, antequam cor penetret, in prima fronte conterite. Cepimus enim vobis, dilectissimi, vulpes, sicut quidam nos patrum nostrorum hortatus est, quæ demoliebantur in vineis (*Cant.* II) : videte ne vos dormientes reperiat, et pro depasta vinea sua is qui in ea vos custodes posuit, desidiam vestram iratus percutiat. Quam rogo validitatem vestra poterunt habere judicia, si nostra quomodolibet infirmantur, de quibus nec retractari licet? vel quod robur concilia vestra obtinere valebunt, si suam perdiderit sedes apostolica firmitatem, sine cujus consensu nulla concilia vel accepta esse leguntur? Aut legite sacros canones, et synodalia gesta revolvite, et videte, quod sedi apostolicæ, non solum quoslibet metropolitanos, quorum causa eidem est sedi semper servanda, verum etiam patriarchis moris fuisse pro emergentium qualitate damnasse, vel etiam absolvisse; jusque semper et fas habuisse de omnibus sacerdotibus judicare : ut pote cui facultas est in tota Christi Ecclesia leges speciali prærogativa ponere, ac decreta statuere, ac sententias promulgare. Quod vestra reverentia nos non existimet, quia nostra dicimus, in hoc quidquam præter veritatem dicere, cum Dei potius quam nostra sint, beati Petri meritis Romanæ sedi collata; et arbitremur, quod nos hic asserimus, etiam vos nullatenus ignorare, et quæ in præsenti pagina scribimus, vos affatim in archivis vestris recondita possidere. His ita prælibatis, stylum nostræ prosecutionis ad fraternitatem vestram re-

flectimus; quam utique nisi tanto amoris cultu diligeremus, nequaquam tanto affectu ad declinandum a pravis ad sectandam æquitatem incitaremus. Unde sub divinæ majestatis vos intuitu convenimus, et coram sanctis angelis, et beatis apostolis ejus, merito interdicimus et contestamur, ut sinceritatem communionis vestræ nulla præfatorum, Theutgaudi scilicet et Guntharii, vel faventium illis contagione polluatis, nec societate ipsorum, vel eis communicantium, vestram innocentiam corrumpatis : si tamen nostræ communionis et charitatis participes, sicut nunc usque, inveniri per gratiam Dei desideratis : vel si ipsi resultare, vel minime acquiescere his, quæ a nobis contra se promulgata sunt, forte præsumpserint. Alioqui scitote vos ab apostolicæ sedis communioue, gratia et pace, perpetua nostræ auctoritatis sententia sequestrandos : imo quod illi experti sunt, sicut olim decrevimus, vos quoque fore, quod non optamus, penitus incursuros. Verum ut unum vos nobiscum sapere et velle liquidius ostendatis, hortamur quatenus binos de collegio sacerdotali vestræ sanctitatis legatos, omnium vestrorum vices agentes, circa Kalendas Novembris ad apostolicam sedem destinare curetis : quo temeratorum, semelque damnatorum, et totius mali auctorum, recidiva radicitus amputata præsumptione, sanctæ Ecclesiæ ex se bonitas generetur, et divinæ Trinitati debita laus, et gratiarum actionum sompiterna gloria referatur. Amen (*a*).

LXVI.

AD RODULFUM ARCHIEPISCOPUM BITURICENSEM.

(Anno 864.)

Respondet ejus litteris et consultis.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo confratri nostro Rodulfo sanctæ Bituricensis Ecclesiæ archiepiscopo.

Susceptis beatitudinis [*al.*, sanctitudinis] tuæ litteris, humilitatis dono refertis, cunctarumque virtutum floribus redimitis, multiplices gratiarum cultus omnium bonorum auctori rependimus, tuamque a multis retro temporibus erga sedem apostolicam agnitam devotionem plurimum collaudamus, atque ut in hoc salubri proposito perseveres, fraternitatem tuam obnixius adhortamur. Sic enim et sanctæ conversationis pedem quo tendere debeas, perspicacius prænoscere poteris, et supervenientia pravorum jacula prævidere et declinare liberius revelante Domino prævalebis, si in apostolicæ sedis petra more majorum præsidium tuum locaveris, ejusque fidei, doctrinæ, vel decretis, arctius inhærere contenderis, quam ille sua sacravit sessione, quem Dominus Jesus Christus Ecclesiæ suæ primum et speciale retinere fastigium, quin et cœlestis atrii delegit summum constituere janitorem. Igitur de quo loquimur, beato videlicet Petro, quamvis solito nunc angustius ecclesiasticis simus occupati negotiis, et ob id respondere tuis spatiosius nequeamus consultibus tamen sancto tuo satisfacere desiderio cupientes, aliqua ex his inspirante Deo cursim exponere non omittimus.

I. A chorepiscopis asseris multas esse in regionibus vestris ordinationes presbyterorum et diaconorum effectas, quos quidam episcoporum deponunt, quidam vero denuo consecrant. Nos vero dicimus, nec innocentes oportere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas consecrationes. Ad formam enim Septuaginta chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet episcoporum habuisse officia? Sed quia sacri canones vetant ne omnes sibi omnia vindicent, ac per hoc dignitas episcoporum ad chorepiscopos suos videatur transferri, fiatque vilior honor episcopi, decernimus nihil in hoc præter regulas ulterius fieri.

II. [9, q. 3. *Conquestus.*] (Conquestus est apostolatui nostro frater noster Sigebodus archiepiscopus Narbonensis, quod clericos suos eo invito ad judicium tuum venire compellas, et de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus, eo inconsulto, quasi jure patriarchatus tui disponas : cum hoc neque antiquitas, cui sancti Patres sanxerunt reverentiam, habeat, et auctoritas sanctorum canonum penitus interdicat, nisi forte pro causis, quæ apud se terminari non possunt, ad te quasi ad patriarcham suum provocaverint per appellationes, vel si episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ judicio tuo dispensare voluerint.) Primates enim, vel patriarchas, nihil privilegii habere præ cæteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus : ita ut secundum Nicænas regulas sua privilegia serventur ecclesiis, præterquam si apostolica sedes aliquam Ecclesiam, vel rectorem ipsius, quolibet speciali privilegio decreverit honorare.

III. [Distinct. 23, *Præterea*] Præterea sciscitaris, utrum solis presbyteris an et diaconibus debeant, cum ordinantur, manus chrismatis liquore perungi. Quod in sancta hac Romana, cui Deo auctore deservimus, Ecclesia neutris agitur. Sed et quia sit a novæ legis ministris actum, nusquam, nisi nos fallat oblivio, legimus. Ergo ad beati Innocentii papæ canonica decreta sanctitatem tuam transmittimus : et quæ tibi sint in consecrationibus et ordinationibus observanda, principia paginæ ad Decentium Eugubinum episcopum missæ te affatim edocebunt.

IV. De his vero qui pro criminibus pœnitentiam gerunt, et ad cingulum militiæ revertuntur, constat eos contra sacras regulas agere. Verum quia crimina non æqualia sunt, perhibesque alios horum propter nimiam hebetudinem in desperationem adesse, alios ob hoc ad paganos fugisse, tibi hoc committimus decernendum, nimirum qui loca et tempus regionis illius, modumque culpæ, necnon et pœnitentiam, et gemitus hominum ad confessionem venientium, præsens positus inspicere vales.

(*a*) Ad hujus epistolæ calcem annotatum fuerat in veteri libro : *Hæc recitata est apud Suessionis synodum.*

V. [30, q. 1. *De his qui.*] De his qui filiastros suos ad confirmationem coram episcopis tenent, id est qui filios uxoris suæ de viro priori, dum chrismantur ab episcopis, super se sustinent, se inscitia sicut asseris fit, licet sit peccatum, tamen non usque ad separationem conjugii puniendum. Lugeant tamen, et digna pœnitentia hoc diluentes, Domino dicant : Delicta ignorantiæ meæ me memineris.

VI. [35, q. 2. *Interfectores.*] Interfectores suarum conjugum, cum non addis adulterarum, vel aliquid hujusmodi, quid aliud, nisi homicidæ habendi sunt, ac per hoc ad pœnitentiam redigendi? quibus conjugium penitus denegatur, exeeptis adolescentibus, de quibus est beati Leonis vigesima quinta decretalium regula, imo indulgentia observanda.

VII. Porro *Gloria in excelsis Deo* ab episcopis in cœna Domini inter missarum solemnia more nostro dicenda est. Pallio vero apostolico eadem die uti illis solis est licitum, quibus solis ab apostolica sede permissum.

Hæc quidem inter tanta ecclesiasticorum negotia positi, vix saltim summatim fraternitati tuæ mittenda decerpsimus. Quæ nisi incomparabilis dilectio vestra nos memorata vehementius coarctassct, nunc respondere consultibus vestris, innumeris impediti necessitatibus, parumper omitteremus. Verum a charitate tua unum hoc necessario postulamus : scilicet ut cum aliquem forte ad apostolicam sedem miseris, studeat eum tua fraternitas monere, quatenus in redeundo non usquequaque festinus appareat : eo quod omnium Dei ovium, sicut ipse nosti, cura constringimur; et cum undique ad sedem apostolicam multi diversa quærentes confluant, efficimur tardi ad singulos, dum volumus benignitatem, et dapsilitatem nostram spargere per diversos. Sane quæ in alia apostolatus epistola beatitudini tuæ intimamus, solum tuæ solertiæ sint pervigili cura sectanda, præcipuoque studio peragenda. Siquidem circa nos, circaque sedem beati Pstri, non est aliud signum devotionis tuæ quod polliceris, nisi obtemperantia, et consummatio decretorum, et diffinitionum nostrarum, qui licet indigni, per abundantium tamen gratiæ Christi ipsius vicarii sumus. Præterea epistolam alteram sanctitati tuæ delatam, Hincmaro, et cæteris confratribus nostris archiepiscopis, in regno Caroli filii nostri gloriosi regis Ecclesiam Domini gubernantibus, destinare tua sine mora studeat beatitudo. Optamus sanctitatem tuam nunc et semper bene valere.

LXVII.

AD FRANCONEM EPISCOPUM TUNGRENSEM.

(Anno 864.)

Accepta ejus professione veniam indulget, quod particeps fuerat synodi Metensis, hortaturque ut Lotharium regem monitis suis curare studeat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo FRANCONI episcopo Tungrensi.

Excusationis tuæ litteris per Richardum venerabilem diaconum tuum susceptis, professio sanctitatis tuæ, qua te in nullo a sede apostolica dissentire manifestas, quamque nobis a te minus quam ab ullis aliis sperabamus offerendam, nos plurimum exhilaravit. Sed confessio nihilominus in Domino exsultare fecit. Eo enim quo veniam petitis, deliquisse vos procul dubio demonstratis. Et revera qualiter sine delicto evadere poteratis, qui sedentes in concilio vanitatis, et si non favendo, certe tacendo; si non scribendo, profecto non resistendo, profanis gestis declaramini consensisse? Ecce enim Dominus per prophetam dicit : *Quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum* (*Isa.* LVIII). Ergo qui non annuntiasti, peccasti : et quoniam vidisti et tacuisti, procul dubio consensisti. Verumtamen postquam, vivificante gratia, te fore vivificatum per confessionem exeuntem aspicimus, quem introrsus labe mortuum putabamus, incomparabiliter exultamus, et gratiam Auctori omnium bonorum immensas exsolvimus. Et hoc jam tibi divinitus non imputari optamus, quod tibi, quomodocunque excesseris, remitti a Domino postulamus, et quantum in nobis est, ex corde tibi ignoscimus; quod beatum Leonem omnibus qui in Ephesino latrocinio consentiendo errori deliquerant, amputato totius auctore scandali, solo videlicet Alexandrino Dioscoro, pepercisse non ignoramus. Quid autem mirum, si Gunthárius quem dicitis uti vetito sibi officio, apostolicam floccipendere sententiam non metuit, qui divina præcepta toties parvipendisse convincitur. Claret vero, et cunctis manifeste datur intelligi, etiamsi nulla alia pravitatis suæ præstitisset indicia, qualis ante pœnam exstitit, qui se post pœnam talem exhibuit; et quam debite percussionem promeruit, qui etiam post, unde magis percuti debeat, admittere minime recusavit. Eo igitur suadente, nunc apostolicis institutis inobediens errat, quo uuper cœlestibus oraculis semper obviasse repertus dicitur : antiquo scilicet adversario, qui sicut leo rugiens, juxta primum apostolum, circuit quærens quem devoret (*I Petr.* II). Sed tamen ad propositum redeamus, et votis tuis, quantum possumus, Deo præstante, misericorditer annuamus. Itaque si Theutgualdum episcopum, sicut profiteris, in catalogo episcoporum non receperis, quousque de eo humanius tractemus, et si Guntharium, ministerium sibi vetitum usurpantem, non solum inter episcopos non rceceperis, sed nec ipsi, nec fautoribus ejus communicaveris, et ei in scelere permanenti episcopaliter contradixeris, et secundum vires in nullo a constitutis et sententiis ab apostolicæ sedis præsule prolatis deviaveris; sed de cætero pro fide catholica et correctione fidelium, ac pro conservandis pontificiis apostolicæ sedis privilegiis nobis consenseris, nobiscum pro viribus deeertaveris, fratres quoque et proximos tuos nobiscum sapere hortatus fueris, Deus omnipotens intercessione apostolorum principum Petri ac Pauli, vincula omnium peccatorum tuorum absolvat, et quidquid humanitus, quod in oculis majestatis ejus displicuit,

egisti, tibi misertus indulgeat, et te benedictionis suæ gratia replens ad beatitudinem visionis suæ perducat. Cæterum admonemus te, ut si vere episcopus es, vere te ordines, te serves [*edit. Rom.*, salves], iu te gloriam regis Lotharii exquiras : ita ut vestra unanimitas nobis arctius hærens, vulnus ipsius, admonendo, blandiendo, suadendo, in reliquo autem et brevitatem præsentis temporis exponendo, pœnas inferni [*edtt. Rom.*, aperiendo pœnas inferni] et cœlestia regna ante oculos proponendo, curetis. Quod agere nullatenus potestis, nisi carnem suam, quam odio habens contra Apostolum a se projicit [*edit. Rom.*, ipse Apostolus a se projicit], reciso membro meretricis, nostro et vestro judicio hortatus, etsi non sponte, saltem invitus receperit [*edit. Rom.*, rejecerit]. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data XV Kalendas Octobris, indictione XIII [*al.*, XIV. HARD.; *edit. Rom.*, XIV].

LXVIII.

AD ADVENTUM EPISCOPUM METENSEM.

(Anno 864.)

Approbat professionem Adventii, eique veniam et pacem indulget quam optabat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo ADVENTIO, episcopo Metensi.

Excusationis tuæ litteras per Theudericum religiosum presbyterum tuum suscipientes, quoniam his te in extremitate vitæ positum indicasti, mœror nos continuo ingens obtinuit. Sed professio tua, qua te in nullo a sede apostolica dissentire manifestas, quamque nobis a te minus quam ab aliis sperabamus offerendam, inter mœstitiam merito lætitiam miscuit. Quoniam licet de exteriori homine, cum ipsius privamur fraterno solatio, doleamus, de interiori tamen, quem exstinctum putabamus, nunc vero per gratiam Dei vivificatum audimus, incomparabiliter exsultamus. Quamvis autem probabilem tua videatur habere excusatio rationem, teque innocentem comprobetur ostendere; sufficeret tamen, etiam si qua prætoritorum noxa tenereris excessum, satisfatio, quam in articulo mortis, sicut ipse fateris, positus, litteris datis apostolatui nostro, ut decreveramus, ostendis. Cujus rei testis est latro, qui in cruce pendens, in ipso momento mortis jam jamque constitutus, confessus est, et *hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII) a Jesu audire promeruit; et propheta subitaneam gementis salutem demonstrans : *Cum conversus*, inquit, *ingemueris, tunc salvus eris* (*Isa.* XXX, *sec. Sept.*) Verumtamen potens est Deus misericorditer operari, ut qui excusationes tuas, et obedientiæ promissa suscipientes, de immortali vita tua per id fiduciam sumpsimus, percipiamus etiam in hoc temporali cursu, longævitate divinitus tibi concessa, unde et verbi Dei fructibus multipliciter perfruamur, ac per hoc in Domino gloriemur. Quid autem mirum si Guntharius, dudum archiepiscopus, apostolicam floccipendere sententiam non metuit, qui divina præcepta toties parvipendisse convincitur? Claret vero, et cunctis manifeste datur intelligi, etiamsi nulla pravitatis suæ præcessissent indicia, qualis ante pœnam exsitit, qui se post pœnam talem exhibuit : et quam debite percussione promeruit, qui etiam post, unde magis percuti debeat, minime admittere recusavit. Eo igitur suadente, nuno apostolicis institutis inobediens effectus est, quo nuper cœlestibus oraculis semper obviasse repertus est : antiquo videlicet adversario, qui *sicut leo rugiens*, juxta primum apostolum, *circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* V). Illud vero quod dicitis, regibus et principibus vos esse subjectos, eo quod dicat apostolus : *Sive regi tanquam præcellenti* (*I Petr.* III), placet. Verumtamen videte, utrum reges isti, et principes quibus vos subjectos esse dicitis, veraciter reges et principes sint. Videte si primum se bene regunt, deinde subditum populum : nam qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? Videte si jure principantur : alioqui potius tyranni credendi sunt, quam reges habendi; quibus magis resistere, et ex adverso ascendere, quam subdi debemus. Alioquin si talibus subditi, et non prælati fuerimus nos, necesse est eorum vitiis faveamus. Ergo regi, quasi præcellenti, virtutibus scilicet, et non vitiis, subditi estote; sed sicut Apostolus ait, propter Deum et non contra Deum. Superfluum autem judico, quod in conventu episcoporum capitula S. Leonis papæ, ac Antiocheni concilii quidam, ut asseris, legerint. Quoniam si sanctus vir metropolitanos singularum provinciarum episcopos jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decrevit, privilegia tamen hujus sedis non abstulit, et huic divinitus jura concessa non minuit. Quia sicut ipse scribit ad Anastasium Thessalonicensem, ac per eum ad omnes (*epist.* 88) : Inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluereet, et nihil usquam a suo capite dissideret. Itidem ipse alibi, ut de componendis atque compositis relatio sibi plena mittatur, præcipit. Rursus si fatetur Antiochenum concilium (*cap.* 9) : Per singulas regiones convenit nosse, metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere, quid præjudicat sedi apostolicæ sollicitudinem habenti non solum unius provinciæ sed et totius Ecclesiæ? eam idem concilium magis metropolitas coerceat, refrenet, et arctet, dum eos non amplius quam suarum provinciarum dicat sollicitudinem gerere. Quorum enim quis sollicitudinem gerit, et judicium præten-

dere necesse est,ut beatus papa Innocentius ad Alexandrum Antiochenum scribens (*epist.* 20): Quorum enim, inquit, te maxima exspectat cura, præcipue tuum debent mereri judicium. Ergo quia totius nos Ecclesiæ maxima cura præstolatur, nostrum præcipue debet Ecclesia tota procul dubio judicium promereri. Sed tandem ad propositum redeamus, et votis tuis, quantum possumus, Deo præstante, misericorditer annuamus. Itaque si Theutgualdum, dudum episcopum, sicut profiteris, in catalogo episcoporum non recipis, quousque de eo humanius tractemus, et si Guntharium ministerium sibi vetitum usurpantem, non solum inter episcopos non susceperis, sed nec ipsi nec fautoribus ejus communicaveris, et regi in scelere permanenti episcopaliter contradixeris, et secundum vires in nullo a constitutis et sententiis ab apostolicæ sedis præsule prolatis deviaveris, sed de cætero pro fide catholica et correctione fidelium, ac pro conservandis pontificis [*al.*, pontificiis] sedis apostolicæ privilegiis nobiscum senseris, nobiscum pro viribus decertaveris, fratres quoque, et proximos tuos nobiscum sapere hortatus fueris, Deus omnipotens, intercessione apostolorum principum Petri ac Pauli, vincula omnium peccatorum absolvat, et quidquid humanitus quod in oculis majestatis ejus displicuit egisti, tibi miseratus indulgeat, et benedictionis suæ gratia te replens ad beatitudinem visionis suæ perducat.

LXIX.

AD ADONUM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 864.)

Innocentii I papæ auctoritate docet inferiores Ecclesias a Romanis consuetudinibus non debere recedere.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei. reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Adoni sanctæ Viennensis Ecclesiæ archiepiscopo.

Sæpe sanctitatis vestræ litteras suscepimus, quæ nos monebant et obnixe rogabant, ut de ecclesiasticis causis Ecclesiam vestram qualiter agere deberet instrueremus. Unde nobis nihil melius visum est ut sanctitatem vestram ex decretis et institutis prædecessorum nostrorum doceremus, qui quo ordine Ecclesia cui Deo auctore præesse dignoscimur, sive aliæ ab ipsa longe lateque fundatæ versentur, in scriptis suis evidentissime nobis tenendum reliquerunt Beatissimus Innocentius papa ad Decentium episcopum Eugubinum, quod tuæ sanctitati semper memorari volumus, ita instruendo posuit. Si instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis apostolis tradita, integra vellent Domini sacerdotes observare, nulla varietas, nulla diversitas in ipsis ordinibus ac consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit hoc existimat esse tenendum, inde diversa in diversis ecclesiis aut tenere aut celebrare videntur : ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi aut ecclesias non convenire, aut ab apostolis ipsam contrarietatem inditam. Quis enim nesciat aut non advertat id quod a principe apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, ne superduci aut introduci aliquid quod aut auctoritatem non habeat aut aliunde videatur accipere exemplum? Item post alia. Oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, a quo eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis affectionibus student, caput institutionum videantur amittere. Item post alia : Si prædecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerunt, idcirco nunc respondemus non quod te ignorare credamus, sed ut majore auctoritate vel tuos instituas, vel si qui a Romanæ Ecclesiæ institutionibus errant, aut commoneas, aut judicare non differas, ut scire valeamus qui sint qui aut novitates inducunt, aut alterius Ecclesiæ, quam Romanæ existimant consuetudinem esse servandam. Data III Idus Decembris, indictione XII.

LXX.

AD GALLIONEM SENENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 864.)

Altera parte absente, definitiva non feratur sententia.

[Gratian. II, c. 3, q. 9, c. 12.]

Revera justus mediator non est, qui in uno litigante, et altero absente, amborum emergentes lites decidere non formidat. His ita præmissis, volumus, et apostolica auctoritate monemus, ut si presbyter, de quo agitur, post excommunicationem suam, apostolicam sedem adire voluerit, nullus iter ejus impedire præsumat.

LXXI.

SERMO NICOLAI PAPÆ I.

Quem de Rothadi causa ex ambone in missa fecit in basilica sanctæ Mariæ ad præsepe, die vigiliarum nativitatis Domini. (*Anno* 864.) [Apud Mansi. *Conc.* tom. XV.]

Propter eos, fra'res, qui non semper adfuerunt nobiscum, necesse est sanctitati vestræ causam Rothadi fratris et coepiscopi nostri, quantum Dominus donaverit posse per ordinem reserare; quatenus una nobiscum negotium illius ad liquidum noscens fraternitas et unanimitas vestra, nobiscum etiam, et de privilegiis apostolicæ sedis, seu sanctæ Romanæ Ecclesiæ, a quibusdam nequiter imminutis et evacuatis doleat, et zelo ferventiori accensa, de his recuperandis sollicita sit et intenta, ac de tanto viro, Rothado videlicet, consacerdote nostro, retractare ac præmeditari studeat; quatenus is qui semper a finibus terræ, ut ita dicam, ad nos et prius absens clamavit et beati Petri apostolorum principis memoriam inter sævientium linguas oblivioni non tradidit; sed de monasteriali districta custodia, velut Jonas de ventre ceti, et Daniel de lacu leonum, ad Dominum et ad dilectores vel dilectos apostolos ejus vociferatus est, et deinde abstractus, licet destitutus vel exspoliatus, atque omni ex parte attenuatus. tandem Deo duce præsidium suum, id est sedem

Petri, in qua spei ac fiduciæ suæ pedes ac si supra firmam petram statuerat, requisivit, et plurimis difficultatibus et incommodis, atque impedimentorum retinaculis Dei destructis virtute, quod inhianter et anxie desideravit adeptus est; cum consolatione, et auxilio, ac omnis pristini sui status recuperatione, ad exemplum et fiduciam multorum recedat: et privilegia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, seu sedis apostolicæ, semper intemerata, minime ulterius hæc violare præsumentes, consistant atque permaneant. Denique, fratres, cum præsens Rothadus a multis fuisset retro temporibus, a metropolitano suo, et quibusdam sectoribus suis, etiam a sublimiori sæculi persona incessanter observatus, ut aliquo modo eorum insidiis caperetur, Et Dei gratia protectus nunquam omnino capi potuisset; tandem pro quodam presbytero qui in turpi fuerat flagitio deprehensus, et membris genitalibus detruncatus, materiam inimici ejus adversus eum læsionis sumpserunt, eo quod sceleratum illum presbyterum ab officio removisset, et post tres annos, quod canones non admittunt, minime nullam vocem proclamationis habentem restituere voluisset. Cujus rei gratia facto concilio generali, quod sine apostolicæ sedis præcepto nulli fas est vocandi, vocaverunt hunc episcopi, quos, Hincmari Rhemorum archiepiscopi suggestione, regia fecerat jussio convenire, quatenus rationem de illo presbytero coram synodo redderet. Qui libenter quidem primum perrexerit: sed postea, cum vidisset eorum alios quidem timore regis Caroli qui aderat obsessos, alios autem favore Hincmari, hosti sui, pellectos, judicium ipsorum rationabiliter devitans, ut pote quorum hos quidem jam patiebatur infestos, alios autem jam ex præcedentibus judiciis habebat suspectos, sedis apostolicæ judicium postulavit, et in urbe Roma, canonum fultus auctoritate, agendum sibi negotium proclamavit. Quo audito Hincmarus ad modicum quidem licentiam illi Romam veniendi concessit, sed post paululum penitus impedivit. Siquidem, rursus convocatis quibusdam episcopis, jussit hunc ad synodum examinandum accedere. Qui hæc audiens respondit se apostolicam sedem appellasse, ac ejus petiisse judicium, et idcirco non posse ad illud convenire judicium, quia non esset licitum a majori ad minorem provocare prorsus auctoritatem. Quamobrem nimis absurdum est quod Hincmarus fingit dixisse Rothadum, postquam ad judicium sedis apostolicæ provocavit, iterum mutata voce aliorum judicia postulasse. Quod etiamsi ita fuisset, sicut vestra novit fraternitas, ab illo fuerat emendandum, et ne a majoris auctoritatis examine ad minoris valetudinis provocasset judicium, corrigendum. Licet nullis pateat indiciis a nostro illum ad alterius cucurrisse judicium, quem constat in ipso articulo contra se præferendæ sententiæ sedem apostolicam appellasse. At qui ab illa se judicari poposcerat, et coram omnibus exclamaverat, justum non foret, si ad eorum se judicia convertisset; quamvis et ipse sedem apostolicam si nullatenus appellaset; contra tot tamen et tanta decretalia se efferre statuta, et episcopum inconsulte deponere, sicut vos bene nostis, non debuerunt. Quomodo vero alios judices elegit Rothadus, cum in illo scripto, per quod fingunt eum a nostro ad suum judicium provocasse, nec nostrum sprevisse, nec illorum petiisse judicium judicetur? præcipue cum si judices præter nos elegisset, et certum numerum eligendorum judicum expressisset, et non utique fraternum solatium sicut per illud scriptum postulavit, solummodo postulasset. Utrum tamen ipsum scriptum a Rothado missum sit, necne, certissime nescitur: quoniam alterius, et non Rothadi, homo fuisse convincitur, qui scriptum portasse noscitur. Quanquam etsi nunquam provocasset nunquam omnino præter scientiam nostram deponi debuerit: quia sacra statuta et veneranda decreta episcoporum causas, ut pote majora negotia, nostræ diffiniendas censuræ mandarunt.

LXXII.

EPISTOLA NICOLAI AD CLERUM ET PLEBEM ECCLESIÆ ROMANÆ.

(Anno 865).

Absolutio et restitutio Rothadi episcopi.

Nicolaus, episcopus, servus servorum Dei, sanctæ Romanæ catholicæ ecclesiæ episcopis, presbyteris, et diaconibus, et cunctæ in Christo generalitati Romanæ plebis.

Notum sit dilectioni vestræ, fratres mei et filii charissimi, quod quidam Gallorum episcopi, zeli et invidiæ diaboli facibus accensi, quia mors, sicut scriptum est, per invidiam introivit in orbem terrarum (*Sap.* II), huic fratri nostro Rothado, venerabili viro, insidiantes, et per octo circiter annos quemadmodum illum proprio privarent episcopatu, judicio meditati sunt. Sed cum diutissime laborantes, nihil discriminis potuissent super eum inducere, novissime mundanis potestatibus usi, depositionis sententiam in eumdem, sedem apostolicam appellantem, immanissime protulerunt, et in minutionem et abominationem privilegiorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, imo beati Petri apostolorum principis, gradu proprio pulsum, carcerali custodiæ manciparunt. Unde istum clamantem ut adducerent, et ad nostrum illum judicium ad quod ante depositionem, et postea imprætermisse provocaverat, cum suis vicariis, qui in illum si valerent accusatione digna appeterent, destinarent, plurimis epistolis eisdem episcopis jussimus et hortati sumus. Sed ecce, dilectissimi, sicut ipsi scitis, sex mensibus jam præsente Rothado Romæ apud nos manente, et nobis accusatores vel vicarios eorum præstolantibus, nullus qui hunc accusaret adesse videtur. In quo, fratres, quid aliud datur intelligi, nisi quod sanctus papa dicit Bonifacius, quia sicut qui est innocens ut absolvatur quærit, ita judicium nocens subterfugit? Verum nos, Deo auctore, beatorumque principis apostolorum Petri apostoli fulti suffragio, decessorum quoque nostrorum secuti vestigia, privilegia sedis apostolicæ; quæ illi male fregisse probantur, recuperare stu-

dentes, jam fatum virum, præsentem videlicet Rothadum, pristino gradui, pristinis officiis ac pristino episcopatui restituimus, et per omnia talem eum reddimus, qualem illum fuisse constat ante excommunicationis et depositionis sententiam in eum prolatam, vel quando sedem apostolicam appellabat et canonice provocabat.

LXXIII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 863.)

Hortatur ut Rothado restituto faveat, et res ejus Ecclesiæ ablatas reddi jubeat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Carolo glorioso regi.

Quanquam Rothadum venerabilem episcopum, sedem apostolicam appellantem, Domini sacerdotes, qui in regno vestro Ecclesias sibi commissas gubernant, in contemptum beati apostolorum principis Petri, per quem apostolatus et episcopatus in Christo cepit exordium, cujusque, licet immerito, agimus episcopatum, privare nunquam debuerant. tamen quia hoc præsumpserunt, imo conati sunt agere, æquanimiter satis pro vestra deprecatione pertulimus, et ut tantam temeritatem corrigerent, eis hortamenta et præcepta potius quam flagella sæpius adhibuimus. Sed horum, imo hujus contumaciæ, nullus auctor, nisi Hincmarus Rhemorum episcopus exstat, qui ei prædictum Rothadum, etiamsi nunquam ad nostra provocasset judicia, nequaquam deponere debuit; sed contemptis nobis, quantum ex se fuit, deposuit, et multitudinem jussionum nostrarum ut peripsema duxit. Denique cum nostris auribus fuisset ipsius Rothadi depositio intimata, mox epistolam apostolatus nostri misimus, qua jussimus jam fatum Rothadum aut honori, Ecclesiæ propriæ restitui, aut Romam cum aliquibus de episcopis vel vicariis eorum qui illum damnasse videbantur, in præsentiam nostram dirigi; aut certe, si neutrum fieret, tandiu post triginta dierum spatium depositores ejus a missarum solemniis vacarent, quousque nobis super his obedire curassent. De qua etiam epistola vestræ tunc intimavimus excellentiæ; sed hanc frater Hincmarus, quid dicam audire, cum videre illam, more Dioscori velatus, neglexerit? Ne quem vero moveat quamobrem Rothadum episcopum Romam venire, vel apud nos audiri ac judicari jussimus, noverit canonicam super hoc paternam traditionem, ac specialem prærogativam apostolicæ sedis, nos exstitisse zelatos atque secutos. Denique ut pauca de multis commemorem, si adversus provinciæ metropolitanum episcopum vel clericus habeat querelam, juxta Chalcedonenses regulas jubetur ut petat primatem diœceseos aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, et apud ipsum judicetur. Quod tamen nulli dubium est multo magis apud Romuleam urbem, quam apud Constantinopolitanam, esse penitus observandum. Nam et ipse Rothadus, secundum Sardicense concilium (*can.* 4), agendum sibi negotium in urbe Roma clamavit; et beatus Innocentius papa sine præjudicio Romanæ Ecclesiæ præcipit (*epist. ad Victricium*), cum causæ vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis quam etiam inferioris, fuerint exortæ, nulli licere, relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Sed et papa Julius, Orientalibus scribens (*epist.* 1), utramque partem, Athanasii scilicet et adversariorum ejus, accelerare præsentiam, quatenus utraque parte præsente audiretur reus, et ab omnibus condemnatus de cætero cohiberetur a sacerdotio. Oportebat, inquam, primum hoc fieri, et tunc vacante loco alterum constitui. In quibus tamen omnibus multipliciter adhuc contempti, per Odonem post hæc venerabilem episcopum, ad eadem rursus inter multa monita misimus, videlicet ut Rothadus, eductus de monasteriali custodia, vel prioris Ecclesiæ proprio redderetur honori, vel Romam cum vicariis episcoporum, qui depositioni illius consenserant, in conspectu nostro examinandum destinarent, aut post triginta dies nec ipse Hincmarus, nec cæteri episcopi qui eum damnaverunt, licentiam faciendi missas haberent. Sed denuo frater noster Hincmarus, in contumelia nostra versatus, non solum non obedire nobis delegit, verum etiam epistolam nostram; quam ad eum et ad episcopos qui in depositione Rothadi sibi consenserant, miseramus, apud se per quatuor menses retinens, quæ de Rothado decrevimus, etiam inter hæc diversis aliis pro hac eadem causa nostris epistolis per nonnullos directis crebro contemptis, agere recusavit. Præterea Rothadum, de monasteriali custodia eductum, in civili commutari præcepit. Tandem aliquando nobis scribens, misisse una cum cæteris episcopis vicarios suos, qui cum Rothado in nostram præsentiam pervenirent; sed dictum illis esse nullum sibi aditum Italiam penetrandi præ custodibus fore, qua de re unde venerant rediisse. Quo facto quid inanius vel stultius æstimari potest, quam ad solum vacuum sermonem, nulla persqna sibi resistente nulloque sibi adversario certo contradicente, deserere tantum opus et sine ulla utilitate retroverti? Præsertim cum si certissime eos impeditos quo minus commissa sibi responsa vel ecclesiastica negotia consummarent, comprehendissemus, zelo competenti succensi, tanto contra hujusmodi temeratores ferventius invehere-mur, quanto hanc impietatem ab ipsis fuisse patratam certius nosse utique viderentur. Verum hæc lusorie nobis illi vel dicunt vel operantur, cum ecce biennium transierit ex quo diversis modis pro jam fato viro laborantes, modo hoc, modo illud eis proponentibus, nihil omnino profecimus: sed adhuc dissimulamus, adhuc operimur; et ut cum beato Simplicio papa dicammus, nolumus exaggerare quod gestum est, ne cogamur judicare quod dignum est (*epist. ad Joannem Ravennatem*). Nam docente sancto æque papa Zosimo (*epist. ad Hesychium*), contumeliæ studio fit quidquid interdictum toties usurpa-

tur. Sane his interim omissis considerare libet quia prius Odo venerabilis episcopus præsentialiter positus, et inde cæteri nostri legati nihil accusationis adversus Rothadum episcopum se detulisse testati sunt ; et illi episcoporum vicarii, qui ab ipsis suis præsulibus,ut rationem dejectionis Rothadi exponerent, mitti dicebantur, nobis professi sunt, scribentes ab itinere quod non ad accusandum Rothadum fuerint a suis antistitibus destinati.Præsertim cum sæpedictus Rothadus in apostolica quam petiit sede, ecce octo circiter mensibus sit commoratus, et qui hunc accusaret nullum nos penitus videre potuerimus. Ergo cum ita sit, restat ut qui nullum patitur accusatorem,nullo merito sustineat omnino suæ integritatis dispendium. Denique tunc constat accusatorem examen subterfugere,quando se justas posse querimonias habere desperat. Sic nimirum Judæi lapidibus adulteram mulierem obrui debere putabant ;ubi ad verum indicium hanc detulerunt, et quod existimabant videre non viderunt, et quod non putabant audire audierunt, confusi et reveriti discesserunt. Sic ergo,sic depositores Rothadi,cum ad examen judicii, in quo iidem inimici fuerunt, ipsi accusatores et judices, venerunt, in faciem ipsius,quem supplantare voluerunt,immobiles perstiterunt.At ubi ad nostrum provocatum est judicium,in quo Deo revelante veritas si exaggeraretur, in lucem claresceret omnia falsitatis argumenta destructa sunt, et fabricatores mendacii terga subito converterunt.At vero Rothadus episcopus,conscientia purus, conversatione innocens, columbarum simplicitate ac prudentia serpentis insignis,cum ad examen Romanæ Ecclesiæ ventum esse perspexit. ubi nullum suspectum habet,nullum inimicum passus est: ubi, inquam, ut sanctus ait papa Cœlestinus (*epist.* 4), semper catholicis subvenitur, judicium non timuit, examen suum renovari petivit, et quidquid a nobis deliberari cerneret, libenti suscipiendum mente disposuit ;quia,ut beatus ait Bonifacius papa (*epist. ad Patroclum et alios*),nullus dubitat quod ita judicium nocens subterfugit,quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quærit.Ergo videant accusatores, vel damnatores Rothadi, qua intentione cum eo judicium subire refugerint:quia Rothadus, qui est auctore Deo innocens,concilium sanctorum non solum non subterfugit,sed et magnopere postulavit. Itaque sciat sublimitas vestra, Deo opifice a nobis sæpefatum episcopum pristinæ dignitati et Ecclesiæ restitutum. In quo utrum veritate fulciatur quod de vestra dilectione a nonnullis refertur, modo patebit. Si enim millia gemmarum et pretiosarum specierum beato Petro daretis, nec illi tam accepta nec nobis, quam si nobis super hoc obediatis profutura existerent : nimirum cum illius sit hominum salutem exquirere, non cumulos thesaurorum coacervare. Favete tandem quæsumus, nobis pro crebro dicto viro toties adeuntibus,et Ecclesiam sibi commissam recipiendi per vos non impedimentum, sed præsidium prorsus inveniat. Ne, quæsumus, dicatur de nobis procedente tempore, quod nunc de Theodorico scripto profertur (*syn. Rom.* IV).Qui ante patrimonii vel ecclesiarum, quas amiserat, receptionem,papam Symmachum,ut pote Arianus et sceleratissimus rex, cum impugnatoribus suis in disceptationem confligere jussit, cum potestate ejus omnia quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, reddenda ab honorabilium Italorum episcoporum concilio jussa fuissent,et legaliter prius statui pristino redditus, tunc veniret ad causam, et si ita recte videretur, accusantium propositionibus responderet.Cujus rei documento et aliis nonnullis decretis et exemplis imbuti idipsum de Rothado episcopo nos quoque decrevimus. Quapropter obtestamur et obsecramus ut piis nostris monitis, non pravorum hominum suasionibus, pareatis ; scientes quia si pessimo regi, quod absit, vos æquiparantes, super hoc nobis negotio concordantes obaudire renuitis, vos procul dubio de charitate et memoria nostra deletos. Quoniam ita Dei et apostolorum auctoritate decrevimus et statuimus ut quicunque sæpe memorato Rothado episcopo ad recipiendam Ecclesiam sibi olim commissam,vel ad episcopale ministerium peragendum, aliquatenus impedimento fuerit, donec acquiescat et ad illi resistendum conatus deponat, a sacrosanctis mysteriis et ab ecclesiæ fieret ingressu remotus,atque ab omni communione fidelium sequestratus.Præterea vestram volumus nosse experientiam, nostris auribus fuisse multis referentibus intimatum, quod diversæ res et nonnulla præsidia sanctæ Suessionicæ Ecclesiæ juri competentia, ab invasore ibidem consecrato exstitissent pro libitu disposita,et in beneficium data : vel etiam, eo justo Dei judicio decedente, ab excellentia vestra quibusdam hominibus æque in beneficio collata. Quamobrem etiam et in hoc dilectionem vestram hortamur atque precamur, ut eadem præsidio et ipsa res, quæcunque et ubicunque sint, jam fatæ Ecclesiæ restitui pia vestra præcipiat eminentia, et ut cuncta juri ejus reddantur vestra satagat excellentia : ita ut secundum sacrorum canonum sanctionem,in potestate episcopi res omnes Ecclesiæ consistant, et ille secundum timorem Dei, quibus voluerit,et quomodo voluerit, illa dispenset ;quod tamen vestræ pietatis pro amore Dei et apostolorum principum ac nostro fieri salagat industria. Scientes profecto quia qui his rebus frui voluerit, et eas præfatæ Ecclesiæ reddere forte distulerit, nos hunc ab Ecclesiæ finibus anathematis nexibus irretitum, et sacrosanctis mysteriis sequestratum, veluti profanum eliminamus, et quasi rapacem et impium et a contubernio fidelium procul dubio abjicimus.

—

LXXIV.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM

(Anno 865.)

Rothadum legitime restitutum ostendit; suam illi ecclesiam et res ablatas reddi jubet; tum ubi respirarit, cum eo Romæ confligi, si libeat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Hincmaro Rhemensi archiepiscopo.

Si coram tuæ prudentiæ oculis ullus esset paternorum canonum vel apostolicæ sedis respectus, nunquam Rothadum Suessonicæ urbis episcopum sine nostræ tentasses scientiæ notione deponere. Præcipue cum negotium quod merito inter majora connumeratur (de persona scilicet judicare, cujus in ecclesia cæteris ordo major est), ventilanti et multipliciter rimanti tibi adeo de se difficiles exitus daret, ut octo circiter annos ut deponeretur elaboraveris, et in tanta perplexitate causarum, et in tanta intercapedine temporum, nullam beati Petri memoriam prorsus habueris. Cujus contra is qui deponebatur mentionem faciens, tua decernentes religiositate, proprio gradu caruisse dignoscitur. Et cum in suis opportunitatibus ad sedem apostolicam beatitudo tua scripserit, et ab illa sibi manum porrigi contra falsos fratres poposcerit, et quædam privilegia concedi sibi petierit, in causa Rothadi solum, quasi ejus solatii non indigna, sedis apostolicæ non memor fuit, nec utique visitatrix. Quinimo contra appellantem hanc eumdem venerabilem virum, tanta molimina tantaque præparare machinamenta minime formidasti, ut postquam data sibi Romam veniendi licentia fuerat, priusquam tibi et regi valefaceret, postea hunc a nostro examine ad tua, ut ita dicam, tribunalia deduxeris (quia synodus dici non potest, ubi noster nullus præbetur assensus), et ingredi prætorium nolentem depositioni tyrannico more subjiceres, occasionem sumens de quadam epistola, tanquam Rothadus, postquam ad nostrum appellaverat judicium, rursus ad vestrum mutata voce provocasset examen, quod omnino falsum est. Illa nempe epistola, per quam hoc conaris frui, sicut veritate claret, et apud nos subtili valde investigatione repertum est, fratribus a Rothado mittebatur, quos tecum contra se conspirasse non noverat, ac eos per hoc nec supectos habebat. In qua videlicet epistola non nostrum judicium aspernatur, non sedem apostolicam spernit, nec aliena judicia postulat, nec electorum judicium numerum exprimit, quinimo nec nomina memorat; sed solum fratres et coepiscopos de sua certificat innocentia, et hos reddit intentos, quatenus si forte apostolatui nostro, secundum sacrorum indulgentiam canonum, scribere his examinis renovandi gratia in finitima positis placeret; ut ipse illo in tempore nobis suggestum ire meditabatur, et nos quoque acturos putabat, suæ consuleret innocentiæ, ac justo libramine causam suam, secundum dispositionem nostram, sine acceptione personarum exsequeretur (2, q. 6, *Arguti sapientia*). Sed arguta sapienta tua, utinam in bono accepta, fomitem judicii et materiam dispositionis adversus Rothadum assumpsit, et ab itinere sedis apostolicæ revocavit, et continuatim sedem apostolicam appellantem damnavit, et carcerali custodiæ mancipavit: cum etiamsi nullus a vestro judicio provocasset, privilegia tamen apostolicæ sedis vos oblivioni tradere nullatenus debuissetis, quibus venerandi canones judicia totius Ecclesiæ ad hanc deferri jubent, et ab illa, sicut Gelasius meminit, nusquam appellari sanxerunt; ac per hoc ipsa de omnibus judicare, ab illa vero nulli est appellare permissum; sed etiamsi ad vestrum provocasset a nostro judicio, a vobis exstabat tanquam erroneus corrigendus; quinimo nec ante specialiter fuerat corrigendus, quia vobis peculiarius erat penitus amplectendus. At ubi obdurato mentis intuitu hæc omnia postposuisse contra spem dolenter audivimus, missis litteris nostris præcepimus ut eum de carceris angustia educeres, et aut mox pristino gradui redderes, aut illum cum vicariis tuis et episcoporum qui depositioni ejus consenserunt, in nostram præsentiam destinares. Quod si neutrum ageres, post triginta dies postquam illa nostra lecta fuisset epistola, nec tu, nec ullus eorum qui in hoc tibi consensum præbuerant, missarum solemnia celebraret, donec quæ sibi pro Rothado a nobis fuerant imperata perficeret. Quam contemplatus, etiam solo tactu tuo indignam judicans, Dioscorum in hoc imitatus, saltem hanc legere nullo modo consensisti. Unde Rothado adhuc in custodia demorante, per Odonem venerabilem episcopum eadem tuæ sanctitati et cæteris complicibus tuis, per epistolas vobis rescribentes injunximus: addentes pariter quod si nobis de cætero inobedientes essetis, nos jam virum Rothadum pristinæ dignitati et Ecclesiæ redintegraturos, et vobis condignam vicissitudinem reddituros. Quas fraternitas tua IX Kalendas Julii, ut fertur, suscipiens per quatuor circiter menses neminem has passus es intueri. Post hæc autem Rothado, tandem de custodio educto licentiam Romam veniendi vix quidem dedisti; sed vicarii quos cum illo mittere debuisti, usquequo voluerunt profecti, suis nobis de itinere significavere, dictum illis fuisse quod nullus præ hostibus penetrandæ Italiæ sibi pateret accessus, et præcipue quod eorum quorum auxilio fulciri debuerant, frustrarentur obventu. Subdentes insuper quia si pervenire Romam utcumque valuissent, nullam adversus Rothadum omnino deferrent calumniam. Et his ita gestis, quia primum quidem præsumptiones prævaricationesque vestras sumus experti, deinde vero inobedientia et tergiversatione tua comperta, atque deinde Rothado penes nos sine ullo accusatore octo circiter mensibus jam retento et diutius ac subtilius examinato, vobis et vicariis vestris clamantibus nil vos adversus eum accusationis habere, quid nisi ut, secundum promissionem superius memoratam, tandem pristino epi-

scopatui redderetur, omnino **restabat**? Quod per nostram mediocritatem jam nunc factum tua nosse poterit prorsus industria. Cui rei monemus omnimodam patientiam exhibere tua non negligat utcunque solertia,ne talionem reddere tibi, sicut dudum promisimus,nostra cogatur auctoritas (2,q. 6, *Arguta*, § *Hæc quippe nos*). Hæc quippe nos in Rothado idcirco noveris operatos, ut privilegia sedis apostolicæ, quæ male a vobis violata esse videbantur, et a nobis tot impensis laboribus, vestra resistente contumacia, recuperari non poterant, auctoritate apostolica et canonica Patrum deliberatione, pristino tandem et proprio decorarentur honore.Cæterum si forte quis adversus Rothadum voces habet, vel si ipse a sanctitate tua justas contra se hactenus sustineat querimonias, volumus et decernimus ut utraque parte conveniente,quidquid illud est,coram nostra speciali præsentia dirigatur. Quod si nullus calumniis coram apostolatu nostro sæpefatum virum impetere voluerit, quæ de illo decernimus illibata et imminuta consistant. Tandem aliquando unum e duobus, quod vult fraternitas tua, sibi a nobis optione proposita eligat; quia utrumque canonicum est, utrumque ad sedis apostolicæ pertinet privilegium.Videlicet aut quæ de sæpefato fratre et coepiscopo nostro Rothado disposuimus adimplens, in nullo refragatrix, sed exsecutrix inveniatur : aut certe Romam coram nobis,seu sancta Romana Ecclesia, cum ipso conflictum sumptura, et pro hoc altercatura, properare sine dilatione maturet. Ita duntaxat ut prius ipse Rothadus cunctis ablatis, sicut statuimus, recuperatis honoribus, et vires longo tempore fessas priori valetudini redditus resumens,diutius possideat et suis omnibus perfruatur.Quod si neutrum sine procurata mora fortassis agere volueris, et resultare his quæ de illo statuimus solito more ulterius curaveris,ab omni sis sacerdotali dignitate, Dei per nos judicio, et auctoritate sedis apostolicæ, de cætero sequestratus, ita ut nunquam locum satisfactionis aut ordinis restitutionem operiaris.

LXXV.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS GALLIÆ.

(Anno 865.)

Ut Rothadum a se restitutum benigne suscipiant : ubi multa de sedis apostolicæ privilegiis, et de pontificum Romanorum decretalibus copiose disserit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis et episcopis apud Gallias constitutis.

Quamvis singularum Ecclesiarum, quæ propter diversitatem terrarum multæ esse dicuntur, cum una sit et unica Sponso suo, sicut ipse in Canticis canticorum dicit : *una est columba mea* (*Cant.* VI) ; et per Psalmistam : *Erue de manu canis unicam meam* (*Psal.* XXI); pastor, et episcopus, ac pontifex Dominus noster Jesus Christus,qui hanc creavit et redemit, existat ; ita ut ille veraciter ac principaliter ista sit omnia,juxta quod fidelibus per primum apostolum dicitur : *Conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum* (*II Petr.* II); et juxta quod egregius prædicator de eo loquens : *Talis,* inquit, *decebat ut nobis esset pontifex* (*Hebr.* VII); subiturus tamen ad cœlos hanc apostolis commendavit, ac per eos, tanquam hæreditario jure successoribus eorum, nobis scilicet, quos pastores, episcopos ac pontifices super ipsam constituit,ejus providentiæ curam indulsit, quatenus pro patribus nati filii, et pro eis constituti principes in omnem terram, imitatores eorum essemus, sicut et ipsius Christi. Verum et inter beatissimos apostolos,sicut et ille magnus Leo scribit (*ep.* 88, *ad Anastasium*), in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præmineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio; et magna dispositione provisum est ne omnes sibi omnia vindicarent,sed essent in singulis provinciis singuli,quorum inter fratres haberetur prima sententia : et rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem ejus susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil unquam a suo capite dissideret. Quod nisi quidam ex vobis nullo interiori comprehendissent obtutu,nunquam Rothadum episcopum Suessonicæ urbis sine consensu nostro deposuissent, deprædarentur. et in exsilium pulsum monasteriali custodiæ manciparent. Nam quomodo non omnes verbis omnia vindicatis,qui judicia episcoporum, quæ merito inter majora numerantur negotia, vestræ deliberationi tribuistis? An modicum vobis esse videtur fratres et coepiscopos vestros præter apostolicæ sedis consensum depositioni subjicere? Quod si damnationes episcoporum non inter majora negotia dinumeratis,quorum jam causas inter majora computatis negotia? Quid, rogo, de presbyteris vel de inferioris gradus clericis agitur, quorum apud nos quoque causa Chalcedonensis concilii regulis (*can.* 9), cum ratio exigit, audiri jubetur? Si episcopos tanta facilitate deponitis, quomodo, rogo, per vos, quorum vel in singulis provinciis habetur prima sententia, vel qui in majoribus urbibus constituti sollicitudinem suscipitis ampliorem, ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluit, qui de majoribus deponendis episcopis nihil ad ejus notitiam deferre curatis? An episcopi de universali Ecclesia non sunt, ut de illis damnandis per vos aliquid ad unam Petri sedem deferri non curetur? Vel quomodo nil usquam a suo capite dissidet, cum de adjudicandis præcipuis membris Ecclesiæ, id est episcopis, a capite, id est sede apostolica, dissentitis? An sedes apostolica caput non est? Frustra ergo, ut multa præteream, concilium Sardicense ad Julium episcopum inter cætera dixit (*in epist. ad Julium*) : Optimum et

valde congruentissimum esse videtur si ad caput, id est ad Petri apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes. Ecce sedem Petri caput appellatam, cui de singulis provinciis Domini referre sacerdotes debent. E contra vos adeo hanc despicitis, ut ad eam nihil de majoribus Ecclesiæ negotiis referre curetis, ac episcopum inconsulta et contempta illa deponere præsumatis, et præcipue sedem apostolicam appellantem. Nimis namque absurdum est quod dicitis, Rothadum, qui ad judicium sedis apostolicæ provocavit, iterum mutata voce vestra judicia postulasse. Quod etiamsi ita fuisset, a vestra fuerat fraternitate corrigendus et quia a majori ad minoris auctoritatis provocasset judicium, emendandus. Licet certis non patere possit ullis indiciis a nostro illum ad vestra cucurrisse judicia, quem constat in ipso articulo contra se proferendæ sententiæ sedem apostolicam appellasse, et quod se ab illa judicari posceret coram omnibus exclamasse. Æquum non foret, si ad vestra se judicia convertisset, quamvis etsi sedem apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen et tanta vos decretalia efferri statuta, et episcopum inconsultis nobis deponere nullo modo debuistis. Quod tamen vos, ut servata vobiscum medullitus charitate dicam, postposuisse dolemus, et diversorum sedis apostolicæ præsulum decreta in hoc vos contempsisse negotio, non immerito reprehendimus. Absit enim ut cujuscunque, usque ad ultimum vitæ suæ dien qui in fide catholica perseveraverit, vel decretalia constituta, vel de ecclesiastica disciplina quælibet exposita, debito cultu et cum summa discretione non amplectamur opuscula, quæ duntaxat et antiquitus sancta Romana Ecclesia conservans, nobis quoque custodienda mandavit, et penes se in suis archivis et vetustis rite monumentis recondita veneratur. Absit ut scripta eorum quo quomodo parvipendenda dicamus, quorum videmus Deo auctore sanctam Ecclesiam, aut roseo cruore floridam, aut rorifluis sudoribus et salubribus eloquiis adornatam. (Dist. *Si Romanorum.*) Si enim ipsorum decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod sedes apostolica probat, hodie teneatur acceptum, et quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur : et quanto potius quæ ipsa pro catholica fide, pro profanis dogmatibus repellendis, pro variis et multifariis Ecclesiæ necessitatibus et fidelium moribus [*al.*, motibus] diverso tempore scripsit, omni debent honore præferri, et ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione vel dispensatione magistra reverenter assumi? Quanquam quidam vestrum scripserint haud illa decretalia priscorum pontificum in toto codicis canonum corpore contineri descripta, cum ipsi suæ intentioni hæc suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur, et solum nunc ad imminutionem potestatis sedis apostolicæ et ad suorum argumentum [augmentum] privilegiorum minus accepta esse perhibeant. Nam nonnulla eorum scripta penes nos habentur, quæ non solum quorumcunque Romanorum pontificum, verum etiam priorum decreta in suis causis præferre noscuntur. At nunc, ubi suis animis resultare, et privilegia tanto nos, ut in sui status incolumitate persistant, elaborare non cessamus, quanto universæ Ecclesiæ profuisse, prodesse ac profutura semper esse probantur. Dignum ergo est ut ubi universa fabricæ moles innititur, ibi firmum validumque habeatur in omnibus fundamentum. (Dist. 19, *Si Romanorum*, § *Si ideo.*) Porro si ideo non esse decretales epistolas priscorum pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur ascriptæ, ergo nec Gregorii sancti, nec ullius alterius qui ante vel post ipsum fuit, est aliquod institutum vel scriptum recipiendum, eo quod in codice canonum non habeatur ascriptum. Ergo doctrinam eorum et sanctiones de codicibus suis eradant; ut quid vel membranas occupant, postquam non habentur acceptæ? Sed quare multum immoremur, cum nec ipsas divinas Scripturas Novi et Veteris Testamenti jam recipimus, si istos duxerimus audiendos? Etenim neutrum horum in codice ecclesiasticorum canonum habetur insertum. Sed responsuri sunt isti, qui non ad obediendum potius quam ad resistendum semper parati sunt, dicentes quod inter canones inveniatur capitulum sancti papæ Innocentii (*Decr.* c. 27), cujus auctoritate doceatur a nobis utrumque Testamentum esse recipiendum, quanquam in ipsis paternis canonibus nullum eorum contineatur ex toto insertum. Quibus ad hæc asserendum est quoniam si Vetus Novumque Testamentum recipienda sunt, non quod codici canonum ex toto habeantur annexa, sed quod de his recipiendis sancti papæ Innocentii prolata videtur esse sententia; restat nimirum quod decretales epistolæ Romanorum pontificum sunt recipiendæ, etiamsi non sunt canonum codici compaginatæ, quoniam inter ipsos canones unum B. Leonis capitulum constat esse permistum, quo ita omnia decretalia constituta sedis apostolicæ custodiri mandantur, ut si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam negari. Ait enim capitulo 5 suorum Decretalium (*epist. ad episcopos per Campaniam*) : Ne quid vero sit quod prætermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, et canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestræ dilectioni custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Dicendo vero *omnia decretalia constituta*, nullum de decretalibus constitutis prætermisit quod non mandaverit esse custodiendum. Et rursus asserendo *omnium decessorum nostrorum*, nullum pontificum Romanorum qui ante se fuerit, excepit, cujus ita non præceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Itaque nihil interest utrum sint omnia de-

cretalia sedis apostolicæ constituta inter canones conciliorum immista, cum omnia in uno corpore compaginari non possint, et illa eis intersint quæ firmitatem his quæ desunt et vigorem suum assignent. Præsertim cum synodalia gesta, inter quæ ipsi canones statuti sunt, in codice canonum non habeantur, sed a nobis omni cultu debito venerentur. Consonat autem huic beatissimo papæ Leoni sanctus et facundissimus in Decretis suis papa Gelasius, ita inquiens (in synodo Romana, *de scriptis canon.*): Decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus de urbe Roma pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decernimus. In quo notandum quia non dixit decretales epistolas quæ inter canones habentur, nec tantum, quas moderni pontifices ediderunt, sed quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Roma dederunt. Dictis autem diversis temporibus, etiam illa tempora vir sanctus comprehendit quæ, crebrescentibus paganorum persecutionibus, ad sedem apostolicam deferri causas episcoporum difficillime permittebant.

His ita divina favente gratia prælibatis, ostendimus nullam differentiam esse inter ea decreta quæ in codice canonum habentur sedis apostolicæ præsulum, et ea quæ præ multitudine vix per singula voluminum corpora reperiuntur, cum omnia et omnium decessorum suorum decretalia constituta, atque decretales epistolas, quas beatissimi papæ diversis temporibus ab urbe Roma dederunt, venerabiliter esse suscipiendas et custodiendas eximios præsules, Leonem scilicet et Gelasium, mandasse probavimus. Quamvis et hoc quod sæpe commemoratus B. Leo, apostolicæ sedis artistes, ad Anastasium Thessalonicensem archiepiscopum scribit (*epist.* 82), quorumdam vestrorum præsumptionem potentissime ferit, et quod talia negotia nobis inconsultis diffinire minime debeatis, manifeste denuntiat. Ait enim : Nam cum majora negotia et difficiliores causarum exitus liberum tibi esset sub nostræ sententiæ exspectatione suspendere, nec ratio tibi, nec necessitas fuit, in id quod mensuram tuam excederet deviandi. Et item deinceps : Præsertim, inquit, cum etiamsi quid tale aliquid mereretur, exspectandum tibi fuerit quid ad tua consulta rescriberem. Et paulo post : Sed etiamsi quid grave intolerandumque committeret, nostra erat exspectanda censura, ut nihil esse prius decerneres quam quid nobis placeret agnosceres. Quod nos quoque de Rothado vobis non irrationabilius dicere possumus, quia dum octo fere annos ventilaveritis, nec ratio vobis nec necessitas fuit in id quod mensuram vestram excederet deviandi. Sed etiamsi quid grave intolerandumque committeret, nostra erat expectanda censura, ut nihil prius decerneretis quam quid nobis placeret agnoscere tis. Sed dicitis judicia episcoporum non esse majora negotia, nec difficiliores causarum exitus. At nos horum merito judicia majora negotia dicimus, et difficiliores causarum exitus judicamus, qui quanto gradus sunt præcipui, et in Ecclesia Christi sublimiores, tanto, cum de horum statu vel casu agitur, majora negotia et difficiliores causarum exitus agitari vel haberi creduntur. Ipsi quippe primi in Ecclesia, ipsi arundinem tenentes, metiuntur sanctam Jerusalem, ipsi fabricæ Dei præsunt, ipsi speculatores civitatis Dei sunt, ipsi arietes, ipsi pastores gregis Dominici, ipsi columnæ domus summi regis existunt. An majora negotia causas inferiorum clericorum esse conjicitis, ut horum causas nobis, et episcoporum vobis negotia tribuatis? Quamvis et inferioris gradus clericorum causas apud nos, cum tempus vel res exegerit, esse finiendas, e diverso procul dubio colligamus, sicut beatus papa dicit Innocentius (*epist. ad Victricium*): Si quæ autem causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam inferioris etiam fuerint exortæ, ut secundum synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ episcopis judicium terminetur; nec alicui licoat, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, relictis his sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. An majora negotia metropolitanorum tantum esse fatemini? Sed audite rursus quid de episcopis sanctus asseveret Leo. Quibus, inquiens, etsi dignitas communis est, ordo tamen generalis est, et revera unus de septem Ecclesiæ gradibus est, metropolitanorum scilicet et reliquorum episcoporum ordo. Et quod dicit Apostolus, oportet episcopum irreprehensibilem esse, non video minus metropolitanis quam cæteris episcopis convenire. Nisi forte episcopatu se privet quisquis metropolitanorum ad se hoc Apostoli dictum non æstimet pertinere. Unde nos non minoris numeri nec alterius famæ accusatores, testes vel judices quærimus in negotiis episcoporum, quam exigimus in causis metropolitanorum. Unde tam illorum quam istorum negotiorum nobis exitus reservari merito volumus et jure decrevimus. Totius enim Ecclesiæ, Deo auctore, generaliter sollicitudinem gerimus, et omnium utique qui Ecclesiam faciunt cura constringimur, atque omnium quorum nos maxima cura exspectat, nostrum præcipue debent promereri judicium, sicut Innocentius ad Alexandrum scribens Antiochenum (*epist.* 20), non scilicet solum metropolitanorum, sed et omnium omnino sacerdotum, quinimo universorum qui se de ovibus principaliter divinitus Petro commendatis esse non nesciunt : id est non solum cunctorum qui de illorum numero sunt de quibus Dominus principi apostolorum dixit : *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII), sed etiam qui de his piscibus sunt, qui intra rete, quod ab ipso ad littus trahi specialiter jussum, esse se rocognoscunt. Adhuc tamen percontari propter contentiosos libet quænam judicia, vel quorum esse majora negotia prædicatis, si episcoporum causas non inter præcipua computatus negotia? An laicorum et vulgarium populorum judicia inter majora negotia ponitis, quos pene quotidie cum vestris et sine ve-

stris et sine vestris epistolis ad discutiendos et judicandos suscipimus, et discussos, vel judicatos, vel absolutos dimittimus? Denique aut sæcularium judicia inter majora, et episcoporum inter minora negotia collocabitis, et vobis episcoporum, nobis laicorum judicia reservabitis : aut certe, si episcoporum judicia sunt majora negotia, juxta Leonem liberum vobis esse debuit hæc sub nostræ sententiæ exspectatione suspendere ; aut si persona judicandi tale aliquid mereretur, exspectandum vobis fuerat quid ad vestra consulta rescriberem. Absurdum est enim ut laicos quosque et minimos qui sunt in ecclesiis vestris, nostro mittatis judicandos, et addatis quotidiano labori ; et episcoporum, qui præcipua Ecclesiæ membra sunt, vestræ subdatis deliberationis arbitria.

His vero tandem omissis, Deo duce, scitote nos, quod temeritate magistra perperam a vobis commissum est, et quod inconsultis nobis in Rothado fratre et coepiscopo nostro præpropere perpetrastis (etiamsi nunquam sedem apostolicam appellasset), Dei auctoritate, et beatissimorum Petri ac Pauli principum apostolorum, seu omnium decessorum meorum, necnon et sanctorum trecentorum decem et octo Patrum qui apud Nicæam sub Constantino pio principe convenerunt, penitus evacuantes et in irritum ducentes, præfatum Rothadum pristino gradui, pristinæ dignitati, pristino reddidisse prorsus honori ; ita ut divina mysteria conficiendi priorem facultatem adeptus, omnique sacerdotali restitutus officio, sine cujuslibet contradictione, propriæ receptæ libere præsit Ecclesiæ, a qua inconsultis nobis expulsus est. Denique cum ante biennium scriptis et verbis instanter egissimus ut idem Rothadus aut propriæ redderetur Ecclesiæ, aut certe Romam cum vicariis vestris et ipsius accusatoribus ad examinandum et judicandum nobis destinaretis, et nihil apud vos impetrare potuissemus, dum modo hoc, modo illud ad excusandas excusationes in peccatis objiceretis ; tandem aliquando, Deo inspirante, et Nicænæ nobis synodi decreto suffragante, quo inter cætera præcipitur ut suis privilegia serventur Ecclesiis, ratum duximus jam factum Rothadum, memores scilicet privilegiorum apostolicæ sedis, a vinculis quibus illum, ne uteretur officio nec suæ præesset Ecclesiæ, colligastis, quia nos non censuimus, absolvendum. Neque enim tam stolidus tamve poterit traditionis tramite devius inveniri, qui cæteris Ecclesiis privilegia servari et soli Romanæ Ecclesiæ adimi debere perhibeat, quæ omnium Ecclesiarum magistra, mater et caput est. Si quis autem tacita forte, quia non audet aperta mussitatione fateri, Romanæ hujusmodi Ecclesiæ privilegia non fuisse, quibus sedes apostolica aliorum ligata præsulum facultatem habuerit dissolvendi, præter quod prisca rerum probatione, et nonnullarum recitatione scripturarum convincitur, testis est beatus Gelasius, quem idcirco ad testimonium super his perhibendum produximus, quia hunc non solum vita et doctrina plurimum commendat, verum etiam rem de qua agitur in paucis astruit et ostendit, nobis videlicet brevi sermone propinans quod de multorum voluminum fontibus hausit. Scribens enim episcopis per Dardaniam constitutis, inter cætera (*epist.* 11) : Nec plane, ait, tacemus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlidet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri apostoli jus habeat resolvendi, utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi. Item ad episcopos Orientales, post quingentos inquit, annos constituta Christi eos velle subvertere, cum triginta annorum lex hominum non possit abrumpi, sanctum Athanasium ideo non damnatum a synodo Orientis, quia sedes ista non consenserit, vel sanctum Joannem Constantinopolitanum, vel sanctum Flavianum. Si ergo hac non sonsentiente sola, ii damnati a synodo Orientis, non potuerunt esse damnati, consequens est etiam, qui eadem sola damnante, sine synodo damnatus fuerit, damnatus sit. In quo inter cætera notandum est quia si hos qui post quingentos annos statuta Christi tantabant subvertere, tanta vir sanctus increpatione redarguit, cum triginta annorum lex hominum non possit abrumpi, quanto magis exprobrandi sunt qui ea etiam post octingentos et eo amplius annos nituntur evellere? Quæ vero statuta Christi dixerit, inferius declaravit, cum sola sede apostolica non consentiente neminem posse damnari, et sola ea consentiente, qui damnatus fuerat, damnatum haberi exposuit. Statuta itaque Christi dixit post quingentos annos subvertere ; quia jam quinquies centum circiter anni præterierant, quando venerabilis papa dixit sedem apostolicam hæc statuta Christi promeruisse. Privilegia enim sua a Christo Ecclesia Romana per Petrum consecuta est, et ipsa sunt statuta Christi : quæ quidam tunc post quingintos, nunc post octingentos annos exinanire conantur. Ecclesiæ, inquam, Romanæ adeo suat antiqua et vetera privilegia, ut Nicæna synodus, sicut * Bonifacius præsul apostolicus episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait, non aliquid super eam ausa sit constituere, cum videretur nihil supra meritum suum posse confiteri. Omnia denique noverat huic Domini sermone concessa. Si amnia, ergo et episcoporum judicia. Perhibente autem beato Bonifacio quod Nicæna synodus super eam, haud dubium quin Romanam Ecclesiam non ausa sit aliqua constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse confiteri, omnia denique huic noverat Domini sermone concessa : et objurgante sancto Gelasio eos qui constituta Christi volebant subvertere, cum privilegia Romanæ sedis moliebantur infringere, manifeste datur intelligi eadem esse constituta Christi quæ sunt omnia illa quæ huic Ecclesiæ synodus Nicæna noverat Domini sermone concessa. A tempore quippe quo synodus Nicæna fuerat consummata, nondum quingenti usque ad Gelasium anni transierant, ut de Nicænæ synodi statutis tantus vir dixisse videatur eos post quingentos annos statuta Christi velle sub-

vertere. Restat ergo ut illius temporis mentionem fecerit, a quo quingentorum circiter annorum curricula usque ad se devoluta poterant comprehendi. Christus enim privilegia constituta in Petro disposita vel firmata Romanæ contulit Ecclesiæ, super quam nihil synodus quælibet ausa est merito constituere, cum sciat omnia illi Domini sermone concessa. Dispensationem quippe redemptionis humani generis ante tempora sæcularia Dominus omnipotens penes se ordinatam custodiens, et tempore carnis ostendens, ascensurus ad cœlos, in apostoli Petri, per quam et apostolatus et episcopatus sumpsit exordium, confessione curaque præcipue collocavit; qui tunc per se et deinceps per suæ sollicitudinis hæredes, circa humanum genus, quæ sibi Dominus commendavit, non destitit exhibere. Hæc enim ille, hæc successores ejus ex tunc agere non omittunt, modo verbis, modo decretorum suorum epistolis ab urbe Romana diversis temporibus datis, commissarum sibi ovium providentiam principaliter exercentes. Itaque Rothadum episcopum, de quo hactenus nostris contempsistis obedire mandatis, tandem a nobis, imo a Deo, pristino gradui restitutum benigne suscipite, quia ille evangelicus filius rediens non solum suscipi meruit, sed et dignus paternis complexibus invenitur, et annulum fidei recipit, et stola circumdatur, per quam quid aliud quam sacerdotii declarantnr insignia? Nec probabilis exstitit apud patrem senior filius, quod invidit recepto: nec tantum meriti habuit penes patrem perseverando, quantum noxæ contraxit non recipiendo germanum. Ergo suscipite illum ut fratrem, suscipite, inquam, illum ut mea viscera. Sollicitos autem vos pro salute libenter audio: contra caput etiam si faciendum est, non libenter admitto. Cui manus porrigenda est, vobiscum porrigo, cui porrigo, mecum porrigite. Si cui autem aliquid donastis, et ego. Nam et ego, etsi quid donavi propter vos, in persona Christi, ut non possideamur a Satana. Non enim ignoramus versutias ejus, qui super discessione lætatur. Apostoli vero declaratæ benignitatis herba sunt, sicut ea viri beatissimi apostolicæ sedis præsules, Innocentius et Bonifacius, sapientissime replicarunt, Porro quisquis contra hoc nostri apostolatus decretum, post notitiam ejus se efferens, sæpe fato Rothado episcopo, ad recipiendam et regendam Suessonicæ urbis Ecclesiam, aliquod palam vel occulte præparaverit offendiculum, vel si personæ ipsius quo quomodo insidiatus exstiterit; quinimo si quis vestrum ad Ecclesiam recipiendam illi, tanquam frater fratri, adjutorium non præstiterit, utpote qui videt fratrem suum necessitatem habere, et claudit viscera sua ab eo, et veluti is in quo charitas Dei non manet, ab ipsa charitate, quæ Deus est, et a corpore et sanguine Christi, et a nobis qui membra illius sumus, habeatur omnimodis alienus. Horro ne justitiam regere nostræ tantum videamur voluntatis arbitrio, ac per hoc æstimemun canonicis legibus contraire, sancimus atque decernimus quatenus sæpedictus Rothadus, venerabilis episcopus, paratus sit omni regulariter poscenti de se, quia Deo propitio nulli parti favere volumus contra justitam, coram sedis apostolicæ præsule reddere rationem. Ita duntaxat ut, secundum majorum diffinitiones, snte omnia quæ prius possederat integro jure recipiat; adeo ut talis sit in omnibus qualis ante sententiam contra se prolatam fuisse dignoscitur. Sicque demum, Ecclesia recepta, et episcopatu libera securitate posseeso, proximis et amicis, rebus, et ipsis resumptis viribus, vestitus quoque, et spiritualibus annis tectus, accusatoribus respondeat suis, et unde impetitur, plenissima studeat hos qui foris atque intus sunt satisfactione certificare.

LXXVI.

AD CLERUM ET PLEBEM SUESSIONICAM.

(Anno 865)

Ut restitutum sibi Rothadum episcopum omni affectu excipiant.

Apud Mansi, [*ibid.*]

Clero et plebi consistenti Suessioni.

Sicut priorum parentum est de orbitate natorum acri valde lamentatione lugere, ita devotorum filiorum proprium est de patris amissione vehementi mœrore affici et ardore valido cruciari; ac per hoc contra naturam quodammodo agitur, si una pars sine alterius partis societate anxietnr et doleat. Sed in hoc vos, charissimi filii, sicut de vobis frequens narrat opinio, nequaqum, Deo gratias, frigidi, nequaquam exstitistis ingrati. Denique nullus dubitat quas devotio vestra, proprio destituta præsidio, ipsa quantum ad hominem pertinet orphana remanens, varias et multipices calamitates pertulerit. Sed ille qui fidelibus discipulis dixit, *Non relinquam vos orphanos* (*Joan.* XIV), non solum præsenti sua majestate protexit, sed etiam propitia, quo desolati et destituti eratis, pro sua redonavit pietate roctorem: nobis scilicet, qui in eo vivimus, movemur et sumus, ad eum vobis reddendum nutu suæ miserationis interius imperans et competenter erudiens. Ecce enim venerabilem virum Rothadum, fratrem nostrum et coepiscopum nostrum, vestrum autem patrem, pastorem atque magistrum, cujus longa jam eruditione instructi, cujus olim sacri verbi pane refecti, cujus diuturnis laboribus et vigiliis circumsepti, cujus magisterio et doctrina Deo estis auctore refecti, prioris infulis sacerdotii et pristinis redintegratum honoribus ac omnibus episcopatus officiis restauratum, vestræ alacri devotioni et piæ dilectioni remisimus. Habetis præterea in hoc beatæ recordationis Athanasii prudentissimi sacerdotis exemplum: cujus tolerantia cui non consolationi sit? cui non spem faciat ejus inexspectata reversio? Ejicitur Ario præsequente, sed revocandus Domino prosequente. Passus est carcerem, passus est angustias, nec mirum, si vir apostolicus ea passus est, quibus se Apostolus gloriatur exercitatum (*II Cor.*, XI). In his tamen omnibus secutus est illum, qui sibi in tribulationibus se placere testatur, fugatus illinc, et in nostris

partibus roboratus est.Denique hic ei redintegratus status est,in hac sede requiem communionis invenit, a qua semper catholicis subvenitur. Sancti autem papæ Cœlestini verba sunt hæc (*epist.* 4, ad Const.), quæ nos Rothado possimus non inconvenienter aptare, præter quod ille reverendi Athanasii, et blasphemi Arii mentionem fecit: in præsentiarum vero Hincmarus prosequens, et Rothadus innocens in causa sunt.Gaudete itaque, fratres,in Domino,et iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Exsultate, filii charissimi, et de reddito vobis patre, Deo immensas gratias persolvite. Lætamini, oves Dominicæ, ac pro restituto pastore, summo Pastori laudum officia canite. Congregamini,filii excelsi,exite obviam ei,tripudiantes cum hymnis et psalmis, et canticis spiritualibus, altisona Domino præconia concinentes,illum suscipite cum honore,adite eum cum hilaritate, obedite ei sicut patri reverendissimo, sicut magistro, et in omnibus circa eum ut devotissimos vos quietissimosque filios exhibete: seientes divinum præsidium procul dubio non ei defuturum, et quandiu spiraculum omnipotentis erit, et halitus vitæ spirabit in naribus meis, solatium nostrum in suis opportunitatibus adfuturum. Qua de re rursus apostolatus nostri præceptione vestræ unanimitati jubemus, quatenus taliter agere vestra satagat industria,ut in nullo sine affectione circa jam fatum virum et episcopum vestrum reperiamini : sed ita nostris pro eo monitis pareatis, ut animadversio quæ de contemptu nostri oriri poterat, in retributionem justæ mercedis concedente Domino convertatur.

LXXVII.

AD ROTHADUM EPISCOPUM SUESSIONENSEM.

(Anno 865.)

Quod illum ita restituat, ut paratum deinceps esse velit adversariis respondere, si quid conentur objicere.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus,servus servorum Dei reverentissimo et sanctissimo Rothado episcopo sanctæ Ecclesiæ Suessionicæ,

Decessorum exempla meorum imitans, mirabiliumque virtutum eorum flagrantiam sequens,oportet omnibus larga me hujus Ecclesiæ, quæ mater est omnium Dei ecclesiarum, pietatis ubera præparare,atque universis undique ad eam confluentibus,tanquam fidelem et prudentem summi patrisfamilias servum, apertum ejus exhibere misericordiæ gremium. Et ideo, quia constat sanctitatem tuam metropolitano tuo,et quibusdam ejus sequacibus te impetentibus, nobis inconsultis gradus tui jacturam sustinuisse,et ecclesia propria caruisse ; ac deinde nobis etiam decernentibus hanc minime hactenus accepisse, et juxta quod jusseramus,nullam tuæ dilectionis restitutionem habere: Nos hanc depositionem, utpote quæ sine ulla nostra ratione irregulariter est effecta, depositionem nec fuisse, nec esse doliberamus,cum etiam nec fuerit dies qua et absentem,et præsentem, non inter episcopos haberimus, scripserimus et coluerimus. Et ideo auctoritate Dei omnipotentis, et beatorum apostolorum Petri et Pauli,et omnium decessorum meorum sedis apostolicæ præsulum, pristino gradui,ac pristinæ reformamus ecclesiæ : ita ut quicunque tibi ad recipiendam ecclesiam olim tibi commissam,vel ad episcopale ministerium peragendum,aliquatenus impedierit, donec acquiescat, et tibi obsistendi conatum deponat,a sacrosanctis mysteriis, et ab ecclesiæ sit ingressu remotus,atque ab omni communione fidelium sequestratus. Quia quem præsentialiter nemo accusat,nos inter damnatos habere, nec possumus,nec debemus. Præcipue cum damnatores tuos, vel vicarios eorum, frequentibus apostolatus nostri vocaverimus apicibus, et nullum ipsorum te accusantium videre penitus quiverimus: sed tantum quidam præsens positus, et alii scriptis suis nobis significaverunt, quod nulla te accusatione impetere voluissent,sed nec etiamsi secundum jussionem nostram venire potuissent,adversus sanctitatem tuam accusationes aliquas attulissent. Et proinde, quia per tot curricula temporum,sufficientibus datis induciis,nullus ad tui accusationem accessit,præcipue cum tu ad reddendam rationem paratus semper exstiteris, nos te nec damnare possumus, nec inter damnatos relinquimus. Resumat ergo venerabilitas tua officium olim commissum,fruatur beneficio diviuitus sibi collato, utatur episcopali ministerio, pristina dignitate resumpta recipiat ecclesiam quam tibi Dominus commendavit,et quam tu quoque bonis initiis percepisti,et veraci ac multiplici fama testimonium tibi dante,dignis successionibus adornasti : ita ut sine quacunque et cujuscunque contradictione,vel impedimento, talis habearis in omnibus, qualis ante prolatam in te excommunicationis et depositionis sententiam exstitisse agnosceris.Sane ne justitiam regere nostræ tantum videamur voluntatis arbitrio,ac per hoc æstimemur ecclesiasticis legibus obviare, sancimus ut sanctitas tua,prius receptis omnibus,quæ ante possedisse dignoscitur, et ecclesiæ potestate fruens,et per aliquod tempus inoffense gubernans,resumptis viribus,et sibi abbatis omnibus redintegratis, sic demum, si qui sunt qui tibi aliquid conentur objicere, fortis jam et valida cum ipsis disceptationis luctamina aggrediatur ; et juxta quod ratio dictat, et sacræ præcipiunt sanctiones,vestitus cum vestito,et armatus cum armato,ecclesiastico more, tempore a nobis præordinando,coram sedis apostolicæ præsule,contra tuos adversarios conflictum incas, quidquid regulariter diffinitum fuerit procul dubio suscepturus.Quia vero de sanctæ Ecclesiæ Suessonicæ, vel de sibi competentium diversorum locorum rebus,multi multa detraxisse,ac diverso modo hactenus illis frui dicuntur,sancimus atque decernimus,ut post secundam et tertiam conventionem et admonitionem sanctitatis tuæ, quisquis res præfatæ ecclesiæ, quibus tu aliquando ad usum vel sustentationem illic servientium,vel tibi obsequentium,fruitus fuisse dignosce-

ris,retinere, et sibi ulterius absque voto tuo vendicare tentaverit,et illas qualescunque,et ubicunque, et quantæcunque fuerint possidendas prædictæ Ecclesiæ Suessonicæ minime dimiserit, tanquam sacrilegus anathematis reus vinctus,ab Ecclesiæ gremio,atque sacro corpore, et pretioso Domini nostri Jesu Christi sanguine,donec præsenti decreto nostro acquieverit, habeatur omnibus modis alienus, et tanquam violentus invasor atque tyrannus,sit Christianorum communione privatus: ita ut qui hujusmodi in communione susceperit,simili pœna teneatur astrictus.Scripta per manum Petri notarii regionarii,et scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ,in mense Januarii,indictione XIII.Bene vale in nomine Domini.

LXXVIII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 865.)

Hortatur ad pacem (a) cum Ludovico imperatore nepote suo retinendam, et ut Arsenio quem legatum in Galliam mittit,fidem habeat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS, servus servorum Dei, dilecto filio CAROLO glorioso regi.

Initium locutionis meæ,quam ad vos nunc habeo, charissime, ecce cum apostolo Paulo sumit exordium,et vox mea vox illius est, dicens : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV). Quo autem modo Christus formari melius in cordibus vestris poterit, quam si evulsis ex præcordiis vestris odiorum et simultatum vepribus, pacem in visceribus vestris concipiatis quæ Christus est,sicut per eumdem Apostolum de eo dicitur : *Ipse est pax vestra, qui fecit utrque unum Ephes.* I),et charitatem in invicem observetis quæ Deus est,veluti a Joanne describitur : *Deus charitas est* (*I Joan.* IV). Nulli ergo dubium est, quod qui charitatem et pacem in se non habet,Christum Dominum Deum nostrum, qui per hæc vocabula designatur, e corde suo projecerit, et quasi conformatum ex intimis uteri sui pepulerit. Quamobrem necesse est ut,sicut sancta mater Ecclesia, cui mea humilitas per abundantiam divinæ miserationis præest, ut habitaret Christus per fidem in cordibus vestris,olim vos per Evangelium gennit: ita quoque, ut per ministerium apostolatus mei in præcordiis vestris per pacem et dilectionem idem formetur Christus, nunc vos iterum parturiens gignat, et ut in virum perfectum occurratis informet. Quomodo autem Christus in vobis formari potest,qui in scissis mentibus non habitat? qui totus est pax,totus justitia, totus est veritas? vel in vobis quomodo formatur, qui licet in pectore vestro per fidem suam [*edit. Rom.*, sanam] solidus et integer habitet, per discordiam tamen minus in vobis perfectus,et velut informis habetur? Concipite itaque filii pacem,parturite justitiam, et alternam amplectimini charitatem.Audite quid dicat Apostolus : *Pacem sequimini cum omaibus* (*Hebr.* XII). Et rursus : *Quod*, inquit, *ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* XII). Unde intimo mentis intuitu, et summa est diligentia perpendendum, quoniam si tantus Apostolus cum omnibus hominibus pacem sequi,et cum omnibus pacem habere commonuit,quanto potius,quantoque salubrius cum his sequenda,et cum illis habenda est pax, quibus consanguinitate propinquiores, et materia carnis proximiores, ac juramendo servandæ vicariæ pacis connexi arctius esse ferimini? Qua de re nunc mihi sermo est,et ad regium culmen vestrum meum tendit eloquium : ad ea videlicet vos dirigens, per quæ non solum terrena regna debito jure possidendo,dies vestros in quiete maxima transeatis: verum etiam beatitudinis hæreditatem capessentes, filiorum quoque Dei vocabula sortiamini.Scriptum quippe est . *Beati pacifici,quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). Igitur memores estote, filii dilecti, memores estote nominis Domini Dei nostri,cujus mentionem coram nonnullis testibus facientes, terribili estis alternam pacem invicem pacto polliciti, et pertimescentes tantum nomen in vanum accipere, reddite Domino juramenta vestra. Fœdus, quod ad alterutrum pepigistis, inviolabili maneat apud vos veritate repostum, et immaculate vigeat vestra sublimitas, insignia fidei cunctis circumquaque nationibus repræsentans.Parcite gladio, et humanum fundere sanguinem formidolosius exhorrescite. Cesset ira, sedentur odia, sopiantur jurgia, et omnis ex vobis simultas radicitus extirpetur.Unusquisque vestrum sua sit sorte contentus, et funiculo hæreditatis divinitus sibi collato pacifice perfruatur, aliena jura non invadens, non subtrahens, non conturbans. Liceat dilectissimo filio nostro, vestro autem nepoti, a Deo conservandum imperium suum,cum regno proprii germani,quieta possidere tranquilitate,et statui ejus summa securitate consulere,et gubernacula ditione debita moderari : ad salutem videlicet ac defensionem populi Christiani; et ad sanctæ matris suæ,Romanæ scilicet insignis Ecclesiæ, libertatem et sublimitatem. Non autem in vobis gloriæ typhus,non supercilii fastus, non alterius usurpandi terminos ambitio,sed justitia, charitas,et concordia regnet,ac summum pax inter vos teneat omnino fastigium. Sane cum pro concordia scribimus,cum pacem prædicamus,de ea nos concordia, vel pace,non opinemini agere,quam solet mundus diligere, ac reprobi adinvicem observare. Deuique illi, ut liberius et audacius possint mala perpetrare quæ cupiunt, et plures ac validiores ad quæ gestiunt reperire, unanimitatem student, et

(a) *Cum Ludovico imperatore.* De regno Burgundiæ, ut opinor,post Caroli regis obitum fuit controversia. Nam a Carolo Calvo fuisse occupatum, indicare videntur capitula in Burgundiam ab eo missa titulo XXXII.At Burgundiam Ludovicus imperator tanquam fratris regnum sui juris esse contendebat. Hinc illa epistolæ hujus, *Liceat vestro nepoti imperium suum cum regno proprii germani quieta possidere tranquilitate*,et alia in epistola sequenti. JAC. SIRM.

pacem inter se irrefragabiliter, et imprætermisse tenere. Quam Dominus sciens, et hanc a sua pace secernens,dilectoribus suis aiebat : *Pacem*,inquiens, *relinquo vobis, pacem meam de vobis* (*Joan.* XIV) : *meam*,inquit,non dilectorum mundi.Unde apte subdidit : *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Quod qualiter accipiendum sit,sanctus Augustinus salubriter et luculenter exponit. Cætera vero, quæ, ne modum excederemus epistolarem,huic paginæ inserenda non duximus, Arsenio reverentissimo et sanctissimo episcopo, apocrisiario et misso apostolicæ sedis, et consiliario nostro, defæcatissime prosequenda non indecenter, ut credimus, scriptis et dictis injunximus. Cui bene faciet gloria vestra in cunctis attendens, et in his quæ sibi, ex nostri apostolatus auctoritate, de pace sanctæ Ecclesiæ perhibuerit,non immerito credula vel inambigua, fidem certam accommodans. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat, dilectissime fili.

LXXIX.

AD EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CONSTITUTOS.

(Anno 865.)

Quod pacis studio Arsenium legatum mittat; proinde regem ad eam cum Ludovico Augusto nepote suo conservandam hortentur.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei,omnibus reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris, archiepiscopis et episcopis in regno Caroli gloriosi regis constitutis.

Studium nostrum semper fuit, et est, fratres dilectissimi, ut pro ædificando mutuæ charitatis et pacis bono, non solum his qui prope,sed et his qui longe sunt,officii nostri vellemus jugem,et impigrum extendere famulatum, ad si quoque inter cætera, quæ suggestionibus vestris inter vos a nobis disponenda crebrius exegistis, hortatu vestro plurimum invitati.Sed innumeris undique Christi Domini nostri Ecclesiæ, cujus principaliter curam gerimus, laboribus impedit, hæc ut optabamus hactenus agere profecto nequivimus. At nunc postquam toties, ut ita dicamus, ille vir Macedo,qui olim apparuit Paulo, *Transi et adjuva nos*(*Act.*XVI), per pias (*edit. Rom.*, proprias)nobis sanctitatis vestræ voces exclamavit, et nostro apostolatui ostium,per gratas Deo vestras, ut credimus, orationes,sicut ipsi egregio tunc apostolo,tandem apertum est; nihil desidiæ,nihil tanto volumus operi tarditatis afferre : sed potius cœptis aliis negotiis ecclesiasticis et pernecessaris parumper omissis,rogabimus quæ ad pacem sunt Jerusalem illius scilicet, quæ partim in cœlo jam cum sponso regnat,partim adhuc in terris incolatur et premitur, quatenus concordiæ ac dilectionis fundamentis in ædificatione ipsius positis, fiat etiam consequenter pax in virtute illius,et abundantia in turribus ejus. Hujus rei gratia præsentia fraternitati vestræ scripta direximus : quibus admoniti, sicut boni commilitones, et quasi Dominicæ vineæ cultores, vitia nobiscum expugnate (*fors.*, expurgate), virtutum charismata prædicate,discordiam destruite,unanimitatem ædificate, odia exstirpate, charitatem plantate, rixas dissipate, pacem evangelizate. Haud talem, quod absit,unanimitatem vel pacem,quali Judæorum usa est in Domini Salvatoris nece conspirans factiosa caterva, vel Herodes et Pilatus ex inimicis eodem tempore adinvicem pepigerunt. Sed talem, qualem audierunt pastores cœlestem militiam in nativitate nostri Salvatoris canere,cum diceret : *Gloria in excelsis Deo,et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Intonans enim, *pax hominibus*, subintulit, *bonæ voluntatis*, ut malevolæ voluntatis homines a pace hujuscemodi sequestraret.Nam perversi quique, quo pacatiores sunt invicem, eo procul dubio ad agendum perperam validiores existunt.Unde et Apostolus, non solum *evangelizantium bona* (*Rom.* X) speciosos pedes admiratur, sed et *evangelizantium pacem* (*Hebr.* XII) addens,nulla bona sine pace, nec rursus pacem sine cæteris bonis innuit fore sequendam.Et alias pacem cum omnibus et sanctimoniam sectandam præcipit, sine qua nemo videbit Deum. Quas ita connectens,unam sine altera minus ostendit esse proficuam. Habentes ergo, charissimi,dilectionem in vobis,pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam : non pacem,qua etiam corvi potiuntur in invicem, sed quam simplex, et a laniatu prorsus extorris columbarum possidet miranda concordia. Non solum autem vos pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum,custodiat,sed et per vos, omnes qui sub vestro moderantur regimine,coadunet et vinciat. Præcipue regem vestrum quantocius informare satagite ad ea quæ illi scripsimus,et juxta quod eum instruximus : exhortantes videlicet, ut memor sit memoriæ districti judicii, cujus nomen multis audientibus nominans, jurejurando conservandam fratribus eorumque liberis inviolabilem pacem spopondit,et pertimescens tam tremendum nomen in vanum assumere,reddat Domino juramenta sua,cui solum vota ultro Domino promissa non reddere impium est. Commonete itaque eum,ut illud fœdus,quod cum fratribus pepigit, perpetua unitate conservet,et id immaculate custodiens cunctis de se imitabile præstet exemplum.Parcat bello,et Christi sanguine sanguinem emptum fundere magnopere perhorrescat : scriptum quippe est : *Virum sanguinum et dolosum abominatur Dominus* (*Psal.* V). Unde sua sit sorte contentus,et funiculo hæreditatis cœlitus sibi datæ pacifice perfruatur, aliena jura usurpare non tentans,non ambiens.Cesset temeraria præsumptio, et avidi anhelitus medullitus comprimantur : maxime a finibus dilecti filii nostri excellentissimi Augusti, vel a metis regni uterini ejus longe distantis.Permittatur ergo prælato pio imperatori (*edit. Rom.*, præclaro imperatori) quietam ducere vitam atque tranquillam,et patruis suis nullam præsumptionem monstrantibus,machæræ usum quem primum a Petri principis apostolorum vicario contra infideles accepit,non cogatur in Christi fideles convertere. Liceat, inquam, ei regna sibi per hæ-

reditatum jus derivata, et apostolicæ sedis auctoritate firmata, et summi pontificis manu capiti superposito diademate augustissime decorata, cum suis fidelibus pie ac justissime gubernare. Sinatur omnino a Deo protectum imperium suum, quod cum benedictione, et sacratissimi olei unctione, sedis apostolicæ præsule ministrante percepit, ad exaltationem et quietem matris suæ hujus sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, licenter ac rectissime moderari. Alioquin quisquis contra hujus nostræ salutiferæ commonitionis paginam agere forte præsumpserit, et adversus jam fatum filium nostrum Augustum referre tantaverit, noverit sibi et Deum omnipotentem, cujus imperium terminum nescit, refragaturum, et apostolatum nostrum juxta competens sibi ministerium procul dubio reluctaturum. Porro scitote nos tam ad gloriosum regem vestrum, quam ad vos, Arsenium venerabilem virum, Hortensem episcopum (*edit. Rom.*, archiepiscopum), apocrisiarium et missum apostolicæ sedis et dilectum consiliarium nostrum, cujus apud nos approbata est fides, et comperta devotio, et vobis quoque persona vel est forte non omnibus ignota prudentia, destinasse. Quem tanto debetis et vos, et admonitione vestra filius noster rex, benigne suscipere, quanto scitis, quia pro cunctis laborat, dum pro communibus Ecclesiæ negotiis, quæ omnium mater est, tantum fastidium non recusavit, assumere : imo quanto portando pacem, Christum, qui est pax vera in se longe lateque gestare dignoscitur. Ad quem vestra etiam sanctitas jungi, et cum sibi quoquomodo adventus illius innotuerit, accelerare non renuat, quatenus alterna visione ac colloquio fruiti quæ circa veram pacem sunt, liquidius agnoscatis, ita ut et vos legationis ejus tenorem, et ille, quæ per tot curricula temporum anhelastis, evidentius comprehendat. Tumque demum, si quæ sunt quæ per se corrigere possit, auctoritate nostra corrigat : reliqua vero, quæ forte difficiliora sunt, apostolatui nostro diffinienda reservet. Optamus fraternitatem et sanctitatem vestram in Christo bene valere.

LXXX.

AD ARCHIEPISCOPOS IN REGNO LOTHARII CONSTITUTOS.

(Anno 865.)

Ut Lotharium libere arguant, et adulteram quam habet projicere compellant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis in regno Lotharii regis Ecclesiam Dei gubernantibus.

Sæpe, fratres charissimi, apostolatus nostri pro cauaa (si tamen causa dicenda erit) regis Lotharii, sed utinam regis, sollicitudinem cognovistis. Quippe et frequentia super hoc negotio scripta nostra vidistis, et in fautoribus ipsius tantum flagitium nos jam vindicasse manifestissime nostis. Sed, proh dolor! nobis irremotis laboribus desudantibus, vos licet scripto nobiscum sentire tenereque profiteami, utrum tamen laboretis, necne jam apud virum fatum, et si labor vester aliquid penes illum proficiat, vel cujus culpa si non proficit impediatur, nihil nobis omnino significastis. Quamobrem datur intelligi hujusmodi taciturnitate ideo vos usos, quoniam quidpiam utilitatis, quod intimare valeatis, penitus non habetis. Quapropter obsecro vos per adventum Domini nostri Jesu Christi, ante cujus conspectum, vel pro legitimis certaminibus coronam, vel pro desidia, quod absit, pœnam percipietis, ut tandem aliquando recogitetis ministerium quod accepistis, projiciatis desidiam, pellatis a vobis servilem timorem, resumatis episcopalem libertatem, corripiatis speculatorum et pastorum officium, et precando, obsecrando, suadendo, modo caduca hujus mundi prospera exponendo, modo in æternum mansura gaudia prædicando, jam nominatum regem, frequentius adeatis, et tam ex auctoritate Dei, quam etiam ex nostri apostolatus injuncta vobis præceptione, quousque, si non obedierit hanc quam nunc habet is adulteram mulierem projiciens, finitivam permansoriamque demus super eam sententiam, et exhortari eum, et admonere, omni torpore ac metu repulso, curetis, et segnitia vel tædio deposito, quibus hactenus eratis depressi, hunc constanter arguere, et decenter corripere studeatis, prænuntiantes pariter et quæ illi ventura sunt, imo jam imminent, videlicet quia post nostram, ac sanctæ Ecclesiæ in ipsum prolatam manifestam sententiam, nulla cum eo eritis communione potituri. Nam ut e diverso colligitur, nostræ communionis cum mœcha sibi sociata, et fautoribus suis, ipse jam dudum factus est exors : quod in epistola et commonitorio Rhadoaldo tunc episcopo, et Joanni dederamus episcopo, legatione fungentibus in eumdem ipsum Lotharium, liquido poterit inveniri. Ergo, fratres, estote ut fortissimi milites, ut pervigiles pastores, et venientem lupum a longe inspicite, ac perituro imminentem gladium enuntiate. Eruite hunc virum, qui ducitur ad mortem, qui trahitur ad interitum liberare ne cessetis. Clamate, quasi tuba exaltate voces vestras, et annuntiate illi scelera sua, quibus peccat, et peccare facit Israel. Quod si ille non audierit, ipse in inquitate sua morietur, sanguis ejus super caput ejus erit, vos autem animas vestras liberabitis. Tantum ut memores semper illius sententiæ sitis, quam vobis ex Apostolo memoriæ commendandam nunc apostolatus noster diffloratam annotat : *Si quis*, inquit, *non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et non commisceamini cum eo* (*II Thess.* II). Porro hæc et cætera, quæ huic paginæ inseruimus, Arsenio sanctissimo episcopo, apocrisiario. et misso apostolicæ sedis, consiliario nostro, vobiscum secundum voluntatem Dei exsequenda commisimus : cui et benignitatem vestram monstrare, et dignam reverentiam pro amore beati Petri apostoli, a cujus sede profectus est, exhibere satagite. Optamus fraternitatem seu sanctitatem vestram in Christo bene valere.

LXXXI.

AD ADONEM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 865.)

Cur synodus non fuerit celebrata. De Arsenio legato in Gallias et Germanium misso. Guntharium et Theutgaudum non fuisse pristino gradui restitutos. Presbyterum Gerardi comitis alteriusve cujuslibet laici non recte appellari.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri Adoni archiepiscopo Viennensi.

Miraris, frater, cur synodum dispositam non celebraverimus, cum in ea inter cætera quæ nunc incongruunt [*f.*, ingruunt], et longum est narrare de negotiis quæ apud vos geruntur Deo auctore præcipue ventilare, ac una vobiscum, tecum scilicet et cæteris fratribus nostris decernere proposuerimus, et vos per quos res illarum regionum, quæ vobis magis pro vicinitate quam nobis notæ consistunt, liquidius et sufficientius agnoscere sperabamus, et rursus quidquid Deo revelante statuendum erat, illis arbitrabamur partibus innotescendum,defueritis ; præsertim cum vobis et omnibus pene ultra Alpes existentibus Ecclesiarum Dei præsulibus ad synodum Romæ celebrandam, et ad hanc se convocandos fuerimus frequentius provocati, et pro his quæ illicite perperam aguntur potissimum existamus salubriter agitati. Alias autem misimus Arsenium venerabilem episcopum apocrisiarium et missum apostolicæ sedis et consiliarium nostrum,Galliarum et Germaniæ partibus de negotiis instantis temporis quædam vobiscum rimaturum ac inventurum. Et ideo non putavimus vos debere deesse illis regionibus, quandiu ipsum illic me demorari constaret. Unde bene faciet beatitudo tua si illi adhæserit, et in his quæ ex nostra delegatione agenda sunt, ejus laboribus fraterne communicaverit. Asserit autem sanctitas tua quod fama ubique spargatur Theutgaudum et Guntharium dudum episcopos per nos pristino gradui restitutos ; quod qualiter agi poterat dum scelus, tam quod rex Lotharius in repulsione Theutbergæ reginæ et admissione scorti commisit, quam quod Ingeltrudis apostatrix et adultera perpetravit, adhuc vigeat, cujus fautores fuere nescimus si ipse aliquatenus animadvertis : præcipue in Gunthario, qui contra sacros canones decreta nostra postponens, ministerium sibi vetitum juxta præcedentem consuetudinem contingere ausus est. Quamvis ergo hinc nihil usque adhuc in corde nostro teneatur, tamen si de restituendo quoquam eorum aliquid egissemus, consequenter sicut de casu, ita quoque omnibus vobis de restitutione scribere curaremus. Illud autem, frater charissime, ridiculose sonuit, quod apicum tuorum gerulum nobis commendans, hunc presbyterum Gerardi illustris comitis esse perhibueris. Vere quod [*pro* quid. Hard.] hoc scribens prudentia tua dicere voluerit, vel quid super hujuscemodi verbo intellexeris, nos fatcor ignoramus. Nunquid Gerardus comes illum presbyterum consecravit ? nunquid de ipsius est diœcesi ? Ubi hoc legisti ? ubi hoc didicisti ? Nisi quia presbyteri non specialiter ecclesiæ civitatis, aut ecclesiæ possessionis, aut martyrii, aut monasterii secundum sacras regulas ordinantur, sed in domibus laicorum constituuntur, et cum sæcularibus adeo conversantur, ut non jam Dei et ecclesiæ cujuslibet, sed illius comitis atque illius ducis esse dicantur? ita ut impletum sit quod per prophetam dicitur : *Et erit sicut populus, sic sacerdos* (*Osc.* iv). Quod fortasse unum est eorum quæ, cum in nomine Domini convenerimus unanimiter in idipsum, oportebit decentius emendari, et tanquam venenatum elleborum amputari. Optamus fraternitatem vestram in Christo bene valere.

LXXXII.

AD ARDUICUM ARCHIEPISCOPUM VESONTIONENSEM.

(Anno 865.)

Respondet ad consulta ejusdem.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Arduico Bisontionensi Archiepiscopo.

Inter cætera virtutum tuarum insignia,quæ plurimis sunt gratiarum actionibus cumulanda,summam obedientiam tenere te conspicimus cum humilitatis fastigio. Et cum tantam in te circa nos animi admirati cernamus alacritatem, mentem tuam apostolorum spiritu tactam non dubitamus. Cui dum a primate suo, cujus nos licet meritis impares vices gerimus, tantum verbo diceretur, *Vado piscari*, illico responderunt aientes, *Venimus et nos tecum* (*Joan.* xxi, 3) : ita quoque nunc unanimitatis tuæ fraternitas cum nos pro lucrandis et abstrahendis e falsis et amaris hujus mundi gurgitibus fidelium animabus studii gressum ponere solo sermone velle sentiret, protinus quia nos sequi, quia per nostra cupiat vestigia gratanter incedere, nullam dilationem passa suggessit, et usque ad mortem se nobiscum contra hostes dimicaturam, crebra legatione missa spopondit. Sed oramus omnipotentem Deum ut cui factus es in hujusmodi promissione consimilis, protegente ipso efficiaris in negatione dissimilis. Quanquam,etsi tale quid accidisset, idem ipse fuerat in recuperatione forma penitus imitabilis, beatus scilicet Petrus apostolorum princeps, qui Malchi corporali abscissa gladio aure inobedientiam, et in Anania et Saphira spiritali verbi mucrone mendacium et avaritiam perculit. Cujus dum sedem veneraris et præcepta sectaris,credimus quod patrocinia quoque adipiscaris, et apud Deum intercessionum suarum tegmina consequare. Jam vero ad consulta fraternitatis tuæ,de quibus per litterarum tuarum portitorem tibi voluisti responderi, prout Dominus dederit, a quo est *omne datum optimum et omne donum perfectum* (*Jac.* i, 17), mentis oculum dirigentes, charitati

tuæ non subtrahemus sed potius tanquam cœlitus gratis acceptum donabimus.

CAPUT PRIMUM.

Has igitur quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores uxores acceperint, concilium Neocæsariense usque ad mortem abjici, et in exitu suo pœnitentiæ remedium, dissolutis duntaxat hujus conjunctionis vinculis, consequi jubet. Hos autem vel has qui vel quæ post pœnitentiam nova conjugia et inhibitos appetivere concubitus, beatus papa Siricius a Dominicæ mensæ convivio separat, et solo viatico cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam voluit talibus subveniri. Quo ergo pacto aliquo possunt uti conjugio, quibus nec inhibitos denuo repetere concubitus, nec rursus nova conjugia licet contrahere, cum etiam dissolutis hujusmodi conjunctionis vinculis, nonnisi in exitu pœnitentiæ remedium tales consequi possint? Non enim, ut saneto innuente præsule Siricio supra meminimus, aut nova conjugia, aut inhibitos denuo appetere concubitus hos qui pœnitentiam reservare student, oportet. Præter hæc autem quomodo posset duabus sororibus vir quilibet, aut duobus fratribus quævis mulier copulari, et rursus viventibus illis ad alias nuptias convolare, cum licet non jure, in duabus tamen personis, connubium contractum jam fuerit, et secundum Evangelium vivente uno ex matrimonio, alter si conjugem duxerit, mœchatur? Quod si mortuæ jam sunt illæ duæ sorores vel fratres, quibus vir vel mulier juncta fuit, et ideo existimatur tertias quemlibet vel quamlibet nuptias contrahere, sciendum est quia nos non hoc a Salvatore nostro, non ab apostolis, non ab apostolicis viris accepimus, sed nec accipiendum mandabimus.

CAPUT II.

Hos vero qui de propria consanguinitate ac de propria cognatione uxores accipiunt, vel nubunt, quis non reprehendat et arguat? cum etiam sancti prædecessores nostri apostolicæ sedis antistites, Gregorius scilicet et Zacharias, hos anathematis mucrone percutiant, et dissolvi hujusmodi copulam, utpote bestiarum more contractam, omnino voluerint. Jam vero postquam dissoluta copula fuerit, ab invicem separati, si possint, quod sciscitaris, ad melius commeare conjugium, nulla ratio patet. Quoniam cum hi pœnitentiæ submittendi sint, nec hos inhibitos sibi concubitus, nec alia nova appetere debent conjugia. Denique si Thamar a fratre, et concubinæ David a filio ejus violenter oppressæ, propter incestum coitum nullas nuptias contraxisse refertur, et Adonias a Salomone morte punitur eo quod puellam quæ cum patre pudice tantum dormierat, uxorem sibi dari poposcerit : quanto magis hi qui sponte junguntur et irrationabiliter miscentur postquam separati fuerint, dignæ pœnitentiæ submissi, debent nullas nuptias, sed castitatem potius appetere de cætero mentis et corporis? Sane si quilibet de hac infausta commistione post dissolutionem copulæ obierit, alter qui superstes fuerit, et in adolescentiæ annis adhuc detinetur, si ingruente aliquo forte discrimine egit pœnitudinem, et se non posse continere conqueritur, conjugii valet remedio subveniri. Cujus indulgentiæ formam volumus etiam circa feminas observari. In quo tamen non regulam constituimus, sed cum eximia columna Ecclesiæ beato Leone papa quid sit tolerabilius æstimamus.

CAPUT III.

(*Conc. Ancyr.*, c. 17.) Eos autem qui cum pecudibus miscentur, sancta synodus non nuptialia fœdera contrahere, sed inter eos orare præcipit qui ab spiritu vexantur immundo. Verumtamen si qui sunt juvenculi, qui tanto piaculo constricti, imminente mortis exitio vel captivitatis exsulatu, pœnitentiam gesserunt, ac paventes post hæc incontinentiæ casum, ad conjugalis consortii remedia confugerint, ne in crimen fornicationis fortassis inciderent, consilium dignoscuntur veniale sumpsisse, ita duntaxat, si non modo irrationabilis animantis (proh nefas!) de cætero contubernium, verumtamen omnis omnino mulieris, excepto conjugis propriæ, consortium declinarint. Justum videlicet Lot imitati, qui ut vasta Sodomorum evadere potuisset incendia, Segor parvam civitatulam, ut vel in ea salvaretur, elegit. Sane non in hoc regulam, sicut superius diximus, promulgamus ; sed ne deterius peccetur, quod levius arbitramur, indulgendum utcunque prævidimus. Denique juxta plenam satisfactionem nil eis convenientius est, qui tam pernicioso et omni pœna plectendo scelere pœnitudinem gerunt, quam perseverans castitas non solum corporis sed et mentis.

CAPUT IV.

De episcopo semel electo.

Post mortem vero episcopi qui semel in loco ejus electus fuerit, si in nullo a sacris canonibus deviat, et electio ejus non a sæcularibus quibusque, sed a clero Ecclesiæ cum consensu primorum civitatis ipsius fuerit composita, et sanctorum Patrum in eo consentiant promulgationes, et tam fidei dogmatibus quam bonis concordat moribus, nulla debet ulterius ratione removeri. Alioquin ut prævaricatores et tergiversatores qui hoc tentaverint, a sacris regulis arguentur. Et præcipue qui contra suam professionem vel subscriptionem ierint, canonicis legibus arctabuntur.

CAPUT V.

De chorepiscopis, de quibus consulis utrum presbyteros et diaconos valeant consecrare, sacri te canones satis poterunt edocere. Quomodo autem chorepiscopos posse dicimus ecclesias consecrare, quas nulli episcoporum licet sine nostro præcepto secundum sanctas regulas dedicare? Non ergo chorepiscopis dabimus. Unde vos episcopos, tanquam terminos a patribus positos transferentes merito reprehendimus. Prætera quis infantes debeat consignare sanctus Innocentius ostendit, dicens : « De consi-

gnandis vero infantibus manifestum est non ab alio quam ab episcopo fieri licere.» Et rursus: « Hoc autem, inquit, solis pontificibus deberi ut vel consignent, vel Paraclitum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum illa lectio Actuum apostolorum quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis tradant Spiritum sanctum.»

CAPUT VI.

(S. Greg., lib. XII, indict. 1, ep. 25.) Porro de presbytero, quod non possit restaurationem post lapsum recipere, ut multa prætereamus, beatus papa declarat, Gregorius ad Sabinianum inter cætera scribens Jadertinum episcopum: «Presbyterum vero, inquiens de quo nos fraternitas tua latoris præsentium relatione consulit, nulla ratione in sacro ordine post lapsum aut permanere, aut revocari posse cognoscas.»

Hæc quidem, frater charissime, in multis occupati vix ad tua consulta rescripsimus. Cætera vero quæ communi consulant utilitati, cum Arsenio venerabili episcopo, apocrisiario et misso apostolicæ sedis, quem illas in partes direximus, cum Deo duce pervenerit, satis valetis abundeque tractare, cui et nostra credere, et tua nobis exponenda, cum redierit, poteris sine ulla contrectatione committere. Optamus fraternitatem tuam in Christo nunc et semper bene valere.

CAPUT VII.

Si quis ex propria cognatione sanguinem occisionis fuderit, sacri canones usque ad mortem abjici, et inter rebelles deputari sanxerunt.

LXXXIII.

AD LUDOVICUM GERMANIÆ ET CAROLUM CALVUM REGES.

(Anno 865.)

Reprehendit quod episcopos in Urbem ad synodum non miserint. Ut Lotharium de divortio commonere pergant. De episcopis in Coloniensi et Cameracensi ecclesia consecrandis, et de Rothado Suessionensi.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis filiis LUDOVICO et CAROLO glorisissimis regibus.

Credimus ex Dei dono, filii charissimi, processisse quod unanimes effecti vos de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta junxistis. Unde fit, ut uno animo, et uno ore per vos glorificetur Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, et ad sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, regnique vestri decus conjunctio vestra proficiat ad salutem. De epistolis autem nostris, quas suscipientes archiepiscopis et episcopis, regnorum vestrorum, imo et Lotharii regni pariter archiepiscopis et episcopis, secundum tenorem illarum dedistis, grates excellentiæ vestræ retulimus. Sed quia eos ad synodum nostram, et pro angustia temporis, et pro injuria transitus, occurrere non valere dixistis, merito dure tulimus, cum tanta temporis angustia non imminoret, at saltem de vobiscum conversantibus binos mittere nequivissetis, præcipue tu, fili mi Carole rex, qui regnum tuum per maximum spatium longius quam fratris tui Ludovici dilecti filii nostri gloriosi regis ab hac sancta sede in occidentalibus partibus secus mare Oceanum disparari fateris. Non enim credibile potest existere, ut adeo longius disparetur regnum tuum, ut, sicut supra meminibus (*edit. Rom. inserit:* saltem de vobiscum conversantibus, vel, etc.), vel binos unius, aut duarum metropoleon legatos omnium vices agentes dirigere non valuisses. Reprehensibile denique valde esse constat, quod subintulisti, dicendo majorem partem episcoporum omnium die noctuque, cum aliis fidelibus tuis, contra piratas maritimos invigilare, ob idque episcopi impediantur venire: cum militum Christi sit Christo servire, militum vero sæculi, sæculo; sicut scriptum est: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II). Quod si sæculi milites sæculari militiæ student, quid ad episcopos et milites Christi, nisi ut vacent orationi? Sperabamus te, fili charissime, in talia non prorumpere, qui, Deo gratias, clarus in cunctis haberis. Aditus autem veniendi ad tantum negotium antistitibus illis denegari non debuit. Et si forte denegare vellent, quoquomodo, si monitis nostris parere delegissent, aditus illis et transitus patefieret. Si venissent collectis operariis, hoc utique ne fieret melius corrigeremus. Quia illis inde, et nobis hinc Deus in conventu nostro medius tribuerat, ut et nostris et vestris deinceps aditus denegari non posset. Nam nec de nostris melius dicere possumus, nec pejus de vestris, quia quid nobis impediat longum est enarrare. Quod si intercapedine temporis ad Clusas pro Deo aliquid tolerassent, lucrum pro tentationibus et laboribus a Domino magnum reciperent. Sed quia occasione transitus suffugiunt nos licet coacti adhuc hæc gravamina sustinebimus: vos tamen videbitis. Sed intelligi datur eos monitis nostris non velle parere, propter illud quod in litteris vestris subditur. Dicunt enim post aliquanta, ut episcopos de regnis vestris ad synodum Romam mittendi necessitas non postulet. Unde si vos fortasse aliter dicitis, nos illud dicimus, quod divinitus revelatur, quia cum novitatum mala multiplicari videamus, si ex diversis provinciis fratres in invicem convenissent juxta priscum morem, et nos consensu illorum, revelante Domino, quæ decernenda sunt decernemus, et ipsi necessitates suas referentes, et nos nostras exponentes, quæ decreta fuissent melius in omnium notitiam facerent pervenire, qui semper synodalem conventum a nobis aggregari petierant: sicque fieret, ut secundum qualitatem morbi medicina conficeretur, et ad sananda vulnera longe lateque effunderetur. Salomon quidem verbis nostris consentit, cum dicat: *Salus ubi multa consilia* (*Prov.* XI). An nescitis nonnullos ex nonnullis provinciis præsules ita fecisse? Quod facilius scire potestis, si vultis; licet vos, si vultis, minime lateat. Denique tam prudentes, tamque præcipuos, et præclaros, ac quos Deus in charitate vera cunjunxit, viros reprehendere nolumus: quin potius ut di-

lectissimos filios paterno amore excolimus, et ut in unitate fidei permaneatis, cunctipotentis clementiam exoramus. Quod si cui ex confratribus nostris episcopis talia nobis misissent, habueramus qualiter illos reprehendere et redarguere deberemus, excepto si regalem magnitudinem vestram sibi impedire dixissent, in vobis hoc pendere et corrigi debere videretur. Ecce episcopis regnorum vestrorum impedimentum præparatur ne veniant : Lotharii autem episcopi, qui frater istius est quid obsistit, nisi quia de vestris sumant occasionem, et sicut vestri, ita et illius negligentes appareant? Nam inter cætera plurimum nunc in causa ejusdem Lotharii, de quo subinferemus, profuerat si venissent : quia auditis decretis et institutis lucidius cuncta referrent, ita ut nubilum aliquid minime remaneret. Fortasse etenim hæc illorum dilatio, et absentia magis obfuit in ejus emendatione, quam obstinatio, quia si absentia et dilatio non esset, obstinatio utique jam saltem coacta cessaret. Sed his omissis, ad vestra consulta stylum nostrum reflectamus. Dicitis enim vos præfatum commonuisse Lotharium. Sicut in commonitorio nobis a vobis directo legere prævaluissemus ; et eumdem sæpe vobis mandasse asseveratis, quod Romam pergere velit, et per nostram dispositionem de causa sui conjugii facere. Sed heu ! dictis [*al.*, his dictis, HARD.] opus non accommodastis, quia sæpius de directione commonitorii mentione facta idem commonitorium abfuit, et nobis frustratis nequaquam comparuit. Quod si habuissemus, certamen vestrum super his cognosceremus : sed cum illud defuerit, nescimus si labor vester fructuosus fuit. Ipse quidem Lotharius nobis, ut vobis, vicibus per imperiales legatos mandavit, quod Romam vellet venire. Cui interdiximus, et omnino interdicimus, ut iter talis qualis nunc est non arripiat, eo quod sancta Romana Ecclesia talem respuat et contemnat, et in hoc perseveret, quod late in toto diffusum est orbe. Nam verso diu lumine per apices vestros, anhelando præstolabamur locum attingere, qui nos vel verbo aliquo modo [*al. abest vox*, modo, HARD.] opis annueret, quo possemus aliquam lætitiam præsumere. Sed perscrutatis omnibus, ac ad calcem usque relectis, post lectionem ipsa quæ inerat lætitia abscessit, et nos dolor continuus illico possedit, quia in cunctis sumus frustrati, et quod non optabamus, derelicti. Verumtamen quoniam circa missam [*hoc est* circa festum, HARD.] sancti Joannis, de quo diximus, Lotharium, dispositum habetis denuo commonere, non moleste tulimus. Forsitan omnipotens Deus cor ejus ad sibi placita inclinare dignabitur, et de prævaricatore tandem faciet convertendo dilectum. Si autem subdole Theutbergam, ut eam perdat, velle repetere dicitur, si ipsa tales elegerit, per quos sibi securitas certissima fiat, ecce bene. Sin autem, idem Lotharius præbeat sacramentum, quo polliceatur eam digno matrimonio recipere, et ut uxorem legitimam decenter venerari et colere, ac deinceps incolumen conservare. De pœnitentia autem ejus nostro judicio reservantes statuimus, ut si prædictæ Theutbergæ captiose aliqua alia crimina, postquam eam a se repulit, objicere voluerit, hoc expurgetur sacramento, si ita necessitas compulerit. Quod si innupta manere decreverit et viro suo reconciliari noluerit, sancimus ut cogatur in amplexus uxorios redire ; quia utriusque se separandi non fuit voluntas. Nam si utrique in divortio consenserint, et Lotharius jam omnino copulam concubitus non repetierit, hoc fieri non prohibemus : quia Dominus de dimittenda uxore causam tantum fornicationis excepit. Igitur si Lotharius, quem hactenus converti præstolati sumus, et vindictam in eum, ne sanguis effunderetur, et ne bella excitarentur, propalare distulimus, cornu extulerit, et nostris vestrisque monitis obedire neglexerit ; de cætero talis habendus est, qualem illum per epistolam nostram Rhadoaldo dudum episcopo, et Joanni episcopo missam nos habere jam cognovistis. Sed filii, dilectissimi, et singulariter a nobis diligendi, ecce Arsenium venerabilem episcopum ad hoc vobiscum pertractandum, et monitionibus corrigendum, cum apostolicis epistolis illuc destinavimus. Quarum exemplaria, ne authenticæ istarum, aut interceptæ, aut a quibus fortasse dehonestatæ, aut perditæ, aut etiam propter quod vobis dubietas credendi generaretur, pro libitu aliter habitæ fuissent. magnitudini vestræ per hunc gerulum transmisimus. Tunc si authenticas ita se habere repereritis, assensus vester eidem Arsenio præbeatur. Sin autem, excepto de Rothado et Albuino, illi vos credere non oportet. Et quidquid illis in partibus actum fuerit, sub gestorum insinuatione nobis, antequam illud per alios cognoscamus, optime munitum, ut melius laborare possimus, dirigere petimus, nequaquam omittite. Sunt et aliia quamplurima, quæ vobis nos mandare valde oportuerat : sed quia tam clarissimis et prudentissimis pauca sufficiunt, et hic gerulus nobis erat incognitus, atque hoc eum latebat, præter hæc scribere desiimus. Porro de Ecclesia Coloniensi, de qua nos consuluistis, decernimus ut ibi consecretur antistes. De Cameracensi vero, quod statutum habemus, volumus observari : videlicet ut si tibi electio canonica fuerit, consecrari debeat in ea episcopus. Ad extremum, quod silere non possumus, quin imo super dictis vestris obstupescimus, de Suessionica scilicet Ecclesia, de qua, fili mi Carole, quod loquimini, per os alterius loquimini, quam etiam per triginta eirciter annos ab infructuosa ficulnea Rothado [*al.*, Rothaldo, *et sic ubique inferius*, HARD.] inutiliter occupatam, excepto solo nomine, pastorali dicitis vacasse sollicitudine : miramur cur tantus rex suasoriis verbis cedit, et non magis non qualiter de Rhotado obediat lætificare procurat. Desine ergo, fili, et deprecatoria verba pelle a corde, incipeque nostris monitis parere, ut excellentissima gloria vestra cum exsultatione fructificet, et cum gaudio manipulos colligat. Tamen qualiter de illo sublimitatem vestram oporteat facere, aliis litteris nostris liquidius cogno-

scere valebitis. Quibus cognitis, credimus, ut quod petimus obtineamus : et quod decrevimus, ratum coram oculis Dei, et coram vobis esse videatur. Apud nos namque idem Rothadus fructuosa ficulnea manet : tamen post renovatum judicium ejus, si fructuosa est, an infructuosa, patenter declarabitur, habitis omnibus secundum quod de illo statuimus. Hanc autem epistolam ideo more solito scribi non fecimus, quia et legatus vester sustinere non poterat, et ob festa paschalia scriniarios nostros, eo quod debitis vacabant occupationibus, habere ut debuimus non valuimus. Rogamus præterea et expresse vos adjuramus, ut quæ superius exarata sunt, non simplicitate sermonis, sed ex quanta mœstitia ut compunctione processerint, interiori oculo, non exteriori tantum, attendatis : et omnes necessitates nostras in his consideretis, dolore patris miserabiliter moti ut filii charissimi. Divina majestas ad exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ vos conservet incolumes.

LXXXIV.

AD LUDOVICUM II IMPERATOREM.

Fragmentum.—(Anno 865.)

Non aliorum, sed primatis sui judicio quisque se subjiciat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Denique Suffredus, si tale in se crimen noverat, quo recte posset episcopatu privari, vel infirmitate se sentiebat forsitan prægravari, quæ impeditus nullis posset proximis sua prælatione prodesse, primatis sui debuerat, et non aliorum diœceseos antistitum, præstolari judicium. Quod si quælibet ambiguitas, vel aliqua fortasse super ejus examinatione, vel episcopatus abrenuntiatione oborta fuisset contentio, ex more ad sedem apostolicam referri convenerat, et nostra in his omnibus debuerunt cuncti decreta penitus exspectare. Quod quia omissum hactenus dolemus, dilectissimam mihi gloriam vestram vehementer efflagito, ut jam dictus Suffredus episcopus proprio restituatur episcopio, et si aliquid reprehensione dignum gessit, postea vel correctione, vel digna animadversione diffiniatur.

LXXXV.

AD SALOMONEM BRITANNORUM REGEM ET EJUS CONJUGEM.

(Anno 865.)

Recusat mittere pallium Festiniano Dolensi episcopo, donec authenticis scriptis de illius jure convincatur.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Salomoni Britannorum regi, ejusque conjugi Gyembret.

Proposuerat quidem apostolatus noster per singula gloriæ vestræ suggestionibus respondere ; sed utrum fuerint suggestiones, quas quidam presbyter et alii Britannicæ gentis homines in scripto nobis detulerunt, apertio ipsius scripti et impressio sigilli, quæ paginæ deerat, nos ambiguos reddit. Unde vestra prudentia curet necesse est jam post hæc sua scripta proprio signo nobis impressa atque... munita mittere, ut nihil addi, nihil minui, nihil immutari, præter quod a vobis in his inseri jussum fuerit, subdole queat. Unde quia quæ postulasse credimini, pia sunt, dilectioni vestræ super his brevi stylo, quod divinitus fuerit inspiratum, reserare curabimus. Igitur deprecamini nos ut pallium fratri et coepiscopo nostro Festiniano, qui ecclesiæ S. Sanxonis præesse dignoscitur, dirigamus, quod interim ideo non facimus, quia, sicut olim nos scripsisse meminimus, ut pro tantæ dignitatis gratia nulla solemnis videtur fuisse emissa petitio, nec observata postulatio ordine legitimo consequenti. Ergo et multa prætereamus, acto jam tempore studeatis, qui tanti apud nos meriti esse peroptat, et tale opitulante Domino munus adipisci desiderat, scripta illa quæ ab apostolica sede prædecessores ejus in acceptione pallii perceperunt, transmittere, quatenus eisdem scriptis quæ a prædecessoribus meis data sunt, diligenter inspectis, per eorum quoque et nos vestigia innoffensis gressibus incedamus. Mittat etiam et alia scripta pariter, et idoneum ex proprio clero legatum : scripta siquidem fidei catholicæ documenta, et observandarum B. Petri apostolorum principis cathedræ decretalium sanctionum promissa circumferentia ; legatum vero, qui jurejurando, positis super sacrum Evangelium codicem manibus, affirmet, antistitem suum ita credere atque ita deinceps observaturum esse sicut illa scripta nobis ab eo missa testari vel continere noscuntur. Quoniam ita est apostolicæ sedis auctoritas et sanctæ Romanæ, cui Deo disponente præsumus, Ecclesiæ irrefragabilis observatio. Is autem, qui fuerit, ita properet omni ex parte munitus, ut si necesse est, saltem triginta hic valeat demorari diebus, quatenus quod utilitas et mos ecclesiasticus dictat, affectus recedendi non adimat. Ad ultimum sane monemus ut quotiescunque nobis epistolam vestram mittitis, talem hominem hanc deferentem dirigatis, qui nulla inquietudine stimuletur, sed tandiu apud nos moretur, quousque de quibus consulitis provida consideratione ac sufficienti spatio rescribere valeamus. Datum VII Kalendas Junii, indict. XIII.

LXXXVI.

AD MICHAELEM IMPERATOREM.

(Anno 865.)

Reprehendit imperatorem, qui superbia et arrogantia inflatus multa insolentia scripserat. Deinde ostendit depositionem Ignatii nullius esse momenti, quoniam a suspectis, excomunicatis et inferioribus episcopis fuerat damnatus. Præterea commemorat multa de privilegiis Romanæ Ecclesiæ, jubet ad se venire Ignatium et Photium, aut eorum legatos, si ipsi non possunt. Monet imperatorem, ut suis præceptis obtemperet : eum objurgat quod Ignatium in concilio deponi curaverit, primusque illius depositioni subscripserit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, piissimo et dilectissimo filio imperatori (*edit. Rom.*, superatori) gentium, atque tranquillissimo imperatori Michaeli a Deo protecto semper Augusto.

Proposueramus quidem, antequam Michael glo- A riosus protospatharius legatus vester Romam veniens epistolam nobis claritatis vestræ detulisset, talia vobis scripta per missos nostros, quæ jam et parata erant, transmittere, qualia gravissimus (gratissimus) filius a diligente patre ac Dei cultore, imperatores a sedis apostolicæ præsulibus soliti erant suscipere. At vero præfato viro perveniente, epistolamque nobis vestræ gloriæ, quæ tota blasphemiis, tota erat injuriis plena, porrigente, mutata est in luctum cithara nostra (*Thren.* v), et organum nostrum in vocem flentium (*Isa.* v). Quoniam exspectavimus tanquam de bona vite uvas, suscepimus autem labruscas : ideoque mutavimus stylum, et ostenso vulneri congrua prævidimus adhibere medicamenta. Igitur ad potentiam vestram inspirante Domino scripturi, nostræque menti affectus industriæ vestræ B reseraturi, necnon et pro sancta Ecclesia catholica et apostolica (cujus nos præcipue cura, et quotidiana secundum Apostolum sollicitudo constringit) apud vos interventuri, et epistolæ vestræ assertionibus (prout Dominus posse et nosse dederit) responsuri, nihil opportunius, nihil aptius, nihil profecto sulubrius arbitramur (licet vos a conviciis inchoassetis) quam præ omnibus flagitare suppliciter eum, per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt, et in cujus manu corda sunt regum, et ex quo regnat omnis qui pie regnat; et imperat omnis, qui eidem Regi regum et Domino dominantium non repugnat, Dominum videlicet nostrum Jesum Christum, cui omnis rationabilis creatura ministrat : nimirum cui et insensibiles venti, et mare impe- C ranti obediunt, quatenus et labia nostra ad annuntiandum laudem suam aperiens, dilatatum quoque os nostrum pastu doctrinæ salutaris adimpleat, et quæ per nostri apostolatus officium auribus vestris exterius dicimus, per se quoque nutu suæ aspirationis interius mentibus vestris aspiret. Quia incassum terra cordis vomere nostræ linguæ proscinditur, nisi cœlestis roris aspersione intrinsecus infundatur. Deus est enim, qui incrementum dat (*I Cor.* III), et qui docet hominem scientiam (*Psal.* XCXIII).

Putas, imperator, non bene facimus? quod vos ab injuriis scribentes inchoaveritis, nos ab orationibus : vos a conviciis in nos, imo contra primam et magistram Ecclesiarum omnium loquentes exordium feceritis; nos in laudibus, et in nomine Do- D mini ad potentiam vestram sermonem habituri os aperuerimus? Videmus enim gigantem allophylum contra puerum sanctum, et citharædum nostrum David furore plenum, et blasphemias eructantem primo impetu populo Dei terrorem non modicum intulisse (*I Reg.* XVII). Sed exspecta paululum, et ecce videbis illum in nomine Domini percussum, et jam a dicto hymnidico et laudes et psalmos, ac orationes Domini majestati humiliter effundente, gladio suo prostratum. Et quidem nos injurias nobis specialiter irrogatas, et maxime pro justitia laborantibus, et a justitiæ impugnatoribus ingestas, libenter ferimus. Discipuli enim sumus illius, de quo apostolorum princeps ait : *Qui cum malediceretur, non maledicebat : et cum pateretur, non comminabatur* (*I Petr.* II). De talibus enim Veritas loquitur : *Si patremfamilias Beelzebuth vocaverunt : quanto magis domesticos ejus?* (*Matth.* X.) Et rursus eos, qui propter nomen illius persecutionem, et maledicta toleraturi erant, beatos esse pronuntiat, dicens : *Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos mentientes propter me* (*Matth.* V). Ubi ergo, teste conscientia, Deus in causa est, ibi omnino beatitudo speranda : et ubi mendacium sævit, ibi convicia nulla timenda. Sicut ergo nos propter Deum etiam a non vera dicentibus injurias nobis illatas æquanimiter ferimus; ita quoque oportet pietatem vestram sacerdotibus, qualescunque sint, propter eum cui deserviunt, reverentiam potius, quam injurias exhibere. Sed de his jam cum sancto papa vobis loquamur Gregorio (*Epist. lib.* IV, *ep.* 31) : Nam in divinis eloquiis sacerdotes aliquando dii, aliquando angeli vocantur. Nam et per Moysen de eo, qui ad juramentum deducendus est, dicitur : *Applica illum ad deos* (*Exod.* XXII), videlicet ad sacerdotes. Et rursum scriptum est : *Diis non detrahes* (*ibid.*), scilicet sacerdotibus. Et propheta ait : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II.)

Quid ergo mirum, si illos imperialis pietas honoret, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut angelos, aut deos ipse etiam appellat Deus? Ecclesiastica quoque testatur historia (*Rufin. Hist. eccl., lib.* I, *cap.* 2), quia cum piæ memoriæ Constantino principi scripto oblatæ accusationes contra episcopos fuissent, libellos quidem accepit, et eosdem qui accusati fuerant, episcopos convocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit dicens : Vos dii estis, a vero Deo constituti; ite, et inter vos causas vestras deponite, quia dignum non est, ut nos judicemus deos. In qua sententia sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid præstitit ex reverentia impensa. Ante eum quippe pagani in republica principes fuerant, qui verum Deum nescientes, deos ligneos et lapideos colebant, et tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid igitur mirum, si Christianus imperator veri Dei sacerdotes honoret, dum pagani, ut prædiximus, principes honorem impendere sacerdotibus noverunt, qui dies ligneis et lapideis serviebant? Hæc ergo non tantum specialiter, quantum generaliter pro omnibus asserimus sacerdotibus : quoniam adhuc nescimus, quis in terribili Dei judicio qualis futurus sit. Etenim Paulus egregius prædicator dicit : *Nolite judicare ante tempus, donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* II). Hoc tamen breviter dicimus, quia, licet peccatores et indigni, plus tamen de venturi Domini misericordia, quam de vestra pietate præsumimus.

Nam sunt multa, quæ de judicio illius homines ignorant : quia fortasse quæ vos laudatis, ille reprehendet, et quæ vos reprehenditis, ille laudabit. Non ergo quales sint sacerdotes Domini,sed quid de Domino loquantur, est vobis magnopere prævidendum. Nec in vicariis beati Petri apostoli vobis est attendendum, qui sint, sed quid pro correctione ecclesiarum,quid pro salute vestra satagant.Neque enim illos inferiores dicetis Scribis et Pharisæis sedentibus super cathedram Moysi : de quibus Dominus præcepit dicens : *Quæcunque dixerint vobis facite et observate : secundum opera vero eorum nolite facere* (*Matth.* XXIII). Ergo, imperator, considera, si illos dixit audiendos, qui super cathedram Moysi sedebant, quanto potius his, qui super cathedram Petri resident, esse existimetis obaudiendum? Et si illorum non opera, sed dicta facere et observare jubet, quanto potius horum, quicunque sint ipsi, dicta et monita custodienda sunt, et amplectenda? Quid autem nos mali volumus [*forte*, volumus? Quid frustra, etc. HARD.], quia frustra indignamini? et contra Evangelium, quod dicit : *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* V), nos levitatis nomine lacessendos opinamini : vobis nihil,nisi quod est salubre : nihil nisi quod sit Deo acceptum, offerre studentes? Scimus tamen nos a phreneticis [*ut in comment. Gelas. ad Faust.* : Sic phrenetici solent, etc., HARD.], quos portamus, et sputa perpeti, et colaphis cædi,et eis quod ad salutem pertinet nihilominus exhibere. Nam et in eorum loco per abundantiam gratiæ Dei sedemus,qui propter veritatem laborantes, a Constantinopolitanis sæpe talia pertulerunt, qualia nunc nos ferre dignoscimur,quæ sufficienter (ubi opportunitas exegerit) ostendemus in subditis : neque enim fas esse judicamus,ut ad imitationem inferiorum [*edit.Rom. addit.*,ac infirmorum] tales nos sinamus credi,quales a vobis cernimus prædicari. Exemplum sequentes Salvatoris,qui cum a Judæis, *Dæmonium habes*, audiret, hoc humiliter dicens : *Ego dæmonium non habeo* (*Joan.* VIII), refutavit. Ita quoque nos, cum de nobis, quæ vera non sunt, audimus, veraci ac rationabili responsione a nobis illa removere satagimus.

Verumtamen quæ ad Ecclesiæ Romanæ injuriam, quæ ad ipsius privilegiorum imminutionem,quæ ad sedis apostolicæ præsulum derogationem scripsistis, quanta possumus constantia retundemus, et nullis terroribus,nec ullis detractionibus vestris repressi, quanta possumus virtute destruere, utpote veritatis inimica, studebimus. Dixistis enim, quod nullus antecessorum nostrorum a sexta synodo meruerit a vobis,quod nos meruisse dignoscimur : quid tamen meruerimus evidenter nullatenus indicastis,nisi forte litteras prædicatorias hoc dicto velitis intelligi nos a vobis nunc tantum meruisse suscipere,a sexta synodo propter aliquod dogma,vel disciplinam quamlibet ecclesiasticam. Et hoc dicitis quasi nostrum fuerit opprobrium, eo quod sedem apostolicam in nullo quærere antecessores vestri dignati fuerint, cum magis eorum fuerit dedecus : quia per tot annorum curricula diversarum hæreseon morbis languentes medicinale remedium non quæsierint: quin potius medicinam sponte a nobis sibi porrectam quasi desperati,vel quasi cor impœnitens gerentes, ab ipsis faucibus projecerint; dum tantæ salutis oblatæ ministros duplici modo interemerint : quoniam aut participes illos sui erroris effectos spiritaliter occiderunt, sicut tempore reverendæ memoriæ Concnis papæ contigit, qui post sextam synodum exstitit : aut certe corporaliter illos non consentientes sibi necaverunt, sicuti sub venerabili papa Gregorio factum est,qui post sextam synodum fuit, quando pro zelo fidei,et sanctarum imaginum reverentia religiosi viri, ac Dei famuli directi in exsilium missi sunt, et bona confessione hujus mundi finierunt vitam.

Denique a sexta synodo imperatores,aut hæretici,aut, licet perpauci catholici : fuerunt et hæretici quidem, si mittere ad nos dedignati sunt, non est mirum : noverant enim per gratiam Dei se nos nunquam penitus sibi sociaturos. Fuit autem quando nos sibi sæpe sociari tentantes cum magno sunt dedecore et opprobrio repulsi, et digna constantia a nobis,et non a Constantinopolitana Ecclesia crebro retusi.Quando vero catholici fuerunt, et pium dogma,vel ecclesiasticam correctionem defendere voluerunt,nostrum præsidium quæsierunt,sicut synodus sub Constantino et Irene facta indicat (VII *synod.*, *act.* 2) : in cujus initio,id est in epistola beatæ memoriæ præsulis Adriani,quantum idem pontifex illam præsumptionem,qua ex laicis quidam subite tonsurantur, et in episcoporum numerum exacervate prosiliunt, damnaverit, si diligenter inquisieritis, profecto invenietis, si tamen non falsata Græcorum more, sed sicut a sede missa est apostolica penes Ecclesiam Constantinopolitanam hactenus perseverat, et epistolæ diversæ sanctissimis pontificibus Leoni scilicet et Benedicto decessoribus nostris missæ testantur.Ergo cum ita sint hæc,quæ de multis partim commemoravimus, non jam verum est illud, quod dicitur, a sexta synodo non [*forte*, nos. HARD.] meruisse suscipere quod nunc a vobis ipsi meruimus.

Præterea scripsistis jussisse vos quosdam, qui sub nobis existunt mitti ad vos, quod longe est a piorum imperatorum affectu, quorum sicut locum tenetis,utinam ita et pietatem sectemini,quod longe,inquam,est a principibus sedis apostolicæ reverentiam observantibus.Non quippe hoc dixit Honorius,qui reverendo præsuli Bonifacio scribit,dicens (*Honorius in epist. ad Bonifacium I*) : Petimus uti quotidianis orationibus apostolatus tuus, studium, ac votum suum circa salutem,atque imperium nostrum dignetur impendere.Non, inquam, hoc dixit Valentiniani et Marciani pia dualitas ad beatum papam Leonem scribens : Et tuam, inquiens, sanctitatem principatum in episcopatu divinæ fidei

possidentem sacris litteris in principio justum credidimus alloquendam,invitantes atque rogantes ut pro firmitate et statu nostri imperii æternam divinitatem tua sanctitas deprecetur.Non hoc dixit Justinianus, qui dicit sancto papæ Joanni, etiam promulgatis legibus id interserens (leg. *Nos reddentes*, cod. *de sum. Trin.*). Petimus vestrum paternum affectum, ut vestris ad nos destinatis litteris,manifestum nobis faciatis, quod omnes qui prædicta recte confitentur, suscipit vestra sanctitas, et eos qui Judaice ausi sunt rectam denegare fidem, condemnat.Et rursus : Petimus, inquit,vestram beatitudinem orare pro nobis,et Dei nobis acquirere providentiam.Non hoc dicit Constantinus,qui Dono papæ scribens etiam jurando benignitatem, et honorem circa sedem exhibet apostolicam in his verbis : Per Deum, inquiens, omnipotentem, non est apud nos partis cujuslibet favor,sed æqualitatem utrisque partibus conservabimus, nullatenus necessitatem facientes in quocunque capitulo eis,qui a vobis diriguntur quoquomodo,sed et omni honore cum competenti munificentia, et susceptione dignos eos habebimus : et si quidem utrinque convenerint, ecce bene : sin autem minime convenerint, iterum cum omni humanitate eos ad vos dirigemus.Et post pauca: Invitare enim et rogare possumus ad omnem emendationem,et unitatem omnium Christianorum, necessitatem vero inferre nullatenus volumus. Non hoc alius Constantinus,et Irene Augusti dicunt,qui ad Adrianum papam scribentes, aiunt : Rogamus vestram paternam beatitudinem, magis quidem Dominus Deus rogat,qui vult omnes salvos fieri,et in agnitionem veritatis venire (*I Tim.* II), ut det seipsam, et nullam tarditatem faciat, et ascendat huc. Et paulo post : Si non potuerit,inquiunt, ascendere huc,eligat viros pretiosissimos, et dirigat una cum syllabis,etc. O imperator, saltem nunc uon agnoscitis quam a priorum imperatorum pietate in hac re differatis, et quam vos vestra ab eorum discrepet divinitus inspirata modestia? Illi quippe : Petimus, invitamus,ac rogamus, ecce sparsim ad sedis apostolicæ præsules,sed pari pietate clamant. Vos autem quasi non mansuetudinis et reverentiæ, sed solius imperii eorum hæredes effecti, et in causa pietatis illos imitari nolentes præcepisse, jussisse, ac imperasse vos,ut quosdam subjectorum nostrorum ad vos mitteremus, asseritis : et hoc ipsum vos quidem egisse nescimus, cujus instigationibus fascinati, et oblivioni traditi dicitis : porro factum a vobis nulla recordatione recolimus ; nusquam enim nobis tale quid jussisse vos (ni fallamur) hactenus reminiscimur,nusquam vos ad tantam circa sedem beati Petri apostolorum principis irreverentiam devenisse cognovimus. Revolventes enim epistolam, quam tunc per venerabiles episcopos et Arsam virum gloriosum spatharium miseratis,nil jussisse vos nobis,sed potius obsecrasse,atque rogasse nos omnino reperimus. In quo datur intelligi, cum nunc aliter perhibeatis,aut vos oblitos eorum fuisse,quæ antea miseratis,aut certe pœnituisse pro his, quæ humiliter petiveratis.In tantam vero furoris abundantiam prorupistis,ut linguæ Latinæ injuriam irrogaretis, hanc in epistola vestra barbaram et Scythicam appellantes ad injuriam ejus qui fecit eam ; omnis enim operis derogatio ad opificis redundat injuriam. O furorem! qui nec linguæ novit parcere,quam Deus fecit, et quæ inter cæteras in nomine Domini hortante Apostolo, *Confitetur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II). Et quæ cum Hebræa, atque Græca in titulo Domini a reliquis discreta, insignem principatum tenens omnibus nationibus prædicat Jesum Nazarenum regem Judæorum quem titulum multi Judæorum corrumpere voluerunt (*Joan.* XIX), sicut vos nunc hujus celeberrimæ linguæ tentatis insigne destruere, sed minime potuerunt ; scriptum quippe divinitus in libro psalmorum fuerat (*Psal.* LVI, LVII *et* LVIII) : Ne corrumpas tituli inscriptionem, vel quia Christiani sunt, quorum linguam barbaram, vel Scythicam appellitis, gloriam vestram, quare non pudeat,obstupescimus.Cum enim barbari omnes et Scythæ,ut insensata animalia vivant, Deum verum nesciant, ligna autem et lapides adorent,in eo ipso quo verum Deum colit lingua Latina, quantum barbaram, vel Scythicam linguam antecedat,agnoscitur. Jam vero si ideo linguam barbaram dicitis, quoniam illam non intelligitis, vos considerate quia ridiculum est vos appellari Romanorum imperatores, et tamen linguam non esse Romanam.

Ad extremum autem, si jam sæpe nominatam linguam ideo barbaram nuncupatis, quoniam a translatoribus in Græcam dictionem mutata,barbarismos generat,non linguæ Latinæ,sed culpa est,ut opinamur,interpretum,qui quando necesse est non sensum e sensu,sed violenter verbum edere conantur e verbo.Ecce enim in principio epistolæ vestræ imperatorem vos nuncupastis Romanorum,et tamen Romanam linguam barbaram appellare non veremini.Ecce quotidie,imo vero in præcipuis festivitatibus inter Græcam linquam veluti quiddam pretiosum hanc quam barbaram et Scythicam linguam appellatis,miscentes,quasi minus decori vestro facitis, si hac etiam non bene, ac ex toto intellectu in vestris obsequiis, ac officiis non utamini. Quiescite igitur vos nuncupare Romanos imperatores ; quoniam secundum vestram sententiam barbari sunt, quorum vos imperatores esse asseritis.

Romani quippe hac lingua, quam barbaram vos et Scythicam vocatis,utuntur. Quiescite jam utpote tantæ detestationis dictionem in vestro palatio memorare,et adhuc si pleniter illam exsecramini,etiam ab ecclesiis vestris removere satagite.

Istius enim dictione linguæ Constantinopolitana Ecclesiæ lectionem apostolicam et evangelicam in stationibus fertur primitus recitare : sicque demum Græco sermone propter Græeos utique ipsas lectiones pronuntiare : sed quia tantum hæc impietas Eeclesiæ Constantinopolitanæ hactenus defuisse pu-

tatur,ut tota ibidem nequitia suppleatur: hoc restat a vobis solummodo perficiendum.Verum de hoc nos respondisse sufficiat,non tam injuriam linguæ defendere procurantes, quam mutatæ mentis vestræ inconstantiam exaggerantes.

Cæterum dicitis non ideo ad nos misisse vos, ut secundum judicium Ignatius sustinere, ad quod veraciter respondemus: ideo vos misisse procul dubio, quia posterior hoc probat eventus. Nisi enim voluissetis, nec id fieri sineretis. Imo nos,ut verius dicatur, non ideo misimus, ut interim quodlibet Ignatius frater et coepiscopus noster subiret judicium,sed ut causa illius diligenter investigata,et ad liquidum reperta,juxta illud beati Job dicentis : *Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam* (*Job.* XXIX,) plena nobis ac incunctanti relatione patesceret ; sicque demum juxta sacros canones missorum nostrorum relationibus certificati,si decerneremus mittendos esse qui præsentes cum episcopis judicarent habentes nostram auctoritatem, a quo destinarentur, esset in nostro arbitrio; si vero crediderimus episcopos sufficere,ut negotio terminum imponerent, faceremus quod sapientissimo judicio judicaremus? Si autem Ignatius,ut fertis,jam judicatus erat, quamobrem illum secundo judicio [*deesse vid.* judicari HARD.] voluistis contra illud quod scriptum est: *Non judicabit bis in id ipsum*? (*Nahum* I.) Sed in hoc manifeste datur intelligi,non vos bonam conscientiam gessisse, quando iterato illum ad tribunalia concilii [concilia] pertraxistis : sed quasi non perfecte, neque legitime depositum præsentia [*forte*,in præsentia,*et mox*, damnationi, HARD.] missorum nostrorum,tanquam majoris auctoritetis existentium damnatione subjicere contendistis : dicentes vero quod synodice fuerit condemnatus,fortasse quia non addidistis canonice divinitus actum est.Congregatio enim malignantium, non canon juste judicantium illum damnationi subegerat,imo vero afflictioni et tribulationi subdiderat.

Etenim illi, qui tunc convenerunt contra jam dictum venerabilem virum,aut suspecti, et ab heri et nudiustertius inimici ejus erant, aut excommunicati, aut depositi, aut subjecti ipsius, aut certe inferioris dignitatis exstiterunt. Quorum omnium nullus personam legitimorum judicum habere sine dubio poterat,vel accusatorum in omnibus duntaxat negotiis : quæ sigillatim Deo docente,ac summatim omnia ita se habere monstrare conabimur.

Igitur quia suspecti, et inimici judices esse non debeant, et ipsa ratio dictat, et plurimis probatur exemplis. Nam quid gratius et amabilius dare quis inimico potest,quam si ei ad impetendum commiserit,quem lædere forte voluerit? Quod provide Constantinopolitana synodus canonum suorum sexto dignoscitur prohibere capitulo,quod tamen non apud nos inventum,sed apud vos haberi perhibetur. Verum novimus nos apostolicis imbuti documentis, etiam sententiis uti paganorum,quanto magis Christianorum, atque catholicorum? et contra ipsos quorum nec vitam sequimur, nec mentem erroneam imitamur? Denique apostolus Paulus de libris paganorum aliqua in suis scriptis posuit,ut est illud ad Titum : *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri, cupidi* (*Tit.* I.). Et iterum in Actibus apostolorum de Deo ait : *In quo vivimus, movemur, et sumus* (*Act.* XVII) : nunquid ideo etiam cuncta recipienda sunt, quæ cum his pariter sunt prolata ? Ait autem prædictus canon : Quoniam multi ecclesiasticum ordinem confundere ac subvertere volentes amore inimicitiæ,et calumniose causas quasdam contra dispensatores ecclesiarum orthodoxos episcopos confingunt,nihil aliud quam fœdare sacerdotum existimationes, et turbationes peccatorum populorum conficere conantes : propter quod placuit sanctæ synodo episcoporum,qui Constantinopolim concurrerunt,ne sine discussione admittantur accusatores, nec omnibus præcipiatur accusationes facere contra dispensatores ecclesiarum.

Veniamus ergo et ad sanctam Chalcedonensem synodum,et quid nobis de Athanasio Parrhenorum episcopo referat (*Act.* XIV),audiamus.Is enim antistes tertio evocatus ad synodum, quia non occurrit, a patriarcha suo canonice condemnatus extiterat : sed solum quia cum vocaretur ad synodum, quod suus inimicus esset ipse,qui judicabat, clamavit : a sancta Chalcedonensi synodo ad causas illatas sibi examinandas reservatur,et nisi denuo convincatur, recipere ecclesiam propriam judicatur.Quod si Athanasius a patriarcha suo depositus, quia de inimicitia ipsius conquestus est, iterato ad judicium renovandum dirigitur,et nisi manifesta sibi officiant crimina, suæ reddi ecclesiæ præcipitur:quanto magis Ignatius, qui non a patriarcha,sed ipse potius existens patriarcha minime debuit ecclesia propria inimicis et suspectis judicibus decernentibus exspoliari? Quod quamvis factum sit,multo magis quam Athanasius inimicorum soluto judicio, sua oportuerat ab ecclesia recipi.

Veniat et facundissimus noster papa Gelasius (*in Commonitorio ad Faustum*), hæreticorum expugnator fortissimus, et quod de Constantinopolitanis more solito tunc ægrotantibus dixit,etiam nobis edisserat: Quæro, inquit, tamen ab his judicium, quod prætendunt, ubinam possit agitari, an apud ipsos, ut iidem sint inimici testes et judices? Sed et tali judicio nec humana debent committi negotia : quod si judicio ubi iidem sunt inimici qui judices, nec humana debent committi judicia; quanto minus divina, id est ecclesiastica? Qui sapiens est intelligat.Et revera hinc Justinianus imperator pius legibus suis promulgasse dignoscitur (l. *Apertissime*, cod, *de Jud.*) dicens : Licet ei,qui suspectum judicem putat, antequam lis inchoetur, eum recusare, ut ad alium recurratur. Nam quodammodo naturale est suspectorum judicum insidias declinare,et inimicorum judicium semper velle refugere.Hinc sanctus Athanasius inimicorum sæpe declinavit insidias : hinc sanctus Joannes os aureum concilii contra se congregati renuit intrare collegium. Quinimo hinc psalmista David,et Elias eximius prophetarum Saulis vel Achab

refugiunt prorsus insaniam (*I Reg.* XXII; *III Reg.* XIX).

Quod autem hi qui a jam fato fratre et commi-nistro nostro Ignatio depositi, excommunicati, vel anathematizati fuerant, nullam adversus eum intorquere damnationem potuerint, ex prolato secundæ universalis synodi capitulo declaratur, cum dicitur (*cap.* 6) : Si vero ecclesiasticum fuerit crimen, quod episcopo illatum exstiterit, tunc probari oportet accusantium personas, ut primo quidem hæreticis non liceat accusationes contra orthodoxos episcopos pro ecclesiasticis negotiis facere. Sed ne hos hæreticos esse denegetis, audite sequentia. Hæreticos autem, inquiunt, dicimus tam eos, qui olim ab Ecclesia projecti sunt quam qui post hæc a nobis anathematizati sunt. Porro si adhuc nec sic creditis, audite quod subditur : Præter hos autem, aiunt, et eos qui fidem quidem sanam simulant confiteri. Schismaticos etiam, et eos qui seorsum a communicantibus nobis episcopis collectas faciunt. Deinde vero, et si quidam ab Ecclesia super causis quibusdam reprehensi fuerunt, et projecti aut excommunicati sive ex clero, sive ex laicali ordine, nec his licere accusare episcopum, antequam proprio crimine primitus exuantur.

Similiter autem et eos qui sub accusatione priori consistunt, non ante esse acceptabiles in accusationem episcopi, aut aliorum clericorum, quam innoxios semetipsos illatorum sibi ostenderint criminum.

Quid autem periculi regulæ hujus immineat contemptoribus, non ignoratis. Præterea quis de considentibus ibidem non de prædictis exstitit hæreticis atque schismaticis? Nonne Gregorius Syracusanus millies condemnatus? Nonne Eulampius, Petrus, item Petrus, qui pro nefandis actibus suis et ore confessis depositionem, deinde anathema inciderunt? et alii quos enarrare longissimum est. Ecce quales inter cæteros erant, qui contra præfatam regulam centum quinquaginta Patrum, os contra venerandum patrem suum aperire non sunt reveriti. Et cum essent ligati ligare ; et cum essent mortui, et in suis penetralibus jam fetidi, virum per totum mundum redolentem mortificare conati sunt, et malæ opinionis nidoribus aspergere tentaverunt.

Sed iterum videte Romanæ sedis pontificem a vobis quidem derogatum, sed a totius Christianitatis unanimitate veneratum, et magnæ synodi Ephesinæ præsulem Cœlestinum, quid censeat de his, qui depositi et excommunicati a Nestorio fuerant, postquam depositus coram oculis summi arbitri jam esse credebatur. Et multo magis hoc de fratre et consacerdote nostro Ignatio esse censendum arbitramini, qui non a prælato quolibet sicut isti, sed a se dejectis talia pertulit. Ait enim episcopis orientalibus scribens (*in ep.* 6) : Si quis vero aut ab episcopo Nestorio, aut ab aliis, qui eum sequuntur, ex quo talia prædicare cœperunt, vel excommunicatus, vel exutus est, seu antistitis, seu clerici dignitate ; hunc in nostra communione et durasse et durate manifestum est. Nec judicamus eum remotum : quia non poterat quemquam ejus removere sententia, qui se jam præbuerat ipse removendum. Item idem ad clerum Constantinopolitanum aperte inquit (*ep.* 4) : Sedis nostræ sanxit auctoritas, nullum sive episcopum, sive clericum, seu professione aliqua Christianum, qui a Nestorio, vel ejus similibus, ex quo talia prædicare cœperunt, vel loco suo, vel communione dejecti sunt, vel dejectum, vel excommunicatum videri : sed hi omnes in nostra communione et fuerunt et hucusque perdurant : quia neminem vel dejicere, vel removere poterat, qui prædicans talia titubabat.

Intellexistisne, imperator, ex superius memoratis non potuisse, ut non dicamus prælatum suum, saltem quemlibet removere, qui fuerant olim ipsi remoti, nec dejicere quemquam jam ante prostrati? Ad infirmandam quoque sententiam damnatorum, etiam illud valere credimus, quod sancta synodus ad præfatum papam (*conc. Ephes. in ep. ad Cælestinum*), quæ apud se gesta sunt, referens, pro Joannis Antiocheni amputanda antistitis exaggerata præsumptione, quosdam eorum, qui contra sanctum Cyrillum et Memnonem latrabant, sine civitatibus vacantes autem, et ecclesias non habentes : alios vero ante multos annos pro acerbis causis depositos a suis metropolitis, inter alios plurimos fuisse suggessit. Quibus per omnia vestrates, ut ita dicamus, depositores Ignatii compareri plurima ex parte non immerito possunt : ibi namque et sine sedibus, et vagi, atque pro suis acerbis facinoribus a propriis metropolitis inventi sunt episcopatu privati. Ibi etiam communione extorres, et anathematis damnationis consortes fuisse probantur. Unde miramur quomodo excommunicati ad judicandum recepti sint, cum secundum apostolicos canones sine commendatitiis litteris in communione sola recipi prohibeantur (*conc. Carth.* III, *c.* 21). Absurdum etenim est ut cui non licet etiam cum minimis juxta sacras regulas communicare, liceat penes vos etiam de majoribus judicare.

Sed jam de hoc plenissime, Deo auxiliante, dicamus ; et quod a subjectis suis prælatus non debeat sui dispendium perpeti, aut calumniis impeti demonstremus. Quod quia Ignatius, frater et coepiscopus noster, inique pertulit, omni lamentatione plorandum est : et certe patres a filiis honorari non solum divinis (*Exod.* XX,) verum etiam humanis legibus præcipiuntur. Et si hoc carnales, quanto potius spiritales digna penitus a filiis debent veneratione potiri? Quanto enim spiritus carnem præcellit, tanto magis ea quæ sunt spiritualia carnalibus oportet omnibus anteponi.

Verum si hoc Ignatii subditi dedignati sunt attendere, saltem scelus Judæorum in Christum patratum perhorruissent committere : nec acuerent linguas suas adversus patrem ac magistrum suum ipsi, sicut serpentes, nec esset gladius in labiis eorum, nec fierent dentes eorum arma et sagitta, et lingua eorum machæra acuta, formidantes scilicet ne de se Salomon sapientissimus dixisse videretur : *Generatio quæ patri suo maledicit* (*Prov.* XXX.) Et rursus : *Generatio quæ pro dentibus gladios*

habet, et commandit molaribus suis (*ibid.*); et iterum: *Oculum, qui subsannat patrem, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant illum filii aquilæ* (*Gen.* IX). Denique si Cham, videns patris verenda, risit potius quam (ut cæteri) cooperuit, maledictionem in filio percepisse legitur: quanto potius hi qui verecundiam patris non solum, si quælibet fuit, minime cooperuerunt, sed et riserunt, et falso ad subsannationem sui moris homines provocaverunt; atque, quod est deterius, patenter contra ipsum de pharetra iniquitatis suæ sagittam judicii produxerunt? Non sic econtra filii sobrii, non sic, sed aversi operuerunt. Quod moraliter egregius doctor papa Gregorius interpretatus, ait (lib. XV *Moral.* c. 22): Aversari dicimus quod reprobamus. Quid est ergo, quod filii verenda patris superjecto dorsis pallio aversi venientes operiunt, nisi quod bonis subditis sic prælatorum suorum mala displicent, ut tamen hæc ab aliis occultent? Operi mentum aversi deferunt, quia dijudicantes factum, et venerantes magisterium, nolunt videri quod tegunt.

Sed hæc dicentes, nolite nos æstimare cujuscunque proximorum nostrorum, quæ sunt digna reprehensione velle defendere; sed quod ita velim filios circa spiritalem patrem, et discipulos erga magistrum devotos ac sobrios esse ut nulla penitus temeritate ad eorum vitam, ut non dicamus, dijudicandam, sed nec saltem tenuiter reprehendendam prosiliant. Quoniam, docente præfato papa in libro Regulæ pastoralis (lib. III *Pastor.* cap. 5): Admonendi sunt subditi, ne præpositorum suorum vitam temere judicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter videant, ne unde recte mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur, Admonendi sunt, ne cum culpas præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant; sed sic quæ valde sunt eorum prava, apud semetipsos dijudicent, ut tamen divino timore constricti ferre sub eis jugum reverentiæ non recusent.

Quod melius ostendimus, si David factum ad medium deducamus. Saul quippe persecutor cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis David inerat, qui jam tam longo tempore persecutionis ejus mala tolerabat; cumque eum viri sui ad feriendum Saul incenderent, fregit eos reprehensionibus, quia manum mittere in christum Domini non deberet. Qui tamen occulte surrexit, et oram chlamydis ejus abscidit (*I Reg.* XXI). Quid enim per Saul nisi mali rectores? Quid per David nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrem purgare, est pravos præpositos conceptam in corde malitiam usque ad opera miseri odoris extendere, et cogitata apud se noxia factis exterioribus exsequendo monstrare. Quem tamen David ferire metuit: quia piæ subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt. Qui et si quando pro infirmitate sese abstinere vix possunt, ut extremo quædam atque exteriora mala præpositorum, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt: quia videlicet dum prælatæ dignitati saltem innoxie et latenter derogant, quasi regis superpositi vestem fœdant; sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissime vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Unde bene et illic scriptum est: *Post hæc David percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul* (*I Reg.* XXIV). Facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda judicantur. Siquando vero contra eos, vel in minimis lingua labitur, necesse est ut per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat, et cum præpositæ potestati deliquerit, ejus contra se judicium a quo sibi prælata est, perhorrescat.

Nam cum præpositis delinquimus, ejus ordinationi, qui eos nobis prætulit, obviamus. Unde Moyses quoque cum contra se et Aaron conqueri populum cognovisset, ait: *Nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum* (*Exod.* XVI). Hinc etiam prædicator veritatis Paulus apostolus subditis suis, et quibus Christi Evangelium prædicabat dicit: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer* (*I Cor.* IX). Hinc Sixtus apostolicæ sedis antistes Euphemium episcopum damnasse describitur (*De expurgat. Sixti papæ III*, c. 8), nihil aliud in depositione illius objiciens, nisi quod Polychronium Hierosolymitanum episcopum pontificem suum accusaverit. Et quidem Polychronius a legatis sedis apostolicæ, eo quod sedem Hierosolymitanam primam esse mendaciter affirmabat, et per simoniacam hæresim ordinationes fecisse probatus est, ecclesiæ privatus est gubernaculis, et urbe rejectus. Sed et Euphemius nihilominus quia hunc præsumptuose (licet veraciter) accusaverat, damnationi a synodo subjectus est.

Et quoniam linguam suam contra sibi prælatum erexerat, anathema suscepit; adeo ut Leo Ecclesiæ Romanæ diaconus ei diceret: Ex te enim damnaberis, quoniam pontificem, qui te consecravit coepiscopum condemnabas et accusabas. Qui cadens in terram ante omne concilium episcoporum ibi confitebatur se peccasse. Abundio episcopo misso ab urbe Roma, dicente: Non licet quemquam accusare pontificem suum, quoniam judex non judicabitur. Quo audito, Valentinianus Augustus (sicut apud nos scriptum habetur), cujus vos in hoc imitatores esse debetis, gavisus est in damnatione episcopi Euphemii, qui exstitit accusator Polychronii pontificis sui.

Consonat autem huic necessariæ sententiæ sanctus Silvester, et magni Constantini baptizator Augusti, dicens: Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo, judex judicabitur: haud dubium, quin ecclesiasticus Pelagius quoque præsul apostolicus cuidam regi Francorum scribens, sic dicit(*a*): Cum celsitudini vestræ multa dona mise-

(*a*) Childeberto. Est epistola undecima Pelagii papæ.

ricordia divina contulerit, pro amore tamen quem Ecclesiæ ejus sinceriter exhibetis, fecit vos multis regnantibus clariores : quoniam inter alias regni vestri curas tranquillitate sanctæ Ecclesiæ præcipuam sollicitudinem vos certum est exhibere.

Quæ cum ita sint, miramur quia quantum nobis præsentium portitorum suggestio patefecit, passi estis subripi vobis et Sabaudum fratrem et coepiscopum nostrum Arelatensis civitatis antistitem, cujus Ecclesia in regionibus Gallicanis primatus privilegio et sedis apostolicæ vicibus decoratur, ad petitionem episcopi ab ipso ordinati in judicium sequentis civitatis episcopi quod nulla ecclesiastica lege vel ratione conceditur, judicandum juberetis occurrere, ut ipso de conculcato loci sui præjudicio conquerente, ille qui usurpavit, necesse sit de illicita præsumptione culpari. Pro quibus Christianitatis vestræ confidentia freti, paterno studio postulamus ut si quid tale factum est, congrua satisfactione celeriter amputetur, nec ullum sui exemplum in perturbatione Ecclesiarum, quas vobis Deus credidit, relinquere concedatur ; et hujusmodi causis sollicitam vos in reliquo decet exhibere cautelam, ne quid contra ecclesiasticas regulas petentibus concedatis : quia quod bene cognitum est religiosæ menti vestræ, non aliter Deo nostro recte potest regalis devotio famulari, nisi providentia ejus ecclesiasticorum ordinum servetur integritas.

Præterea suavissimus Pater et papa noster Gregorius, de quo supra diximus, clero Mediolanensis Ecclesiæ pro eligendo sibi episcopo litteris præcipiens, ait (*lib.* II, *indict*, XI, *ep.* 29) : Pensantes ergo, quæ cunctis expediunt, et quem vobis gratia divina prætulerit, integerrimam semper in omnibus obedientiam præbete ; judicari namque a vobis ultra non debet semel prælatus ; sed tanto nunc subtiliter judicandus est, quanto postmodum judicandus non est. Consecrato autem vobis Deo auctore pastori tota vos mente committite, atque in illo omnipotenti Deo, qui vobis hunc prætulit, deservite. Quibus omnibus rite collectis, satis evidenter, ut opinamur, ostensum est non posse legitime subjectos de prælati sui vita judicare ; nec præter hæresim cujuscunque sit meriti temere reprehendere.

Sed si adhuc placet aliquid de hoc nosse quod delectet, antiqui Patris et venerabilis doctoris. Areopagitæ Dionysii ad Demophilum verba vobis recitari præcipite : qui etiam in causa pietatis delinquentem sacerdotem nefas sancit a minoribus, vel ab inferioribus judicari, ne fiat in Ecclesia Dei aliquid inordinatum, et status ejus in aliquo confundatur. Verum hucusque quod a suis suffraganeis atque subditis frater et comminister noster Ignatius non debuerit judicari, sed nec facile reprehendi, breviter comprobavimus. Nunc autem divina inspiratione non nos pigebit, nec nobis impossibile erit ostendere vobis (si tamen audire velitis), non posse quemquam rite ab his qui inferioris dignitatis vel ordinis sunt, judicialibus submitti diffinitionibus. Siquidem tempore Diocletiani et Maximiani Augustorum, Marcellinus episcopus urbis Romæ, qui postea insignis martyr effectus est, adeo compulsus est a paganis, ut in templum eorum ingressus, grana thuris super prunas poneret. Cujus rei gratia collecto numerosorum concilio episcoporum, et inquisitione facta, hoc se idem pontifex egisse confessus est (*a*). Nullus tamen eorum proferre in eum sententiam ausus est, cum ei sæpissime omnes perhiberent : Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio ; et iterum : Noli, ainnt, audiri in nostro judicio, sed collige in sinu tuo causam tuam ; et rursus : Quoniam ex te, inquiunt, justificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis ; et iterum dicunt : Prima sedes non judicabitur a quoquam.

Hinc etiam superius memoratus confessor Christi Silvester fecit gradus in gremio synodi (*synod. Rom.* c. 3), ut non presbyter adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconem, non acolythus adversus subdiaconem, non exorcista adversus acolythum, non lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam, neque præsul summus a quoquam judicabitur, quoniam scriptum est : *Non est discipulus supra magistrum* (*Matth.* x). Sed et cum quidam tempore quodam contra Sixtum papam tentassen tquædam non boni rumoris objicere, et in concilio, cui et Valentinianus Augustus interat, dictum fuisset (*De expurgat. Sixti papæ III*, cap. 5) non licere adversum pontifieem dare sententiam : surrexit idem protinus imperator, et in arbitrio præfati pontificis tribuit judicare judicium suum. Etenim nullus pontificum minorum vel inferiorum urbium subactus judiciis invenitur.

Unde Joannes Antiochenus tertiæ videlicet sedis episcopus, inter cætera legitur in Ephesina synodo usque ad correctionem damnatus (*in ep. ad Cælest. I*), quia Cyrillum Alexandrinum secundæ scilicet sedis episcopum, irregulariter damnationi præsumpsit addicere, eadem venerabili synodo ad Cœlestinum summæ sedis præsulem taliter in scriptis postulante, ac dicente : Indignetur ergo tua religiositas competenter pro his, quæ facta sunt ; si enim data fuerit volentibus licentia et majores injuriis sedes afficere, et contra eas in quibus non habent potestatem, contra leges sic et contra canones proferre sententias, ibunt ad ultimam confusionem Ecclesiæ res.

Deinde vero in sancta Chalcedonensi synodo cum a judicibus Basilio episcopo Seleuciæ objiceretur, quare in damnatione Flaviani subscripserit, et ipse responderit : Quoniam in judicio centum viginti, aut triginta episcoporum traditus, necessitatem habui parere his, quæ ab illis ordinabantur, et Dioscorus ad hæc diceret ei : Erubescens homines prævaricatus es quod bonum est, et fidem sprevisti ; non audisti quod scriptum est : *Non erubescas in ruinam tuam* ; præfatus Basilius episcopus respondit : Si

(*a*) In concilio Sinuessanensi.

apud judices habuissem martyrium, sustinuissem. Etenim Constantinopoli ostendi fiduciam meam, a patre autem,qui judicatur justus,non utitur[HARD. *legit,* qui judicatur, justis non utitur] : filius enim patri etiam justa dicens, moriatur.

Denique in Epistola legimus ad Hebræos quod *minor a majore benedicatur;* restat profecto ut exigente ratione etiam maledicatur.Siquidem hæc utique prænoscentes periculosa tempora illi qui ante nos fuerunt, providam in Ecclesiis consuetudinem tradiderunt ; hodieque in Ecclesia Romana, quæ magistra est omnium Ecclesiarum, imprætermisse servatur, ita ut nullus sacerdos, majore suo non innuente consacerdote,cuilibet rei benedicere nitatur ; sed et anterior stans ad pronuntiandam aliquam lectionem, benedictionem quidem postulat, sed ei quislibet inferior non audet penitus benedicere : cur hoc? Nunquid benedicere peccatum est? absit. De maleficis enim, non benedicis, dicit Apostolus : *Quia regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI); sed per hoc innuitur quantæ censuræ freno inferiores quippe ad suos judicandos præpositos coercendi sunt, si hi nec etiam benedicendi jus ullum penitus obtineant.Et revera,ut superius ex Evangelio, beato Silvestro commemorante, jam diximus : ***Non est discipulus supra magistrum*** (*Matth.* X), si ad benedicendum non,quanto minus ad maledicendum?In tantum autem hanc præsumptionem sancti Patres apud Chalcedonem detestati sunt,ut Dioscorum Alexandrinum antistitem inter cætera idcirco potissimum sine ulla restitutione damnaverint,quia in contumacia permanens,erga primæ sedis Romanæ privilegium, respicere a suis superstitionibus, ut servaretur a prima sede apostolica,noluit,et ponens in cœlum os suum, et lingua ejus transeunte super terram (*Psal.* LXXII), excommunicationem in sanctum Leonem papam dictavit; ita ut in sententia contra ipsum prolata, hoc videantur memorare præcipue dicentes,quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valde transcendit.Præsumpsit enim et excommunicationem dictare adversus sanctissimum et beatissimum archiepiscopum magnæ Romæ Leonem. Nunquid ibi (*Actione 1 conc. Chalced.*) legitur inquisitionem fuisse factam, utrum juste, an injuste ipsam jam factam Dioscorum excommunicationem dictasse, [*pro,* jam fatus Dioscorus... dictasset. HARD.] Non plane,sed absque omni controversia hoc in eo ulti sunt, quia cum esset inferior, potiorem quibuslibet conatus est lacessere contumelis ; teste Anatolio Constantinopolitano præsule,qui dicit:Propter fidem non est damnatus Dioscorus,sed quia excommunicationem fecit domino archiepiscopo Leoni. Voluerunt enim in domo Dei nihil fieri præproperum,nihil confusum, nihil inordinatum. Unde apte quoque in Africano concilio diffinitum est capitulo 53 ita : Unusquisque nostrum ordinem sibi decretnm a Deo cognoscat, et posteriores anterioribus deferant, nec cis inconsultis aliquid agere præsumant. Et supra memoratus Gelasius papa,multarum destructor hæreseon, in decretali epistola ad universos dicit episcopos per Dardaniam constitutos (*epist.* 11) : Si certe de dignitate agitur civitatum secundæ sedis et tertiæ, major est dignitas sacerdotum quam ejus civitatis, quæ non solum inter sedes minime numeratur,sed nec inter metropolitanorum jura censetur. Et item idem in tomo ad Orientales episcopos:Præcipue,inquiens,cum de secundæ sedis ageretur antistite, nec ab inferiore qualibet, sed a prima sede jure possit absolvi:inferior quippe potiorem absolvere non potest;sola ergo prior inferiorem convenienter absolvit. Hinc liquido pervidetur quia quem non potest absolvere,non potest judicio inferior potiorem ligare.

Porro cum Theodoricus hæreseos Arianæ fæce pollutus, papam Symmachum usque ad damnationem, multis hunc accusantibus,impetere voluisset (*Synodus Romanus sub Symmacho*),et quotquot potuit ex Liguria, Æmilia, Valeria, et ex diversis regionibus,atque de Sicilia insula hujus rei gratia episcopos Romam colligi præcepisset;et his ad se venientibus dixisset:Plura ad se de papæ Symmachi actibus horrenda fuisse perlata, et in synodi oportere, si vera esset inimicorum ejus objectio indicatione constare ; memorati pontifices,quibus allegandi imminebat occasio,suggesserunt:Ipsum,qui dicebatur impetitus, debuisse synodum convocare ; scientes quia ejus sedi primum Petri apostoli meritum, vel principatus,deinde secuta jussionem Domini conciliorum venerandorum auctoritas, ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem, nec ante dictæ sedis antistitem minorum subjacuisse judicio.Et rursus: Causas,inquiunt,Dei ipsius esse judicio committendas, *qui valet corpus occidere, et animam mittere in gehennam* (*Luc.* XII) ; qui dicit : *Mihi vindictam et ego retribuam* (*Deut.* XXXII) ; apud quem conscientia nuda est,cui non absconduntur occulta. Et iterum, idem ipsi dicunt:Quod dicebatur majori judici,servabamus instruentes eos,quia per nos illis Christus innotuit, non esse ovium lupi insidias prævidere, sed pastoris.

Ad postremum vero isti ipsi venerabiles præsules cum vidissent,quod non sine sui discrimine potuissent contra caput obices manus suas erigere,quidquid de præfati Symmachi sanctissimi papæ actibus delatum fuerat, totum Dei judicio reservarunt ; ita, ut singuli quique in subscriptione sua hoc patenter indicent, cum dicunt:Laurentius episcopus Ecclesiæ Mediolanensis huic statuto nostro, in quo totam causam Dei judicio commisimus, subscripsi. Similiter Petro episcopo Ecclesiæ Ravennatis,et cæteris episcopis subscribentibus : nimirum quoniam sicut magnus Christi confessor Ennodius Ticinensis episcopus,qui ab Hormisda apostolicæ memoriæ Constantinopolim missus innumeras miserias a Græcorum vesania, pro Christi fide et statu Ecclesiæ non semel pertulit (*in indiculo Hormisdæ, ante epist. ejus* 11), ex propheta de his meminit : ***Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea; aut exaltabitur serra contra eum qui trahit eam?*** (*Isa.* X.) His ita ex divina

Scriptura, et probabilum Patrum doctrina commemoratis, sole clarius exhibuimus, non posse quemquam, qui minoris auctoritatis est, eum qui majoris potestatis et judiciis suis addicere, aut propriis diffinitionibus subjugare. Verum de hoc generaliter nos hucusque sufficiat.

Cæterum, ut calamum ad Constantinopolitanos præsules specialiter extendamus, aut nunquam omnino, aut certe vix horum aliquis sine consensu Romani pontificis reperitur ejectus, qui tamen hactenus inter depositos annumeretur, et non ab hæreticis, vel tyrannis pulsus aut interemptus commemoretur. Denique, ut ex his paucos commemoremus, nonne Maximus, postquam multum a Damaso papa (sicut ejus ad diversos epistolæ missæ indicant) laboratum est, Constantinopoli pulsus est? Nonne Nestorius, nonne Acacius, nonne Anthimus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, sedis apostolicæ discurrentibus consultationibus, ac decretis ejecti sunt? Cur ergo, cum ita sit, in solo Ignatio Petri memoriam despicere ac oblivioni tradere studuistis, nisi quia pro voto cuncta facere voluistis, constituentes synodum Ephesinæ secundæ crudelitate consimilem? quamvis ibi Alexandrinus erat, qui cum cæteris sibi sociatis compatriarchis adversus sanctum Flavianum agebat.

Hic autem, ut de patriarchis omittamus, nec unius episcopus civitatulæ, aut quilibet ignotæ personæ adversus tantum pontificem exstitit sententiæ promulgator, qui non de suffraganeis et subjectis ejus fuerit. Sed dicitis fortasse non fuisse in causa Ignatii sedem apostolicam convocare necesse, quia non hunc ullus hæreseos error involverat. O pietatis intuitum ita recte Deum colentis, et magis suam injuriam quam sui Dei et Domini vindicantis! Nonne magis oportuit circa eum magnanimitatem ostendere, et regularem vos observare censuram? quoniam a Deo nec per hæresim, nec per illum omnino schisma discessit, quam si cunctis pollens virtutibus omnipotenti minime Domino per orthodoxam fidem penitus adhæsisset? Congregastis consilium adversus eum, et ad imperii vestri nutum cuncti sunt famulati minores, et ad votum sæcularium, ut cum pace vestra dicamus, de solio imperiali descendentes, cathedram præsularem, ut ita fateamur, ascendistis, et pro desiderio hostium ejus augustalium obliti sceptrorum, quemdam regem Israel imitantes, adversus illum sacerdotalis ministerii arripuistis officium; præsertim cum imperium vestrum suis publicæ rei quotidianis administrationibus debeat esse contentum, nec usurpare quæ sacerdotibus Domini solum conveniunt (*II Par.* XXVI).

Dicite, quæsumus, ubinam legistis imperatores antecessores vestros in synodalibus conventibus interfuisse? nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est; quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos et ad omnes omnino pertinet Christianos? Vos autem non solum synodo in causa sacerdotis collectæ interfuistis, verum etiam numerosa sæcularium millia ad videndum ejus opprobrium aggregastis, cum magis debueratis in hoc imitari Constantinum pium Augustum, de quo scriptum est quod dixerit: Quia si vidissem aliquem eorum, qui religioso circumamicti sunt habitu, turpitudinem aliquam operantem, chlamydem meam explicassem, et cooperuissem eum, ne videretur a quoquam. Sed in viro hoc omnia hæc oblivioni traduntur: fit plausus de Domini sacerdote scurris et histrionibus. *Heu quomodo obscuratum est aurum*, libet cum Jeremia clamare; *mutatus est color optimus, disperti sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* (*Thren.* IV).

Deinde vero contra ritum ecclesiasticum, contraque venerandas leges producitur accusator de imperialibus ædibus, et cui imperari potest, ad falsum dicendum testimonium adhibetur. Fiunt suspecti judices et mercenarii, et lupi custodes qui videbantur esse pastores, non ascendentes ex adverso potestatibus mundi, juxta Ezechielem: *Nec opponentes murum pro domo Domini* (*Ezech.* XIII), *sed descendentes in infernum viventes* (*Psal.* LIV), hoc est scientes. Submittitur minorum, inferiorum et subjectorum deliberationibus, cum sacris canonibus præcipientibus, et exemplis sanctorum Patrum, semper ubi est major auctoritas sit eundum, et in omnibus controversiis ad potioris sedis judicia dirigatur. Quod non solum a catholicis, verum etiam ab ipsis constat observatum hæreticis. Alioquin acephalum liquet esse concilium, ubi de tanta persona agitur, et majorum non exspectatur sententia, cum nec in causa clericorum inferioris gradus, solius episcopi sui judicium tantummodo præsto sit.

Sed ne sine auctoritate canonica quidquam prosequi videamur, nunc Chalcedonensis concilii sanctiones ad memoriam reducamus, quæ ita decernunt: Si clericus habet causam adversus episcopum proprium, vel adversus alterum, apud synodum provinciæ judicetur; quod si adversus ejusdem provinciæ metropolitanum episcopus, vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ. In quo hic tenor observandus est, ut si videlicet clericus, aut episcopus adversus metropolitanum habet querelam, et tanta urgetur necessitate, vel si hoc grave non ferat, ubicunque sit positus, primatem diœceseos petat; quod si juxta Constantinopolitanam urbem quisquam eorum constitutus, et solius præsulis ejus judicio velit esse contentus, petat eamdem regiam urbem. Cum enim dixisset: Petat primatem diœceseos, præceptum posuit eadem sancta synodus regulamque constituit. Cum vero disjunctiva conjunctione addidisset: Aut sedem regiæ urbis Constantinopolitanæ, liquet profecto quia hoc secundum permissionem indulsit. Ergo saltem nunc non videtis ad majora semper esse properandum? et quanto magis ad potioris auctoritatis judicium tenditur querimonia, tanto adhuc amplius majus culmen petendum est, quousque gradatim perveniatur ad eam sedem, cu-

jus causa,aut a se negotiorum meritis exigentibus, in melius commutatur,aut solius Dei sine quæstione reservatur arbitrio.

Quem autem primatum diœceseos sancta synodus dixerit, præter apostoli primi vicarium, nullus penitus intelligitur. Ipse est enim primas,qui et primus habetur, et summus : quæ viritim, si locus exegerit,in subditis demonstrabimus. Ne vero moveat quia singulari numero diœceseos dictum est, sciendum est quia tantumdem valet dixisse primatem diœceseos quantum si perhibuisset diœceseon: plenæ sunt enim sanctæ Scripturæ tali forma locutionis. Denique scriptum est : *Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ* (*Gen.* II). Qui enim non ait,Unus fons ascendebat e terra, sed ait, *Fons autem ascendebat e terra*, pro numero plurali posuit singularem,ut sic intelligamus fontes multos per universam terram loca vel regiones proprias irrigantes: sicut dicitur miles,et multi intelliguntur; sicut dicta est locusta et rana in plagis quibus Ægyptii percussi sunt (*Exod.* x), cum esset innumerabilis locustarum numerus et ranarum, ita et hic diœcesim singulariter dixit; sed hanc propter unitatem pacis et fidei pluraliter intelligi voluit.

Illud autem ridere libuit, quod quasi ad majorem firmitatem, concilium adversus Ignatium fratrem et comministrum nostrum congregatum,æqualis numeri cum sancta olim synodo in Nicæa a sanctis fratribus celebrata fuisse perhibetis : quod si ideo est admittendum, quia æqualis numeri cum sancta Nicæna synodo habetur, necesse est ut aut septimam aut octavam hanc synodum vocitetis; necesse est etiam ut tot instabilitate illius synodos colligatis, quot pro Nicænæ synodi sequendis decretis constat fuisse concilia congregata.Quid autem proficit solo numero convenientium personarum sanctam synodum vos fuisse secutos,et moribus hanc esse crudeliter persecutos? Utinam non essent tot numero, sed tamen existerent tales meriti quales erant quibus Christus aiebat : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri meo dare vobis regnum* (*Luc.* XII.) Non ergo totidem præsules, sed merita non minora synodum synodo Nicænæ possunt facere parilem, magisque illud advertendum est quia ibi contra unius nuncupati presbyteri vesaniam, non solum multarum regionum pontifices,verum etiam et patriarchæ præsedisse referuntur. Hic autem in patriarchæ negotio non solum ullus patriarcharum, sed nec ullus alterius diœceseos inventus est quisquam episcopus, sicut jam significavimus.

Numerus igitur pusillus nec obest, ubi abundat pietas; nec multiplex prodest, ubi regnat impietas. Quinimo quanto numerosior est congregatio malignorum, tanto validior est ad sectandum suorum prava votorum; nec gloriandum est in multitudine, ubi non contra mundi rectores tenebrarum harum contra spiritalia nequitiæ certamen assumitur; sed adversus carnem et sanguinem,id est adversus homines, totius belli pondus inducitur; nisi enim Psalmista nosset quamdam non bonorum multitudinem,nequaquam Deo supplicando diceret : *Dispergc illos in virtute tua* (*Psal.* LVIII). Dispersio enim minorationem facit,minoratio vero abolitionem generat. Nolite ergo gloriari in multitudine,quia non multitudo sed causa damnationem, vel justificationem adducit.Neque enim Ignatium justiorem dixerimus jam memorato David rege,et propheta Domini, qui dicebat : *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis* (*Psal.* XXXIX). Sed quid de homine dicimus,cum de Deo nimirum, ex cujus persona hæc Psalmista dicebat, in passione ipsius, sicut Evangelium attestatur, tale quid nihilo minus agnoscamus?

Quod autem scripsistis vos idcirco quosdam nostrorum adesse voluisse, quoniam dicebamur cum expugnatoribus sacrarum imaginum concertare, nova profecto adinventio est.Nam apud vos præsentia est missorum nostrorum pro imaginibus sacris, nec digne decertatum est,nec impugnatores earum hactenus errare desierunt; sed sicuti usque ad illud tempus apud vos super hac causa strepitus et blasphemiæ non cessarunt, ita et nunc ibidem profana prædicantur et hucusque sacrilega pronuntiantur. Unde apparet legatos nostros non causa pietatis a vobis, sed crudelitatis argumento fuisse quæsitos. Verum ad quid fuerint petiti, res ipsa declarat, videlicet,sicut jam dictum est,ut quod de Ignatio judicandum erat, et acceptum apud omnes, et fixum semper maneret,ut pote quod tantæ auctoritatis vicarii judicassent.Nos enim nec saltem tenuis rumor aspersit aliquando cum prava sapientibus sapere, quanto minus concertare? Siquidem nusquam frigidus,nusquam tepidus labor sanctorum apostolicæ sedis præsulum circa debitam sacrarum imaginum reverentiam et competentem venerationem apparuit. Nec defuerunt harum impugnatoribus decessorum nostrorum certamina, qui hoc egerunt scriptis,hoc diversis laboribus, hoc etiam suis increpationibus apud mundi hujus principes, ut talis error eminus pelleretur; quamvis dixeritis,non nostri eguisse vos ad expugnandos hæreticos pro eo quod jam fuerit hujusmodi hæresis in Nicæa secundo convocata synodo, et a magno Methodio deinde subversa, quasi non et ipsi secundo in Nicæa collectæ synodo apostolica nostra sedes præsederit,et prima contra mala sentientes spiritalem sagittam emiserit.Et rursum, quasi non et venerandæ memoriæ Methodius in Græcia persecutione fervente,hic apud beatum Petrum, et apud nos,ubi olim Athanasius, ubi Paulus, ubi plurimi cum illis,et præter illos, ubi denique semper catholicis subvenitur, consecuti sint requiem, donec apprehenderet campum certaminis jam satiatus lacte matris hujus omnium sanctæ videlicet Romanæ Ecclesiæ catholicum dogma defendere fuerit eruditus.Et quasi non hinc auctoritatem prædicandi sumpserit,nec his infulis sacerdotalibus ditatus exstiterit, ad extremum quasi non hinc constantiam Petri,et omnia Pauli ad debellandos Iconomachos

arma portaverit, id est loricam justitiæ, calceatos pedes in præparatione Evangelii pacis,scutum fidei, galeam salutis,et gladium spiritus,quod est verbum Dei.Non ergo dicatis non eguisse vos in causa pietatis Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit. Unde quædam eorum,quia consensum Romani pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt.

Quomodo non egeat quælibet synodus Romanæ sedis,quando in Ephesiuo latrocinio cunctis præsulibus, et ipsis quoque patriarchis prolabentibus, nisi magnus Leo, imitator scilicet illius leonis, de quo scriptum est : *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* v), divinitus excitatus, os aperiens, totum orbem et ipsos quoque Augustos concuteret,et ad pietatem commoveret, religio catholica penitus corruisset? Nam et in causa sacrarum imaginum ante sanctissimum Methodium, quinimo et ante synodum in Nicæa sub Irene congregatam,cum adhuc hoc schisma noviter esset exortum, et Constantinopolitanos pene cunctos more pestilentiæ invasisset, Romani præsules,Gregorius inter cæteros et Stephanus,convocatis episcopis Occidentalium regionum,inveniuntur fortiter dimicasse,et hoc funditus condemnasse.Hæc quidem primordiis epistolæ imperii vestri respondimus,non quantum poteramus adhuc, sed quantum sufficere credidimus ad convincendam stoliditatem eorum qui talia sapiunt qualia in epistola vestro signo signata et nobis missa resonare videbantur. Non enim nos ex pio corde, vel ore vestro tam profana tamque perversa processisse putavimus.

Ad reliqua vero, quæ ex eadem epistola vestra plurima ex parte remanebant, rescribere his pro causis omisimus,videlicet quoniam tanta nos Pater cœlestis secundum beneplacitum suum ægrotatione quasi filios suos corripuit,ut non solum quæ ad respondendum propositionibus vestris idonea esse perspeximus,valeremus exponere, verum etiam eadem ipsa qualiter dictarentur, nulli, ægritudine nimia pressi, quiverimus edicere. Et quia legatus vester tanta est impatientia usus, ut antequam nos ex validissima infirmitate respiraret aliquantulum cognovisset, nullam moram passus,mox et jam nobis inconsultis, Urbe. quam vos quidem inveteratam,sed Honorius pius imperator æternam vocat,discesserit; ob nihil aliud,nisi quia jam tempus hiemis imminebat, et periculum sui, vel militum vestrorum, qui secum erant, vehementissime formidabat; apud quem vix obtinere potuimus ut saltem dum hæc scriberentur(quoniam ad Urbem reverti nullo modo voluit) in Ostia positus exspectaret.

Tertio,quia cum eadem quæ superfuerunt in ipsa epistola,ad quæ nihil respondimus,sed potius philosophando contempsimus,plena essent omni pravitate atque blasphemia, et contra ipsam dispositionem Dei, in qua Ecclesiæ sedisque Romanæ privilegia cunctarum Ecclesiarum privilegiis sua ineffabili providentia prætulit, venena diffunderent, non vestra esse verba, sicut prædiximus, quæ tam perperam sonabant,credidimus; ac per hoc his quæ in ambiguum venerant,non potuimus tanquam indubitatis responsa, vel apologetica scripta remittere.Verumtamen si vestra fuerunt verba quæ in despectum beati Petri apostolorum principis, imo Dei, cujus ordinationi resistitis, scripta, et quasi detrahentia privilegiis hujus sacratissimæ Ecclesiæ missa sunt; fateor non vos studiose sacras regulas, non venerandarum synodorum actiones,non piorum imperatorum leges,non veraces probabilium virorum historias lectitasse,quas tam (*forte verius*, tamen) conati estis in derogationem Ecclesiæ tantæ inutiliter ac incompetenter atque incongrue memorare. Sed rogamus omnipotentem Deum ut qui suæ cognitionis vobis reseravit mysterium,tribuat quoque nosse ad plenum suas dispositiones, quibus sancta Ecclesia (sanctæ Ecclesiæ), moderatur arcanum,et quæ sint, vel quanta, et qualia privilegia Ecclesiæ Romanæ, et ex quo ceperint exordium, et quis ejus summæ auctoritatis auctor existat vobis clementer aperiat.

Quod si a nobis quæritis scire,ut pote a ministris Christi,et dispensatoribus mysteriorum ejus, vobis evidentius ostendemus; si vero nosse parvipenditis, et solum contra privilegia Ecclesiæ Romanæ nisus vestros erigitis, cavete ne super vos convertantur. Durum quippe est vobis(*a*)(contra impetum fluminis reluctari durumque est)contra stimulum calcitrare. Porro si nos non audieritis,restat ut sitis apud nos necessario, quales Dominus noster Jesus Christus hos haberi præcepit,qui Ecclesiam Dei audire contempserit,præsertim cum Ecclesiæ Romanæ privilegia, Christi ore in beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita antiquitus observata,et a sanctis universalibus synodis celebrata,atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possint minui,nullatenus infringi,nullatenus commutari,quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus; et quod Deus statuit, firmum, validumque consistit. Illeque potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat.Privilegia, inquam, istius sedis vel Ecclesiæ perpetua sunt; divinitus radicata atque plantatr sunt; impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt,evelli non possunt.Quæ ante imperium vestrum fuerunt, et permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos,et quousque Christianum nomen prædicatum fuerit,illa subsistere non cessabunt immutilata.

Ista igitur privilesgia huic sanctæ Ecclesiæ a Christo donata, a syuodis non donata, sed jam solummodo celebrata et venerata; per quæ non tam honor quam onus nobis incumbit,licet ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione gratiæ Dei per beatum Petrum et in beato Petro simus adepti,nos cogunt nosque compellunt omnium habere sollicitudinem Ecclesiarum Dei; cui sancto scilicet Petro

(*a*) Ansulis inclusa dantur ex edit. Rom.

addita est societas beatissimi Pauli, vasis electionis, magistri veritatis, cui jugiter imminebat omnium Ecclesiarum sollicitudo (*II Cor.* xv).

Hi ergo, tanquam duo luminaria magna cœli in Ecclesia Romana divinitus constituti, totum orbem splendore fulgoris sui mirabiliter illustrarunt, et Occidens eorum præsentia, veluti rutilante sole, tam per se nitorem dante quam per discipulos suos, quasi quosdam radios lucis, micante, factus est Oriens; quique non postquam mortui sunt, Romam a principibus sunt delati, ut Romanæ Ecclesiæ majorem conferrent privilegiorum honorem, sicut apud vos non rationabiliter, sed potentialiter actum est, videlicet ut Ecclesiæ cæteræ patronis suis privarentur, et sola Constantinopolis spoliis et opibus, quas violenter abstulit, ditaretur; sed Romam in carne venientes, vitæ verbum evangelizantes, ab ea erroris caliginem amoventes, veritatis lumine mentes hominum illustrantes, et in ea uno eodemque die martyrium consummantes, sanctam Romanam Ecclesiam roseo cruore suo consecraverunt; et hanc non habentes maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi evhibentes, Deo Domino dedicaverunt. Sicque demum Alexandrinam Ecclesiam suam fecerunt, per beatum scilicet Marcum, unius horum filium ac discipulum. Hæreditas quippe filii in potestate parentis existit, et gloria discipuli ad magistrum sine cunctatione refertur.

Fecerat autem beatissimus Petrus præsentia corporali et Ecclesiam Antiochenam jam suam, quæ, sicut beatus papa dicit Innocentius (*in epist.* 21), urbis Romæ sedi non cederet. nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum quippe beatum Petrum apud se consummatumque gauderet. Per has igitur tres præcipuas Ecclesias, omnium Ecclesiarum sollicitudo beatorum apostolorum principum Petri ac Pauli procul dubio moderamen exspectat. Pro quibus patribus nos divinitus, incremento gratiæ ministrato, nati sumus filii et constituti, licet [licet indigni, licet, etc.] eis longe meritis impares, principes super omnem terram, id est super universam Ecclesiam. Terra enim Ecclesia dicitur, sicut scriptum est : *Non sic impii, non sic : sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* i). Quæ, sicut sanctus Augustinus exponit, Ecclesia intelligitur. Hæredes quippe horum effecti, facultatem potestatis, quam a Domino perceperunt, et onus sollicitudinis nihilo minus capessere nos oportet.

Proinde animadvertendum est quia non Nicœna, non denique ulla synodus, quodquam Romanæ contulit Ecclesiæ privilegium, quæ in Petro noverat, eam totius jura potestatis pleniter meruisse, et cunctarum Christi ovium regimen accepisse : sicut beatus præsul Bonifacius attestatur (*a*), universis episcopis per Thessaliam constitutis scribens : Institutio universalis nascentis Ecclesiæ de beati Petri sumpsit honore principium, in quo regimen ejus et summa consistit. Ex ejus enim ecclesiastica disciplina per omnes Ecclesias, religionis jam crescente cultura, fons emanavit. Nicænæ synodi non aliud præcepta testantur; adeo ut non aliquid super eam ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri. Omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. Si omnia, ergo defuit nihil quod non illi concesserit.

Denique si instituta Nicænæ synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem synodus contulit incrementum : sed potius ex ejus forma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret particulariter, sumpsit exemplum. Hæc igitur, et his similia, nos pro cunctis Ecclesiis, sollicitos reddunt; hæc etiam de Constantinopolitana Ecclesia impigram curam arripere vehementer hortantur; hæc, inquam, Ignatium patriarcham nulla regula nulloque ordine ecclesiastico dictante dejectum, tanquam fratrem adjuvare compellunt. Nam et inter cætera is per quem nobis præcipue ista sunt privilegia collata : *Tu aliquando conversus*, audivit a Domino, *confirma fratres tuos* (*Luc.* xxii).

Si quidem et ideo in culpam cecidit ut sciret qualiter aliorum infirmitatis misereri debuisset. Hæc Privilegia Photium, vivente Ignatio, in caulas Dominicas non per ostium, sed aliunde ascendentem, et pastorem impellentem, et oves dispergentem nobis et ab honore, quem irregulariter usurpavit, et a communione Christianorum amovere divinitus inspirata jusserunt. Quod autem perhibet excellentia vestra noluisse vos ut a missis nostris Ignatius judicaretur, eo quod fuerit jam judicatus et condemnatus; fatemur veraciter quia nec illud ulla ex parte videtur fuisse canonicum, nec hoc ipsorum judicium fieri præcepimus, nec factum admisimus. Verumtamen cui magis placuit evidenter intelligitur, cum patratum vos scribendo roborassetis, quod nusquam aliquando factum ab imperatore recolitur, et omnes in eo scribere imperassetis. Nos autem non solum factum minime recepimus, verum etiam doluimus, et a nostro consensu procul amovimus; quinimo auctoritate et exemplo antecessorum nostrorum in irritum duximus. Quod si tempns indulgeret, quod dicimus facile probare ex monumentis poteramus ecclesiasticis. Patratores autem præsumpti judicii, judicio in quo judicaverunt judicati sunt, secundum Evangelium; et mensura in qua mensi fuerunt dimensum est eis (*Luc.* vi). Nos quippe illos, non ut Ignatii ad patriarchalem sedem promotionem vel ingressum inquirerent aut judicarent destinavimus, sed ut circumstantiam dejectionis ejus ediscerent, nobisque veritatem repertam repedantes intimarent, direximus.

Quod nostræ, Deo gratias, liquido testantur epistolæ, quas ternas per Zachariam et Petrum atque Leonem, Deo amabiles scriniarios sanctæ Romanæ Ecclesiæ, uno textu scribi præcepimus et coram sancta Ecclesia, quæ apud nos est, dispertiti su-

(*a*) In epistola quæ recitatur in concilio Romano, quod Holstenius edidit in *Bonifacio II.* Hard.

mus; et unam quidem apud nos retinuimus pro futura scilicet cautela, et propter quæstionem quæ oriri poterat in posterum. Quod ecce impræsentiarum, proh dolor! cernimus; aliam vero dilectæ sublimati vestræ direximus. Porro tertiam eisdem legatis nostris tribuimus, ut illam velut specular præ oculis habentes, in ea meditarentur quid agere debuissent, atque recordarentur quid sibi a nobis constiterat esse præceptum.

Et si fortasse vestra magnitudo dedignaretur sibi missam epistolam in episcoporum ostendere cœtu, jussimus eis ut illam, quam sibi specialiter dederamus, quamque unius formæ cum reliquis duabus esse noverant, in eo conventu, in quo causam dejectionis Ignatii præceperamus inquirere ac diligenter investigare, impræterniisse legerent, et in auribus omnium recitarent, licet ipsi contrarii facti sint eorum omnium quæ sibi fuerant imperata. Quamobrem et nunc, quia quædam scripta dicuntur apud vos esse, tanquam ex nomine nostro missa, quæ nos omnino non misimus, idcirco et hanc, quam mansuetudini vestræ dirigimus, in altero tomo scribi præcepimus; et hanc quidem Petrus, qui unius prædictarum trium scriptor exstitit; quam vero penes nos retinemus, præfatus Leo, Deo amabiles scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quorum fides nobis probata est, scripsisse noscuntur.

Porro scripsit nobis imperium vestrum ut Theognostum, qui a fratre et coepiscopo nostro Ignatio super quasdam provincias exarchatus pondus accepisse dignoscitur, necnon et alios monachos sibi tanquam vestræ augustialis injuriatores excellentiæ destinemus. In quo cum tamen ipsi injuriatores vestri non fuerint, quid aliud nisi ut quanta pœna [quantæ pœnæ, HARD.] et quibus tormentis subjiciantur hi qui ex parte Ignatii sunt, et apud vos in ditione vestra consistunt, liquidius agnoscamus. Quando hi non utique ad epulas, non ad infulas alicujus honoris percipiendas profecto quæruntur, sed potius ad puniendum, quos forte nec vidistis, nec cujus moris sint penitus agnovistis. Denique quidam eorum ab ineunte ætate Romæ divinis obsequiis famulati sunt, et non justum credimus hujusmodi tormentis fore subdendos. Theognostum autem non de vobis sinistra, sed potius grata prædicare testamur. Quamobrem ergo eum quæratis ignoramus, nisi forte quia illiuc fugatus, hic apud nos requiem, quemadmodum innumeri Christiani, aliquantulam reperit.

Siquidem tanta millia hominum protectioni ac intercessioni beati apostolorum principis Petri, ex omnibus finibus terræ properantium, sese quotidie conferunt, et usque in finem vitæ suæ apud ejus limina semet mansura proponunt, ut præter illud quo vas e cœlo submissum, in quo cunctorum ostensa sunt eidem beato Petro horum omnium rectori animantium genera, catholicam signat Ecclesiam: etiam ipsa sola Romanorum urbs, apud quam ejusdem apostoli corporalis præsentia sedule veneratur ipsius vasis cunctæ [*f.*, cunctas., HARD.] dignoscatur in se continere universorum animalium (quæ homines intelliguntur spiritualiter) nationes. Suscepit ergo ac continet in se Romana Ecclesia, quod Deus universalem Ecclesiam suscipere ac continere præcepit. Decentissimum quippe est atque convenientissimum ut apud se Petrus quod sibi specialiter ostensum atque præceptum est, exhibeat; sicque demum quod in generali Ecclesia facilius credendum sit, innuat. Sane intuendum est quia et hoc vas, in quo omnia genera erant animantium, Petro specialiter ostensum est; et ut ea mactaret et manducaret, illi soli jussum est. Et post resurrectionem ut rete plenum diversis piscibus ad littus traheret, a Domino ipsi proprie soli præceptum est, (*Joan.* XXI). Ipsum enim, cujus nos, licet immeriti, vicem suscepimus, principaliter ac specialiter universalis Ecclesiæ curam divinitus accepisse, etiam nobis tacentibus, credimus quod vestra sapientia jam animadvertat. Putasne ergo, imperator, justum esse ut tradamus aliquem eorum, quos nunc commemoravimus, principibus; quorum aulas, dignitates, honores et beneficia contempserunt, vel quorum forte indignationes aut persecutiones sustinuerunt? Absit. Nolumus enim, Deo auctore, nec Judæ proditori similes inveniri, nec paganorum excedere profecto nequitiam. Ipsi enim nihil tale agere penitus patiuntur. quale nos perpetrare cohortamini vos.

Denique cum quidam antecessorum vestrorum quemdam venerabilem virum ab Agarenorum principe, multis oblatis muneribus, sibi mitti poposcerit, non solum minime impetravit, verum etiam, ut fertur, ab eo quem quærebat, pudorem conferentia scripta recepit. Quumvis, Deo gratias, et per principalem beatorum apostolorum Petri ac Pauli, de qua sura partim exposuimus, potestatem et jus habeamus, non solum monachos, verum etiam quoslibet clericos de quacunque diœcesi, cum necesse fuerit ad nos convocare, atque ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus invitare. Hoc quidem nostrum; vestrum autem et piorum imperatorum non est ullum penitus quærendi monachos ministerium, nisi ad miserendum, et orationes eorum submisse poscendum. Quod si forsitan opinamini Theognostum apud nos Photio detrahere, Ignatiumque jugiter commendare, scitote veraciter quia nihil ipse de utroque loquitur nisi quod in propatulo est quod mundus dicit, quod omnis Ecclesia clamat, quod ipsi per innumeros homines Romam ab Alexandria, ab Hierosolymis, a Constantinopoli, a confinibus ejus, ab Olympo monte, atque a cæteris mundi partibus adventantes agnovimus: ad extremum quoque quod nos per missos vestros et diversa scripta patenter intelleximus. Quid ergo quis peccat, si ea dicit quæ vos dixisse constat? Ecce enim scripta vestra missa ad antecessorem nostrum, qua penes nos recondita servantur, quosdam partis Gregorii Syracusani, congregatis episcopis, etiam absente

fratre nostro Ignatio, vos anathematizasse testantur. Quid ergo quispiam delinquit? vel nos in quo, rogamus, offendimus (licet vos versa vice quos tunc laudastis, nunc vituperetis, et quos tunc reos et damnatos pronuntiastis, nunc miris præconis efferatis) si quod scripsistis credidimus, et quod dixistis nos quoque nunc dicimus? Postremo, nisi correxerimus consilium nostrum, videlicet ut illud juxta consilium vestrum dirigamus, vel si non effecti similes vobis, sicut ipsi caput, ita quoque nos membra tradamus, interminationibus crebris deterrere nos, et minitari videmini, tanquam sitis patriæ et urbi nostræ ultimum exterminium illaturi. Quæ nos Christo propitio atque custode (de quo scriptum est: *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam* [*Psal.* CXXVI]), sicut hactenus non timuimus, nec modo timemus, credentes super muros ejus angelorum custodiam; imo vero scientes quod Salvator positus sit in ea murus et antemurale (*Isa.* XXVI), id est apostolorum munimentum intercessionum. Neque enim non legimus, aut obliti sumus minarum Sennacherib regis Assyriorum, et servorum ejus contra urbem Jerusalem et populum ejus, quæ non minores nec pauciores minis vestris fuerunt. Et rursus miserationum Domini recordamur, et qualiter centum octoginta quinque millia hominum de castris Assyriorum interierint (*IV Reg.* XIX), et urbs cum habitatoribus suis evaserit, in mente recolimus, et gratias agimus, et spem sumimus, ac fiducialiter de domo Domini, si virtutem ipse donaverit, cultum Baal amovere curavimus: quoniam ipse est nunc qui tunc ipse et in sæcula; nec minor misericordia, nec infirmior omnipotentia. Ergo, ne velit minari pulvis et vermis scriptum est: *Quid superbit terra et cinis?* (*Eccli.* X.) Ne velit ampulla in aquis inflari, quia post pauxillum et ecce non est. *Quid gloriatur in malitia, qui potens est in iniquitate?* (*Psal.* XXI.) Quid facturus est: occisurus est (ut verbi gratia dicamus) hominem? *quoniam amplius non habet quid faciat* (*Luc.* XII: hoc et unus fungus facit malus. O imperator in hoc cine redacta est malitia hominis in iniquitate potentis, ut fungo malo comparetur? Heu quam inutilem potentem, heu supervacue gloriantem!

Porro vestra potens virtus in Domino potius glorietur, in bonitate laudetur, in justitia exaltetur: non minas nobis, non terrores velit incutere. Nescitis enim secundum Salomonem quid superventura pariat dies (*Prov.* XXVII): et juxta psalmographum: *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum* (*Psal.* XXXII); præsertim cum inter nos et vos non modica sit intercapedo, quæ quotidie populos non pauxillas vobis injurias, imo discrimina inferentes producit, et de his vos conveniat potius quam de nobis ulcisci. Nos enim apici gloriæ vestræ non damna, non convicia, non prorsus ullas, quod absit, injurias irrogavimus. Verumtamen quandiu subsistemus, ministerium nostrum honorificabimus, dispensationem nobis creditam exercebimus, antecessorum vestigia nostrorum sectabimur, ecclesiarum cunctarum sollicitudinem bajulabimus in eo, qui nos confortabit Domino nostro Jesu Christo. Quid sæviunt homines? quid mali fecimus nos? Certe non Cretam invasimus, non Siciliam exterminavimus, non innumeras Græcis subjectas provincias obtinuimus: postremo non ecclesias sanctorum, interfectis numerosis hominibus, ac suburbana Constantinopoleos, quæ et muris ejus pene contigua sunt, incendimus. Et vere de istis nulla fit ultio qui pagani sunt, qui alterius fidei sunt, qui inimici Christi sunt, qui veritatis ministris jugiter adversantur; et nobis, qui gratia Dei Christiani sumus, qui ex parentibus Christianis existimus, atque catholicis, qui unius ejusdemque fidei dogmata credimus, qui servi Christi vocamur, qui veritatis cultores, quantum possumus esse desideramus; minæ prætenduntur, terrores promittuntur, etiam nonnullæ molestiæ irrogantur. Non est iste ordo laudabilis, non est ista commutatio imitabilis, ut qui innumera mala ingerunt, impuniti evadant; et qui nihil mali gesserunt, pro his talia recipiant; et qui Christum blasphemant, dimittantur; et qui Christum celebrant, hujusmodi minis subjiciantur. Sed habemus ad quem respiciamus nos, habemus in quo consolemur. Fecerunt enim hoc et Judæi, latronem dimittentes, et Salvatorem tenentes; occisorem justificantes, et vivificatorem condemnantes; Barabbam liberantes, et Christum morti subdentes (*Matth.* XVII).

Sed his tandem omissis ad ea, quæ cum universa sancta Ecclesia, quæ apud nos est, dispensatorie consideravimus, stylum jam dirigemus, et cum beato Gelasio nostræ sedis antistite consulte dicemus: Necessaria rerum dispositione constringimur, et apostolicæ sedis moderamine convenimur sic canonum paternorum decreta librare, et retro præsulum, decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus (*epist.* 6, *ad episc. per Lucaniam et Brutios*). Et quoniam de persona Ignatii, atque Photii nihil discretius, atque mitius, necnon et salubrius arbitramur, quam ut uterque Romam ad renovandum examen veniat, hoc magnopere volumus, et ut vos annuatis salubriter admonemus. Sed hoc secundum indulgentiam concedimus, non licentiam id efficiendi pro libito cujuslibet tribuimus.

Quoniam cum secundum canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum: patet profecto sedis apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Juxta quod et Bonifacius, atque Gelasius sanctissimi præsules, non suis adinventionibus, sed

Ecclesiæ Romanæ consuetudinem non ignorantes dicunt: Bonifacius quidem Rufo, et cæteris episcopis per Thessaliam, et alias provincias constitutis scribens : Nemo, ait, unquam apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractare, manus obvias audacter intulit. Nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari. Gelasius autem in commonitorio Fausto magistro fungenti legatione Constantinopolim dato : Nobis, inquit, opponunt canones dum nesciunt quid loquantur; contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ sedi sana, rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium. Nec de ejus unquam præceperunt judicio judicare, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi cujus potius sequenda decreta mandarunt. Ergo de judicio Romani præsulis non retractando, quia nec mos exigit, quod diximus comprobato: non negamus ejusdem sedis sententiam posse in melius commutari ; cum aut sibi subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum vel temporum seu gravium necessitatum dispensatorie quiddam ordinare decreverit. Quoniam et egregium apostolum Paulum quædam fecisse dispensatorie legimus, quæ postea reprobasse dignoscitur. Quando tamen illa Romana videlicet Ecclesia discretissima consideratione fieri delegerit, non quando ipsa quæ pene [bene] sunt diffinita retractare voluerit. .

Porro ne dicatis præter Ecclesiæ legem Ignatium, vel Photium Romam venire sanxisse ; scitote nos antiqui patris et prædecessoris nostri Julii in hoc esse secutos exemplum, qui juxta quod in epistola sua reperitur (*epist.* 1), his, qui convenerant Antiochiæ, hoc præcepisse dignoscitur : et Theodoritus historiographus in his hoc ipsum verbis ostendit (*lib.* II, *c.* 4) : Verum, inquiens, Eusebius ejusque consortes calumnias in Athanasium factas Julio Romano pontifici destinaverunt, qui ecclesiasticam sequens legem, etiam ipsos Romam venire præcepit, et venerabilem Athanasium ad judicium regulariter evocavit ; ille continuo evocatione suscepta venit.

Quod si ac hoc dicitis, Ille quidem vocavit, sed ipsi venire contempserunt, Audite sequentia, et videbitis utrum in laudem, an in vituperium ista sit illis reputata contemptio. Subjunxit enim idem historiographus dicens : Calumniarum vero sarcinatores Romam quidem profecti non sunt, scientes facile suum posse capi mendacium. Ne ergo dicatis nos præter Ecclesiæ legem præfatos Romam venire sanxisse : quoniam (sicut ex historiographo ecce audistis) beatus Julius et accusatum et accusatores Romam venire præcepit, et venerabilem Athanasium ad judicium regulariter evocavit. Sed ille, qui bonam conscientiam gerebat, nihil reluctans venit : illi vero, qui malam, contempserunt ; scientes profecto, sicut ibi legitur, facile suum posse capi mendacium. Quod nos quoque in Ignatio, ac Photio modo probabimus, quia conscientia se remordente, qui pavet, nobis obedire contemnet. Si tamen Ignatius, qui omni est humano destitutus præsidio, vestrum non impedimentum passus, sed potius fuerit misericorditer vestro qualiter venire possit, adjutus auxilio.

Porro, si venire illi per se nequeunt, primo quidem ipsi, cujus rei causa venire non valent, nobis per satisfactorias suas litteras indicent ; deinde veniant de his, qui cum Syracusano Gregorio sunt quotquot voluerint, vices cæterorum tenentes, qui ipsius sunt partis. Mittantur etiam de parte Ignatii archiepiscopi quidam Antonius Cyzici, Basilius Thessalonicæ, Constantinus Larissæ, Theodorus Syracusanorum, Metrophanes Smyrnæ, et Paulus episcopus Ponti Heracliæ, Hegumeni autem Niceta Chrysopoleos, Nicolaus Studii, Dositheus Osiidii atque Lazarus presbyter, et monachus qui dicitur Cazaris ; qui nisi fuerint missi, suspectos vos reddetis: quia hos in quibus certificari possimus, a nostris obtutibus subtrahere studiose curatis. Et ideo neminem cæterarum partium admittemus, nisi forte quos ex latere vestro destinatos esse veraciter valeamus agnoscere. Quibus ex utraque parte convenientibus, et coram nostra præsentia, ac fratrum et coepiscoporum nostrorum auditis, quid quæstionis inter utramque partem emerserit, facilius agnoscamus, et canonice finiamus. Mittat nihilominus et Photius ex sua parte quos decreverit, qui modum promotionis suæ irreprehensibilem et canonicum, si possunt, edoceant. Necnon et imperialis apex vester, si libet, suos e latere mittat aulicos, qui in præsentia positi, quem justitia et rectitudo utrisque partibus finem dederit, patenter agnoscant, vestræque pietati renuntient. Hi vero, qui ex latere vestro mittendi sunt, tales sint, qui et Deum timeant, et non sint ecclesiasticarum inexpertes traditionum, atque veritati obedienter et facile acquiescant.

Verum quia sunt quidam ex his, quos Romam venire præcipimus, qui nulla sua habentes solatia, nisi aliorum freti subsidiis, omnino tantum iter arripere nequeant, idcirco quasi præsentialiter clementiam vestram exoramus, ut quibus egent ad tam difficile atque prolixum iter, pro dilectione Dei misericorditer præstare dignemini. Credimus enim acceptum esse vobis istud consilium, nec moleste feret honor regius vester, qui justitiam diligit, pro his quæ taliter efficienda decrevimus : Quoniam justitia sæpius ventilata clarius splendescit in lucem. Proinde materiam, per quam veritas possit fieri manifesta, confidimus, quod pietas vestra benigne cupiat adjuvare. Cum autem legati vestri venerint, mittite quæsumus et epistolas authenticas, quas per Rhadoaldum, et Zacharium dudum episcopos misimus vestræ scilicet eminentiæ atque synodo, quæ tunc pro sacris imaginibus esse colligenda putabatur, quatenus si tales permaneant apud vos, quales a nobis constat fuisse

transmissas, apud nos investigentur : sicque de cætero falso dicentium, alia nos scripsisse præter quæ misimus,labia conticescant. Si vero quædam in eis habentur inserta, quæ nos scribi non jussimus, nec mitti voluimus, diligenter scrutemur, et cujus culpa sit actum,reperiamus. Est enim apud nos socia illarum duarum, quam apud nos (sicut jam supra diximus) retinuimus pro futuro scilicet testimonio, uuo tenore cum ipsis duabus exposita, et eisdem syllabis contexta per omnia.

Precamur etiam dilectionem vestram, ut nobis actionum authentica,in quibus continetur, qualiter Ignatius primitus sit existimatus depositus, destinare dignemini : et monumenta gestorum,quæ per Leonem a secretis misistis, quæsumus ipsa nobis authentica transmittite,tam illa videlicet,ubi de tyrannica exspoliatione Ignatii refertur, quam illa in quibus de imaginibus est agitatum,licet pene nihil, et a paucioribus præsulibus,quam in Ignatii putata depositione fuissent inventi. In quo datur intelligi, quod majus studium fuerit arreptum in læsione hominis, quam in laude Dei.

Jam vero si monitis nostris obedieritis,et quæ intimavimus adimplere studueritis, favente Domino, auctoritateque sanctorum principum apostolorum potiti, licentiam Christianissimæ,ac mansuetissimæ sublimitati vestræ concedemus,cum sancta catholica et apostolica Ecclesia,specialiter autem nobiscum, et cum consacerdote nostro Ignatio, et cum parte ipsius, communionis gratiæ participandi, excepta communione Gregorii Syracusani, et partis ejus, atque consentaneorum ipsius communione. Porro, si fortassis excellentiæ vestræ non placet, quod superius scripsimus pro mittendis ex utrisque partibus legatis, scitote nos nil convenientius, aut commodius, quam hoc fieri posse penitus invenisse.

Quamvis et ad hoc ipsum pro vestro imperiali amore, ne vobis existimemur in nullo satisfacere velle,condescendamus : Atque ne minus pacem Ecclesiæ nos velle sectari,quam semper voluimus,opinemini.Siquidem (ut prætulimus) nulla regula,nullaque consuetudo demonstrat, sedis apostolicæ semel prolatam sententiam,ipsa non annuente, ultra posse mutari. Nihil præterea est,quod vos avertere debeat, si placet, credite, quominus præfatos viros in nostram præsentiam dirigatis ad inquirendam scilicet justitiam et veritatem,Testis enim est nobis omnipotens Deus : quia non est in mente nostra quælibet intentio vel desiderium,nisi diligenter investigandi et inveniendi quid æquitas unicuique parti tribuat, et quid Ecclesiæ præsenti statui et futuro conveniat. Non ergo putetis nos aut Ignatio velle favere contra justitiam, aut Photium impugnare canonibus sibi non resistentibus.Certe perfectorum Christianorum est, non solum nulli velle nocere, verum etiam lædenti se malum pro malo non reddere (*Matth.* v ; *Rom.* xii). In quo ergo coram Deo loco,vel inter quos computaremur,si nil nobis contrarietatis irroganti inimicitias inferre appeteremus? Igitur dignetur credere pietas vestra, quoniam nec isti volumus in sua justitia contraire, nec Ignatio, non suffragantibus canonibus, et ecclesiasticis traditionibus, auxiliari.

Credimus autem in Domino,qui dixit de tenebris lucem splendescere, et qui dat homini scientiam : quoniam si partes, quas diximus,.ad illius limina pervenerint,qui mentientes Ananiam et Sapphiram gladio sancti Spiritus interemit (*Act.* v),si qua sunt incerta et abdita, revelabuntur, et manifesta fient : quia nos semper hoc in voto habemus,et inhianter desideramus,ut æqualitatem utrisque partibus servantes,nihil nisi quod sacri canones,nisiquod æquitas dictaverit,adjuvante Demino,statuamus, nullius detrimentum volentes,quanto minus periculum anhelantes? Quamobrem ergo jam quia sic se veritas habet, contra partem Gregorii Syracusani simus commoti,et in flagello profecti,si vultis agnoscere, dignanter audite : Videlicet quoniam non surdi fuimus auditores sancti evangelistæ, qui nobis refert, quod Redemptor noster flagellum fecerit de resticulis, et templum ingressus omnes in eo diverso modo male operantes ex ipso projecerit (*Joan.* xxi). Quod cernentes apostoli, potuerunt utique minus adhuc perfecti mirari, veluti forsitan nunc vos, quomodo tanta facilitate sacerdotes et cunctos malos operarios foras e templo pepulerit. Sed postea recordati sunt quia scriptum erat : *Zelus domus tuæ comedit me* (*Psal.* lxviii). Neque itaque inimicitiæ, non humanum odium,non ullum (Deo gratias) malignum desiderium nos contra præfatæ partis homines impulit,sed zelus domus Dei,zelus paternarum traditionum,ordo ecclesiasticus, antiqua consuetudo,atque sollicitudo, quam circumferimus, cunctarum ecclesiarum Dei : necnon et privilegia propriæ sedis, quæ in beato Petro suscepta divinitus, et in Ecclesiam Romanam derivata, universalis celebrat et veneratur Ecclesia,sicut prædiximus, nos accendunt,et silere, ac desides esse nequaquam permittunt.

Ergo cum ita sit,quoniam,ut veritatem dicamus, per omnia ita est,et si tempus indulgeret,mille quæ dicimus valeremus testimoniis demonstrare, et vobis ex probabilium scriptis virorum judiciis ostendere multiplicibus : nolite indignari,nolite adversus nos frustra causari, nolite perversorum hominum verba libenter audire, sed potius nos audite. Nolite nobis minas prætendere,quoniam nec illas,Domino protegente,metuimus,nec per has præcepta vestra, nisi divinis fuerint jussis ornata, faciemus. Parati autem sumus propter veritatem,sanguinem nostrum effundere,et siquidem plebem divinitus nobis commissam,nec vobis,nec ulli vestrum, propitio Christo, trademus.

Vestrum autem est considerare,utrum quod meditamini valeatis necne perficere.Cogitate itaque dies antiquos,et annos æternos in mente habetote (*Psal.* lxxvi) : et quid imperatores,qui persecuti sunt Ecclesiam Dei, et maxime Ecclesiam Romanam : id

est Nero. Diocletianus, Constantinus, Anastasius, et cæteri moris eorum pertulerunt,et ubi modo sint attendite diligenter,et quantum sit in Ecclesia Dei exsecrabilis fama eorum, et nomen detestabile sapienter advertite. Quanta autem Dei cultorum Augustorum, qui Ecclesiarum Dei exaltaverunt et præcipue Romanam,Constantini videlicet et Constantis, Theodosii quoque majoris et Valentiniani, et cæterorum laus in universali Ecclesia polleat,et eorum præconia ubique personent, et nomen eorum inter sacra mysteria imprætermisse commemoretur, attentius et sedule recordamini : sicque nos audire illos imitantes satagite : Patres enim vestri per gratiam Christi sumus, et vos tanquam charissimos diligimus filios : nec possumus vobis nisi viam veritatis ostendere : terrenam gloriam vestram augeri divinitus exoptamus.Sed quid peccamus, si cœlestem, ac æternam vos capessere nihilominus exoramus?

Quapropter attendat clementia vestra, quantus fuerat erga sedis apostolicæ reverentiam antecessorum vestrorum piorum duntaxat imperatorum,et præcipue quos longe superius memoravimus,amor et studium : qualiter eam diversis privilegiis extulerint, donis ditaverint, beneficiis ampliaverint : qualiter illam litteris suis honoraverint (ejus votis annuerint, instituta perficienda mandaverint), orationes petiverint,fidem sectandam decreverint : qualiter etiam legibus suis pro adunandis ei ecclesiis promulgaverint, pro colligendis conciliis, ac proferendis sententiis non imperaverint : sed precati et hortati solum exstiterint, et quæ illi decreverunt, ipsi consenserint, et quæ illi damnaverunt, ipsi respuerint. Sic ergo, fili charissime, sic et tua sublimitas non ex parte ingratorum et inobedientium filiorum existens, quod absit,sed hos inter cæteros Dei cultores Augustos imitata, quæ decrevimus de Constantinopolitana Ecclesia, obedienter attendat. Ista quæsumus suadentibus sæpius nobis pietas vestra nos minime spernat,præ oculis habitis Domini verbis, dicentis : *Qui audit vos, me audit, et qui vos spernit, me spernit, et qui me spernit* (*Luc.* x), etc. Denique et concordans Apostolus Domino nostro : *Quapropter*, ibquit, *qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum suum sanctum in nobis* (*I Thess.* iv). Verum si vos nos spernendos esse ducitis,nos tamen non possumus ea, quæ Dei sunt,spernere et negligere, quo minus et saluti vestræ consulamus,et de acceptione talenti crediti nostrum periculum declinemus, dispensatione nobis cœlestis seminis injuncta : Væ si non sparserimus! væ si tacuerimus! (*I Cor.* ix).

Quod cum electionis vas formidet et clamet, quanto magis cuilibet exiguo metuendum est? Proinde,sicut non leve discrimen incumbit pontificibus siluisse pro divinitatis cultu et Ecclesiæ correctione quod congruit, ita his, quod absit, non mediocre periculum est,qui cum debeant parere, despiciunt. Et si unctis generaliter sacerdotibus divina tractantibus fidelium convenit corda submitti; quanto potius sedis illius pontifici consensus est adhibendus, quem cunctæ Ecclesiæ generalis jugiter pietas celebravit? Ubi clementia vestra evidenter advertit, nunquam quovis penitus humano consilio elevare se quemquam posse contra illius privilegium, vel confessionem, quem Christi vox prætulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, et habet devota primatem : impelli non valent humanis præsumptionibus quæ divino sunt judicio constituta. Desinant ergo rogamus, temporibus vestris quidam per occasionem perturbationem ecclesiasticam præcipitanter appetere, et quæ non liceat ambire : alioquin et quod male appetiverint, non perfruentur, et ipsam quoque Christianitatem, nisi resipuerint, prorsus amittent, Vos autem, quæsumus,nolite præjudicium Dei Ecclesiæ irrogare : illa quippe nullum imperio vestro præjudicium infert, cum magis pro stabilitate ipsius æternam divinitatem exoret, et pro incolumitate vestra et perpetua salute jugi devotione precetur.Nolite quæ sua sunt usurpare : nolite quæ ipsi soli commissa sunt velle surripere : scientes, quia tanto nimirum a sacris debet omnis mundanarum rerum administrator esse remotus,quanto quemlibet ex catalogo clericorum, et militantium Deo nullis convenit negotiis sæcularibus implicari.Denique hi,quibus tantum humanis rebus et non divinis præesse permissum est, quomodo de his,per quos divina ministrantur,judicare præsumant, penitus ignoramus.

Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typice reges simul et sacerdotes existerent : quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia : quodque in membris suis diabolus imitatus,ut pote qui semper quæ divino cultui conveniunt, sibimet tyrannico spiritu vindicare contendit,ut pagani imperatores iidem et maximi pontifices dicerentur. Sed cum ad verum [*nempe*, Christum, Hard.] ventum est, eumdem regem atque pontificem, ultra sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit. Quoniam idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis, et dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit,propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi, ut et Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur : quatenus spiritalis actio carnalibus distaret incursibus.

Et ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret (*II Tim.* ii), ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus, ut et modestia utriusque ordinis curaretur,ne extolleretur utroque suffultus, et competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. Quibus omnibus rite collectis, satis evidenter ostenditur a sæculari potestate nec ligari prorsus,nec solvi posse pontificem,quem con-

stat a pio principe Constantino, quod longe superius memoravimus, Deum appellatum, nec posse Deum ab hominibus judicari, manifestum est. Sed et Theodosius minor sanctæ synodo scribens Ephesinæ primæ, dicit : Deputatus est igitur Candidianus magnificentissimus comes strenuorum domesticorum transire usque ad sanctissimam synodum vestram, et in nullo quidem quæ faciendæ sunt de piis dogmatibus quæstiones, seu potius expositiones communicare. Illicitum namque est eum, qui non sit ex ordine ssnctissimorum episcoporum, ecclesiasticis intermisceri tractatibus.

Quid præterea hinc Romani præsules sentiant, quid Latini, Græcique doctores hinc exponant, quid denique Maximus venerabilis monachus, et in illo tempore apud vos pene solus catholicus in disceptatione sua perhibeat, quoniam longum est scribere, interrogate seniores, qui tamen moribus seniores sunt, et dicent vobis. His itaque manifeste repertis, apparet comministrum nostrum Ignatium per imperialem tantummodo sententiam nullo modo potuisse prorsus expelli. In cujus damnatione, quia præsulum quoque assensus est subsecutus, apparet id causa fuisse patratum adulationis, non legitimæ sanctionis. Siquidem in tantum vestra sententia præsulum præcessit sententiam, ut non solum vestro sit jussu a credita sibi ante omnem interrogationem idem antistes pulsus ecclesia, verum etiam postea in damnatione ipsius (sicut gesta illius latrocinalis synodi, quæ nobis per Leonem illustrem a secretis misistis, indicant) quod nunquam, ni fallimur, aliquando fuit actum, primi et ante omnes scripseritis episcopum. His ita prælibatis sub conspectu Dei, pure, sincereque pietatem vestram deprecamur, obtestamur, exhortamur, ut petitionem nostram non indignanter accipiatis.

Rogamus denique, ut nos in hac vita potius audiatis deprecantes, quam, quod absit, in divino judicio sentiatis accusantes. Et ideo nolite, precamur, irasci si vos tantum diligimus, ut regnum, quod temporaliter assecuti estis, velimus vos habere perenne : et qui imperatis sæculo, positis regnare cum Christo. Nam qua fiducia, rogamus, illic Dei præmia petituri estis, cujus hic Ecclesiæ detrimenta non prohibetis? Non sint gravia, quæsumus vos, quæ pro vestræ salutis æternitate dicuntur. Scriptum legitis : *Meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta oscula inimici* (*Prov.* XXVII). Deus omnipotens cor imperii vestri ad intelligenda quæ dicimus, clementer aperiat, et nobis obedire in his de quibus scribimus, impetrare nutu intimæ inspirationis suæ dignetur, Christianissime et dilectissime fili.

Quisquis autem hanc epistolam nostram Constantinopoli legerit et augustissimo filio nostro imperatori Michaeli quidquam ex his, quæ in ea scripta sunt occultaverit, si locum apud illum potest invenire sufficientem, anathema sit (*epist.* 10). Quisquis etiam interpretatus eam fuerit et ex ea quidquam mutaverit, vel subtraxerit, aut superaddiderit, præter illud quod idioma Græcæ dictionis exigit, vel interpretantis scientia [*lege ut in epist.* 10 : interpretanti scientiam, etc. HARD.] intelligendi non tribuit, anathema sit.

Hæc quidem, quæ hucusque per periochas novem sunt scripta, prius acta, et a nobis per quosdam fraternæ generalitati vestræ intimanda snnt missa, præter epistolam illam apostolatus nostri, quam Michaeli excellentissimo imperatori per quemdam ipsius legatum, qui se protospatharium appellabat, nomine Michaelem, transmisimus. Postea vero cum cognovissemus, quia penes hos, qui nolunt sanis acquiescere monitis, nihil solum scribendo proficiebamus, ratum duximus, per legatos nostros, et iteratas litteras ea rursus quæ videbantur Ecclesiæ profutura mandare, hujus rei gratia direximus Constantinopolim Donatum sanctissimum episcopum, et Leonem venerabilem presbyterum, atque filium nostrum Marinum diaconum : quatenus hi, qui litteris admoniti parere refugiunt, veritati, saltem verbis salutaribus eonventi, discant tandem divinis institutionibus minime resultare. Quibus in scriptis dedimus, quæ habentur in subditis, quæque per tres periochas distinguenda fore decrevimus. Prima utique harum est, quæ et decima hujus est periocha voluminis, continens epistolam ad jam memoratum Augustum transmissam, et alteram ad episcopos ac cæteros ordines Constantinopoli subjectos. Secunda vero periocha est, quæ hujus corporis undecimum complet locum, habens in se duas epistolas : unam Photio, et alteram Bardæ fautori ejus descriptam. Porro tertia est, quæ et duodecima istius est codicis periocha, circumferens in se fratri et coepiscopo nostro Ignatio, et matri imperatoris, atque uxori ejus singulas missas epistolas : necnon et epistolam uniformem, quam quibusdam claris urbis Constantinopolitanæ senatoribus singillatim scribendam, atque mittendam fore prævidimus.

LXXXVII.

AD REMBERTPM ARCHIEPISCOPUM HAMMABURGENSEM.

(Anno 865.)

Pallii usum concedit.

[Apud Lappemberg, *Hamburgisches Urkundenburch*, Hamburgi 1842, p. 29 *seqq.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro RIMBERTO, archiepiscopo Hammaburgensi.

Si pastores ovium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, et ut ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant : quanto sudore, quantaque cura debemus esse pervigiles, nos, qui pastores animarum dicimur, attendamus et susceptum officium exhibere erga custodiam Dominicarum ovium non cessemus, ne in die divini examinis pro nostra desidia ante summum pastorem negligentiæ reatus excruciet. Unde modo honoris reverentia sublimioris inter cæ-

teros judicamur. Pallium autem fraternitati tuæ ad missarum solemnia celebranda concedimus, quod tibi non aliter, Ecclesiæ tuæ privilegiis in suo statu manentibus, uti largimur, nisi solummodo in die sanctæ ac venerandæ resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, seu in natalitiis sanctorum apostolorum, atque beati Baptistæ Joannis, necnon in assumptione beatæ Dei genitricis Mariæ, simulque in Dominicæ Domini Dei nostri nativitatis die, pariterque in solemnitatis Ecclesiæ tuæ die, verum etiam et in ordinationis tuæ natalitio concedimus die, sicuti a beatissimo prædecessore nostro domino Gregorio, hujus almæ sedis præsuli, sancitum est. In secretario vero induere tua fraternitas pallium debeat, et ita ad missarum solemnia proficisci, et nihil sibi amplius ausu temerariæ præsumptionis arrogare, ne dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripiatur, ordinate etiam, quæ licere poterant, amittantur. Cujus quoniam indumenti honor modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur ut et cuncta ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo recte utrobique possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sit regula; in ipsa, si qua fortitudo illis injecta est, dirigatur, in ea, quod imitentur, aspiciant; in ipsa se semper considerando proficiant, ut tuum, post Dominum, videatur esse, bene quod [*f.*, esse bonum quo] vixerint. Cor ergo neque prospera quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa deficiant, sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincatur. Nullum apud te locum odia, nullum favor indiscretus inveniant; districtum mali cognoscant; insontem apud te culpabilem suggestio mala non faciat, nocentem gratia non excuset; remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod ultus non fueris, perpetrari permittas. Sit in te et boni pastoris dulcedo, sit et judicis severa districtio, unum scilicet quod innocenter viventes foveat, aliud quod inquietos feriendos a pravitate compescat. Sed quoniam nonnunquam præpositorum zelus, dum districtus malorum vult vindex existere, transiit in crudelitatem correptio, iram judicio refrena et censura disciplinæ sic utere, ut et culpas ferias, et a dilectione personarum, quas corrigis, non recedas. Misericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibe, oppressis defensio tua subveniat, opprimentibus modesta correctio contradicat, nullius faciem contra justitiam aspicias, nullum querentem justa despicias. Custodia in te æquitatis excellat, ut nec divitem potentia sua aliquid apud vos extra viam suadeat rationis audere, nec pauperem de re sua faciat humilitas desperare. Quatenus Deo miserante talis possis existere, qualem sacra lectio præcipit dicens : *Oportet episcopum irreprehensibilem esse*. Sed his omnibus uti salubriter poteris, si magistram charitatem habueris, quam qui secutus fuerit a recto aliquando tramite non recedit. Ecce, frater charissime, inter multa alia ista sunt sacerdotii, ista sunt pallii, quæ si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Fidem autem tuam, quam intus epistolis breviter ascripsisti licet latius explanare debueras, Redemptori tamen nostro gratiam agimus, quod eam in ipsa jam brevitate rectam esse cognovimus. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet, atque ita in timoris sui via nos dirigat, ut post vitæ hujus amaritudines ad æternam simul pervenire dulcedinem mereamur.

Scriptum per manum Zachariæ, scriniarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Decembre, indictione XIV.

LXXXVIII.

AD BERNARDUM ILLUSTREM VIRUM FILIUM BERNARDI QUONDAM BARCINONENSIS COMITIS.

Fragmentum. — (Anno 865.)

Illum ob deprædationes multas corripit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Curæ quam pro cunctis Dei Ecclesiis circumdu-cimus officium nos cogit pro universorum Christianorum salute fore sollicitos. Quamobrem et de te quoque providentiam agentes, audimus, quod non optabamus, ita te contra Deum efferri ut Christianum populum deprædans in regno filii nostri gloriosi regis Caroli numerosa mala exerceas, adeo...

LXXXIX.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 866.)

Synodum pro causa Wlfadi, et sociorum ejus, apud Sucssionem convocari jubet.

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Hincmaro archiepiscopo Rhemensi.

Multorum a partibus Galliarum ad limina vel sedem confluentium apostolicam relatione didicimus, sanctitatem tuam quosdam clericos, qui de consecratione fuerant Ebbonis quondam Rhemensis antistis, propriis gradibus pepulisse. Quorum dejectionem audientes, quia etiamsi nullo speciali privilegio ad hanc curandam principaliter incitaremur, oppressis tamen subvenire, et ad exemplum Dominicum elisos erigere et compeditos solvere nos oportet (*Psal.* CXLV), operæ pretium duximus in archivis sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ studiosius quærere, et si scripto forte memoria quælibet apud nos, sive de illis, sive de ordinatore ipsorum esset recondita, diligenter investigare, quod et fecimus. Siquidem ex his quibusdam Deo revelante repertis, nihilominus etiam concilii quod nobis ipse misisti, videlicet in quo præsignati clerici degradati sunt, acta relegimus. Sed his omnibus, id est tam illis monumentis, quæ penes nos habentur, quam his quæ sanctitas tua nobis destinavit, rite collectis, enucleanterque recensitis, nondum liquido patet eosdem clericos regulariter gradu proprio caruisse. Verum nos nec hos interim justificamus, nec

pro hoc quemlibet condemnamus,nec facile vocem istorum spernimus, nec reverentiam tuam improvide reprehendimus.Illud quidem, ne obturare aures ad clamores pauperum,id est humilium,dignoscamur : hoc vero, ne de incognitis immature judicare quippiam videamur.Proinde necessario præsentis epistolæ salubribus fraternitatem tuam hortamur affatibus, ubi commemoratos viros, Wlfadum scilicet, collegasque ipsius, clementi anno et tranquilla studeat ad se magnamitate vocare, depositaque omni funditus animositate,de restitutione ipsorum secum fraterne tractare, atque misericorditer consummare contendat. Laudabilius quippe judicavimus, ac coram Deo acceptius esse credidimus, si respectu divinitatis interrogata conscientia solus illorum restaurationem sine quavis ipse refragatione admiseris, quam si prius renitens, detecta tamen justitia cum multis hanc postea fueris amplexatus. Jam vero si flecti ad hoc te munda conscientia non permittit, præcipimus fratres nostros, Remigium Lugdunensem, Adonem Viennensem, Wenilonem Rothomagensem, una cum cæteris archiepiscopis et episcopis Galliarum et Neustriæ, quibus tamen possibilitas est, in idipsum cum beatitudine tua,et suffraganeorum tuorum, apud Suessionem urbem diœceseos tuæ parîter convenire. Ad quorum venerandum conventum Wlfadum quoque, cum jam præsignatis paribus ejus,vos accersire procul dubio volumus. Siquidem omnibus, videlicet tam archiepiscopis et episcopis, quam ipsi Wlfado et sociis ejus, nostras hoc jubentes litteras destinavimus. Ubi canonice per ordinem cuncta,quæ in eis gesta sunt, examinantes et subtilius investigantes, si de illorum reformatione justum quid vel pium senseritis,sine contradictione perficite, et eos in suis ordinibus restituite. Præterea si disceptantibus,vel fortassis alia atque alia decernentibus vobis, præfati dejecti sedem appellaverint apostolicam, et ejus speciali se judicio damnari vel absolvi petierint, præcipimus ut si sanctitas tua, vel si Wlfadus, aut socii ejus, ad nos venire per se non possunt, vicarios vestros ad hoc negotium ventilandum et finiendum,mox post consummatum concilium xv Kalendas Septembres præsentis XIV indictionis auctoritate nostra collectum, vestras præsentaturos personas, nullam penitus excusationem prætendentes, utrique ad sedem B. Petri emittatis. In quo ne forte sinistra cogitatio subrepat, dicens eosdem remotos clericos nullam jam vocem proclamationis habere,pro eo quod anni metas tempus dejectionis eorum excesserit : sciendum est,nihil tale in canonibus,ubi de appellationibus ad Romanum præsulem legitur, penitus reperiri : alias autem et istos forsitan intra annum provocasse clarebit. Denique, sicut epistola penes nos inventa sanctæ memoriæ quarti papæ Leonis innuit, sedem apostolicam eos appellasse jam non incunctanter agnovimus.Quamvis longe inter se diversa sit omnimoda depositio,de qua nunc agitur,et suspensa excommunicatio,cujus vocem proterve utique clamantem, non humiliter petentem,post annum non audiendam quædam regula statuit. Quia vero nonnulli, Pharaonem ministrosque ipsius imitantes, sæpe cum senserint oppressos quosque atque dejectos, de suis necessitatibus, sicut olim Israel filios, vociferari, iniquis eos operibus opprimunt,et oneribus exquisitis affligunt: idcirco coram Deo sanctitatem tuam admonemus,ut cum fortassis nostris apicibus animati,crebro dicti viri dejectionis suæ causam venire ad examen obtinuerint, nullam ex his quilibet indignationem tuam sustineat, nullum ad cœpta peragenda per suggestionem reverentiæ tuæ patitur incommodum. Sed dicturus es, sedis apostolicæ te privilegia confirmantia quæ de ipsis statuta sunt viris habere. Bene, argute. Sed si penes te, sicut exemplaria quæ apud nos rejacent, fideliter reservantur, et ea diligenter relegeris, profecto reperies quia summa firmitasque ipsorum in apostolicæ sedis reservata sit arbitrio potestatis.Nimirum quæ sic aliena jura custodit,ut sua non minuat:sic honorem debitum dat, ut suum non tribuat alienis : sicque dilectionem tuam rexit ab hoste,ut ipsa se flagitantium exhiberi nequeat hostis. Unde sicut nos contra cunctos adversantes tibi, Deo juvante, clypeum protectionis nostræ parati sumus opponere : ita fraternitas tua studeat his qui apostolorum suffragia postulant,benigno semper favore succurrere,et arma quæ contulimus sic pro te sint valida.ut totius pro nobis,ubi necesse est, non contra nos, roboris firmitatem obtineant. Agat igitur in his fraternitas taa,ut præter debitam obedientiæ reverentiam, quantus sit in mente tua circa nos amor,qui auro et lapidibus pretiosis potior est, luce clarius innotescat, et per horum exhibitionem det speciale suæ charitatis indicium:et quæ intus nonnunquam solummodo flagrat, in his propriæ nunc radios suæ claritatis foras emittat. Porro scito nos fratri et coepiscopo nostro Remigio Lugdunensi antistiti præcepisse, ut te prius adiens nostras dilectioni tuæ litteras porrigat:et sic demum,si restitutioni præfatorum consentire solius tuæ auctoritatis ausu vereris,ad convocandum statutum sententia nostra jam designatum concilium epistolas nostras sibi delatas quibus a nobis destinatæ sunt mittere satagat. Quidquid vero in concilio fuerit a vobis examinatum atque repertum, sub gestorum serie discretioni nostræ, sicut veneranda decreta statuunt, mittere, et nostræ auctoritati quæ salubria videbuntur roboranda,plena fidelique relatione dirigere. Ad extremum vero provide, ne ullo pacto quod de præfatis remotis clericis sanximus æstimes negligendum cum a nobis incunctanter nosse poteris,si contemptum fuerit,omnimodis ulciscendum, quippe quos nec charitas fraternitatis, nec dispensatio loci, cui Deo auctore præsidemus,quousque regularem finem opitulante ipso capiat, a nobis patitur omittendum. Optamus sanctitatem seu fraternitatem tuam in Christo bene valere. Data III Nonas Aprilis, indictione XIV.

XC.

AD HERARDUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

(Anno 866.)

Præcipit ut nisi Hincmarus Wlfadum et socios suis gradibus ultro restituat, concilium Suessione ad XV *Kalend. Septembres convocetur, in eoque restituatur.*

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro HERARDO Turonensi archiepiscopo, seu omnibus venerabilibus episcopis diœceseos tuæ.

Multorum a partibus Galliarum ad limina vel sedem confluentium apostolicam relatione didicimus, fratrem nostrum Hincmarum Rhemensem archiepiscopum quosdam clericos, qui de consecratione fuerant Ebbonis præcessoris sui, propriis gradibus pepulisse. Quorum dejectionem audientes, quia etiamsi nullo speciali privilegio ad hanc curandam principaliter incitaremur, oppressis tamen subvenire, et ad exemplum Dominicum elisos erigere, et compeditos solvere nos oportet (*Psal.* CXLV): operæ pretium duximus in archivis sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ studiosius quærere, et si scripto forte memoria quælibet apud nos, sive de illis, sive de ordinatore [ordinatione] ipsorum, esset recondita, diligenter investigare, quod et fecimus. Siquidem ex his quibusdam Deo revelante repertis, nihilominus etiam concilii, quod nobis ipse misit frater et coepiscopus noster Hincmarus, videlicet in quo præsignati clerici degradati sunt, acta relegimus. Sed his omnibus, id est tam illis monumentis quæ penes nos habentur, quam iis quæ idem antistes nobis destinavit, rite collectis, enucleanterque [enucleate] recensitis, nondum liquido patet eosdem clericos regulariter gradu proprio caruisse. Verum nos nec hos interim justificamus, nec pro hoc quemlibet condemnamus: nec facile vocem istorum spernimus, nec reverentiam jam dicti fratris improvide reprehendimus. Illud quidem, ne obturare aures ad clamores pauperum, id est humilium, dignoscamur: hoc vero, ne de incognitis immature judicare quidpiam videamur. Proinde necessario epistolæ nostræ salubribus eumdem communem fratrem nostrum hortati sumus affatibus, uti commemoratos viros, Vulfadum scilicet collegasque ipsius, clementi animo et tranquilla studeret ad se magnanimitate vocare, depositaque omni funditus animositate, et de restitutione ipsorum secum fraterne tractare, atque misericorditer consummare contenderet. Laudabilius quippe judicavimus, ac coram Deo acceptius esse credidimus, si respectu divinitatis interrogata conscientia, solus illorum restaurationem sine quavis ipse refragatione benignus admitteret, quam si prius renitens, detecta tamen justitia, cum multis hanc postea sequeretur. Jam vero, si hunc fleti ad hoc munda conscientia non permittit, præcipimus vos, una cum cæteris archiepiscopis et episcopis Galliarum et Neustriæ, quibus tamen possibilitas est, in idipsum, cum prædicto fratre et coepiscopo nostro Hincmaro et suffraganeis ejus, apud Suessonicam urbem pariter convenire. Ad quorum venerandum conventum Wlfadum quoque cum jam præsignatis paribus ejus vos accessere procul dubio volumus. Siquidem omnibus, videlicet tam ipsi crebro nominato antistiti, ac reliquis archiepiscopis et episcopis, quam Wlfado et sociis ejus, nostras hoc jubentes litteras destinavimus. Ubi canonice per ordinem cuncta quæ in eis gesta sunt examinantes, et subtilius investigantes, si de illorum reformatione justum quid vel pium senseritis, sine contradictione perficite, et eos in suis ordinibus restituite. Præterea si disceptantibus, vel fortassis alia atque alia decernentibus vobis, præfati dejecti sedem appellaverint apostolicam, et ejus speciali sejudicio damnari vel absolvi petierint, præcipimus, si sæpedictus frater et coepiscopus noster Hincmarus, vel Wlfadus aut socii ejus, ad nos venire per se non possunt, vicarios suos ad hoc negotium ventilandum et finiendum, mox post consummatum concilium XV Kalendas Septembris præsentis XIV indictionis auctoritate nostra collectum, eorum præsentaturos nobis personas, nullam penitus excusationem prætendentes, utrique ad sedem beati Petri transmittant. In quo ne forte sinistra cogitatio subrepat, dicens eosdem remotos clericos nullam jam vocem proclamationis habere, pro eo quod anni metas tempus dejectionis eorum excesserit, sciendum est nil tale in canonibus, ubi de appellationibus ad Romanum præsulem legitur, penitus inveniri. Alias autem et istos forsitam ante annum provocasse clarebit. Denique, sicut epistola penes nos inventa sanctæ memoriæ quarti papæ Leonis innuit, sedem apostolicam eos appellasse jam nos incunctanter agnovimus. Quamvis longe inter se diversa sint omnimoda depositio, de qua nunc agitur, et suspensa excommunicatio, cujus vocem, proterve utique clamantem, non humiliter petentem, post annum non audiendam quædam regula statuit. Sed ad hæc crebro dictus antistes dicturus est, sedis apostolicæ se privilegia, confirmantia quæ de ipsis statuta sunt viris, habere. Bene et argute. Sed si penes illum sunt exemplaria, sicut jactat, quæ apud nos fideliter reservantur, et ea diligenter relegerit, profecto reperiet, quia summa firmitasque ipsorum in apostolicæ sedis reservata sit arbitrio potestatis. Nimirum quæ sic aliena jura custodit, ut sua non minuat: sic honorem debitum dat, ut suam non tribuat alienis: sicque dilectionem ejus texit ab hoste, ut ipse hanc flagitantium exhiberi nequeat hostis. Nam et arma illi a nobis collata ita volumus pro eo sint valida, ut potius pro nobis, ubi necesse est, non contra nos firmitatem obtineant. Siquidem etiam ab eo privilegiorum apostolicæ sedis decreto non habito, quæ sanctitas ejus statuit, nos violanda non ducimus, nisi forsan sacris legibus inveniantur adversa. Porro scitote nos fratri et coepiscopo nostro Remigio Lugdunensi antistiti præcepisse, ut si restituendi præfatorem frater episcopus noster Hincmarus con-

sentire solius suæ auctoritatis ausu veretur, ad convocandum statutum sententia nostra jam designatum concilium, epistolas nostras sibi delatas vobis, quibus a nobis destinatæ sunt, mittere satagat. Quidquid vero in concilio fuerit a vobis examinatum atque repertum, sub gestorum serie discretioni nostræ, sicut veneranda decreta statuunt, mittite, et nostræ auctoritati quæ salubria videbuntur roboranda plena fidelique relatione dirigite. Optamus fraternitatem vestram in Christo nunc et semper bene valere. Data III Nonas Aprileis, indictione XIV. *Et hoc tenore constantes missæ sunt aliis episcopis diversarum provinciarum.*

XCI.

AD FESTINIANUM EPISCOPUM DOLENSEM.

(Anno 866.)

Redarguit eum quod sibi cum debita reverentia non scripserit, mandatque ut Turonensem Ecclesiam metropolitanam agnoscat, nisi contrarium scriptis authenticis probet.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Dilectionis vestræ, quanquam sine impressione signaculi nominis alicujus, susceptis apicibus, multo aliter quam apostolatus nostri monueramus litteris, in eis vos scripsisse, imo egisse cognovimus. Nam in fronte paginæ vestræ vestrum apostolico nomini non veriti estis præponere, temeritate potius quam simplicitate prorsus utentes. Sed cum jam pro hoc ipso factum vestrum reprehenderimus, valde miramur cur non resipiscitis, modum vestrum minime transcendentes, et quo non congruit, gressus ducentes : pro quibus sine congrua invectione, non jam evaderitis, nisi nos utrum a vobis, an non iidem apices destinati essent, qui signo vestro carere videbantur, intentio dubios redderet, et apostolica mansuetudo correctionis adhuc tempus more solito protelaret; quod tamen evidenter, quantum correctioni ecclesiasticæ pro tam præsumptiva factione subjacere pavescitis. Monueramus siquidem vos, qui pallii usum quæritis Dolensi Ecclesiæ destinari, ut scripta illa quæ ab apostolica nostra sede prædecessores vestri in susceptione pallii perceperant, nobis direxissetis; quatenus nos, eisdem diligenter inspectis, per decessorum nostrorum vestigia gauderemus, subjungentes, ut epistolæ, quatenus magis creduli redderemur, cum episcopali et regia bulla signatæ, et missus vester idoneus scripta ipsa subsequerentur; sed vos fare id distulistis. Postremo contentione apud Britannos, quis fuerit metropolitanus, oborta, statuimus, ut ad Turonicam sedem, quam metropolim vestram esse plurium judicia demonstrant, recurretis, aut ad apostolatum nostrum destinare contenderetis, quatenus quæ fuerit apud vos metropolitana Ecclesia appareret. Sed neutrum horum perficere voluistis. Quapropter quia Turonensis Ecclesia, quantum comperimus, metropolis vestra est, restat, necesse est ut ipsam vestri sequantur episcopi, ipsamque in suis negotiis adeant, et ipsius judicium exquirere non detrectent, sicut se habent monumenta decessorum nostrorum pontificum et priorum exempla evidenter ostendunt. Quia vos, qui tantum septem episcopos habetis, quæ causa ecclesiasticæ traditionis vos sinat habere metropolim, ignoramus; præcipue cum episcopus non a septem, sed a duodecim audiri præcipiatur; et cum alicujus negotii inter vos causa ventilanda emerserit, quæ duodenario numero episcoporum debeat audiri, cum ob divisionem regni vicini non possint vocari antistites; unde fit ut damna Ecclesiæ pro talibus generentur, quemadmodum factum in illis de episcoporum dejectione reminiscimur regionibus. Vos tamen ne vocemini metropolitanus, quousque scripta decessorum vestrorum præsulum, quæ in acceptione pallii vestri perceperunt prædecessores nobis mittatis : quia si pallii munus ab hac sancta sede vestra promeruit Ecclesia, sine scriptione aliqua, quam in archivis vestris recondere debuistis, tantæ dignitatis donum concessum minime vobis fuit. Scripsistis præterea nobis ut hujus Romanæ sanctæ Ecclesiæ præsul Severinus Restoaldum decessorem vestrum, sicut in nostris legitur gestis, in archiepiscopum consecrasset, et Adrianus cuidam Juthinaleo pallium dedisset. Sed nos utrorumque gestis revolutis nihil in eis super his penitus valuimus reperire. Tamen ut anceps intentio e medio auferatur, si adeo contentiosius agere vultis, ut Turonensem sedem vestram metropolim non esse dicatis; sancimus, ut diximus, mandantes fratri et coepiscopo nostro Heraldo, qui ei præsidet, ut ad nostrum pontificium legatum suum transmittat; cum eo strenuos vestros dirigatis legatos, pariterque scripta, quæ protulimus, destinantes, quatenus utriusque partibus coram nobis auditis, æqua lance causa librata, quæ sit apud vos metropolitana Ecclesia luce clarius agnoscatur. Datum XVI Kalendas Junias, indict. XIV.

XCII.

AD SALOMONEM REGEM BRITANNORUM.

(Anno 866.)

Recusat mittere pallium Festiniano Dolensi episcopo, donec authenticis scriptis de illius jure convincatur.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Lectis gloriæ vestræ litteris, quas nostro præsulatui sine impressione signaculi alicujus dirigere visi estis, reperimus in eis vos nobis mandasse, quod et ante vos sæpe mandastis, scilicet ut pallium Festiniano venerabili Dolensi antistiti ab apostolica sede, cui divinitus præsumus, mitteremus. Sed antequam ad hæc consulta aliqua rescriberemus, convenerat nobis pro hoc quod nomen vestrum apostolico nomini scribendo præposuistis vos modesta increpatione corrigere. Tamen quia apostolica mansuetudo neminem repentina unquam invectione redarguit, et per negligentiam forte scriptoris hoc evenisse utcunque cognovit, distulit vos modo pro meritis coercere, quod tantum volumus emendetis,

quantum correctioni ecclesiasticæ pro tam præsumptiva factione subjacere formidatis. De pallii vero directione, quam dicitis, simulque Turonensi metropoli, sæpius vobis ea quæ rationis sunt scripsimus; sed sicut in litteris vestris relegimus, ad scripta nostra auris non cordis inclinastis intuitum. Restat ergo ut tandem quæ sit apud vos antiquitus metropolis intueamini. Metropolis enim vestra est, sicut dudum vobis significavimus, Turonensis Ecclesia, ut sese habent munita prædecessorum nostrorum, et priorum exempla ostendunt, ad quam vestræ regionis episcopos oportet recurrere, et ejus judicii sententiam, reservata sedis apostolicæ potestate, exquirere modis omnibus, non detrectare. Quoniam reprehensibile esse videtur ut ob divisionem regni quis sibi talia, quia inter vos audiuntur, vindicare nitatur. Quapropter, fili mi, ne præbeatis ista volentibus assensum, sed et alios ad verba vestra per exemplum obedientiæ accendatis; et sicut ait Apostolus, *humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore* tribulationis (*I Petr.* v, 6). Quia si monitis nostris obedientes exstiteritis, omnibus bonis replebimini, et post finem hujus sæculi regnum quod vivit in æternum, orantibus sanctis apostolis, capietis. Porro si aliquas auctoritates habetis quæ apud Britannos metropolim fuisse declarent, aut decessorum nostrorum pontificum quæcunque scripta id ostendentia retinetis, ad nos ea dirigite. Mittat etiam et Turonensis Ecclesia nobis similiter, si habet, auctoritates, quæ illam suffraganeam suam exstitisse testentur, quatenus utrisque partibus auditis, inter utramque quæ sit metropolis cognoscamus. Quia sicut vos clamatis, et illa clamat, metropolitanatus jura apud Britannos regni istius tenuisse atque tenere. Aut si forte sæpedicta Ecclesia auctoritates, aut vestra quas habuit perdidit, amissionis illius modum reserare, aut ex utriusque partibus idoneos præcipuosque legatos, qui sciant plenam de omnibus reddere nobis rationis integritatem, nobis transmittite, ut, sicut prædiximus, inter vos, adjuvante Domino, finem ponamus.

XCIII.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS.

(Anno 866.)

Iterum admonet de sententia excommunicationis, quam adversus Waldradam ejusque complices promulgarat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis confratribus nostris archiepiscopis et episcopis per Italiam, Germaniam, Neustriam et Gallias constitutis.

Decreveramus quidem circa Waldradam mœcham, et pertinaciter in impenitentia permanentem, vindictæ modum minus districte quam misericorditer temperare, et juxta quod merebatur, non ita pro tanto scelere sententiam in eam justæ punitionis proferre, nisi obstinato animo perenniter in mœchiæ volutabro permanere proposuisset, et nullis sacris monitis, nullis nostris seu vestris tam crebris exhortationibus se paratam exhibere. (*a*) Quia tamen non sua voluntate factum sit, Deo, qui cor considerat, et fidelibus ejus per omnia manet certissimum: cum sua sponte hactenus, si potuisset, imo perpetuo in tanto flagitio permansisset, nisi nostra super hoc abolendo fuisset cum virtute summi opificis incessabilis diligentia, et socii ejus, proh nefas! scilicet secum admittendis quomodocunque inclinatior exstitisset obedientia. Patet profecto ita esse quæ dicimus, cum hactenus culpam suam necdum cognoverit, nec confessa sit, juxta quod scriptum est: *Dic tu iniquitates tuas primus, ut justificeris* (*Isa.* XLVIII, *sec. Sept.*): nec missa nobis, qui causam ipsius exsequendam cœpimus, lamentationum legatione, veniam postulaverit, præmissoque pœnitentiæ remedio congruam meruerit indulgentiam, Salomone dicente: *Qui celat delicta, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et dimiserit ea, misericordiam consequetur* (*Prov.* XVII). Postremo cum recto itinere nos illi fuerat adeundum, et sedis beati Petri suffragia requirenda, quatenus juxta quod statutum fuerat, nos de ejus negotio Deo placita consideratione definiremus: postea retro est conversa post satanam, et in provinciam ut principaretur in ea iter reflexit: licet industria legati nostri ad Italiam denuo revocata sit, et quasi nihil fuerit operata, unde in Christi sit Ecclesia non modicum scandalum generatum, gloriam mundi sectatur, reique publicæ dominatur, ac quod est gravius, etiam piis locis atque religiosis personis præesse dignoscitur; et a Theutbergæ reginæ cœpta interitus meditatione, sicat nonnulli testantur, minime cessat, dum ea nimirum loca repetere affectat, in quibus facilis ipsius ad regem Lotharium, et ejusdem regis ad eam possit esse accessus. Et ut breviter cuncta complectar, de die in diem, qualiter ad pristinas voluptates redeat, variis argumentis exquirit. Verumtamen ut cum egregio Apostolo summatim dicamus quod contra eam contraque ejus similes sæpius replicandum est, quia secundum duritiam suam et cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ (*Rom.* II): idcirco nos eam, quousque de factis suis Ecclesiæ Christi, nobisque præcipue, qui ejus principaliter curam gerimus, quique causam ipsius exsequi ac investigare cœpimus, satisfecerit, donec etiam omnem a se sinistram suspicionem concilium nostrum suscipiens adimat, a pretiosi corporis et sanguinis Domini perceptione, atque ab omnimodo sanctæ Ecclesiæ consortio sancti Spiritus, beatorumque apostolorum Petri et Pauli judicio, et nostræ mediocritatis auctoritate, fecimus cum universis complicibus et communicatoribus fautoribusque suis prorsus extorrem. Hæc autem sententiam IV Nonas Februarias a nobis promulgatam meminimus, eamque scripto

(*a*) Locus corruptus.

vobis destinavimus. Sed quia ignoramus utrum ad vestram notitiam pervenerit, idcirco reverentiæ vestræ iterato illam pandere procuravimus, Nam dum adhuc negotium pendet, et cœptum bonum perfectionem non habet : imo dum diversis indiciis datur intelligi, quod anhelitus pravorum ad priora nequitiæ semper intendat, procurare magnopere necesse est, ne novissimus error nobis torpentibus pejor priore succedat. Siquidem et frustra speculatores dicimur, si venientem lupum a longe non cernimus. Frustra enim episcopi, id est, superinspectores vocamur, si futurum exitum per antecedentia signa minime contemplamur ; præcipue cum jam quod videmus experti simus, et futurarum certitudinem præteritarum gignat exhibitio rerum. Unde saltem de Theutbergæ reginæ illatis quotidianis insidiis vestra charitas doleat, et eximio Dominici corporis membro totius mentis affectu compatiatur : et ne labor noster inanis constituatur, spiritualia nobiscum vestra fraternitas adversus jam fatam mœcham et communicatores ejus, arma sustollat, et in parochia sua, ubi plebem Dominicam gubernat, vel ubi eam fore contigerit, excommunicatam hanc fautoresque suos viva voce subsistere, donec nostro speciali judicio dignæ se pœnitentiæ submittat, publice ac audacter asseveret. Porro si cujusquam fortassis adinventionis intentionisque fuerit dicere, quod non solum illa mulier, sed et Lotharius rex in hoc deliquisset, ideoque simili pœnitentia deberet arctari, utrum instruendo se, an exprobrando nobis, talia loquatur, licet nulli jactanter hæc proferenti nobis necesse sit respondere ; congruit tamen, ut a cujus auctoritate sanctio ista digreditur, in ejus prærogativæ affluentia, quisquis ille est, hujus rei solutionem quærat, eo quod auctoritas apostolica, ad quam universarum cura confluit ecclesiarum, idonea, quibus omnibus consulat, moderamina satis habeat : per quæ et indoctos quosque disciplina salutis instruat, et exprobratoribus dispensatorie modum diguæ discretionis imponat. Interim vero, quisquis vestrum hujus sanctionis epistolam susceperit, ad episcopos metropolitanos destinare summoqere studeat, et exemplaria ejus per vicinas regiones dispergat, et talem se in omnibus his exhibeat, ut alterius zelo Phinees iram Domini mitigantis, non in defensione scorti, sed in ultione stupri se fervere cunctis ostendat. Optamus fraternitatem vestram in Christo nunc et semper bene valere. Data Idibus Juniis indictione XIV.

XCIV.

AD EGILONEM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM.

(Anno 866.)

Pallium novo archiepiscopo concedit, tametsi non probare se dicat quod ex aliena ecclesia et monasterio assumptus sit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, EGILONI Senonensi episcopo.

Pastoralis curæ pondera te humiliter subterfugere voluisse laudamus : sed rursus ad hæc portanda humeros mentis obedienter incurvasse nihilominus approbamus. Impletum est enim in te duorum factum, Jeremiæ scilicet et Isaiæ illustrium prophetarum. Quorum unus ad prædicationem populi volente Domino mittere, de infirmitate sua pavescens refugit : *A, a, a*, inquiens, *Domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum* (*Jer.* I). Alter vero de Dei misericordia præsumens, quærenti quem esset missurus, respondit dicens : *Ecce ego, mitte me* (*Isa.* VI.) Quod ergo venire ad tanti culminis onus renisus es, humilitatis quidem solum fuit indicium : quia vero pervenire consensisti, ejusdem exstitit humilitatis ejus et comitis obedientiæ plenitudo. Quæ res una cum sanctitatis tuæ præconio pontificium nostrum, licet difficulter, ut tamen ad confirmationem tui pallium mitterem, inclinavit. Perhibes enim te non de Senonensi ecclesia exstitisse, sed de quodam monasterio ad episcopatum ejusdem ecclesiæ pervenisse. Quod nos ubicunque fiat, cum fit, malefice ferimus, et graviter omnimodis ducimus, pro conculcatione scilicet sacrorum canonum, et aspernatione clericorum, qui crescentes in sua ecclesia, et virtutibus operam, et bonis moribus honestatem ac sapientiæ studiis diligentiam impendisse per singularum ætatum incrementa probantur. Quid autem suffragatur consensus episcoporum, ubi non pro regulis paternis, sed contra regulas adunatur. Tum quippe alter de altera eligendus est ecclesia, cum de civitatis ipsius clericis, cui est episcopus ordinandus, nullus dignus potuerit inveniri. Quod evenire in tam ampla diœcesi nec nos credimus, nec prædecessores nostros apostolicæ sedis præsules credidisse reperimus. Cujuscunque itaque sit sanctitatis dono quilibet præditus, alienos non debet labores præripere : quippe cui jubetur nihil eorum quæ proximi sunt aliquo modo concupiscere. Eo enim ipso quo quisque alteri pertinentia jura subripit, sanctitatis gratiam perdit. Nam quæ sanctitas vindicat mercedem alteri debitam? quæ sanctitas alterius sibimet fructus usurpat? Unde etiam, quia super hac parte ad sacras regulas Patrum minus quam oportuit est respectum, saltem ad evangelicas fuisset paginas properatum, in quibus legitur, quia cum milites quid facturi essent Joannem Baptistam interrogarent (*Luc.* V), protinus ab eo inter alia, ut contenti essent stipendiis suis audiere præceptum. Ubi considerandum est, si militibus sæculi, ut suis sint stipendiis contenti a Joanne plusquam propheta jubetur, quanta pœna puniendi sunt milites Christi, qui quoquomodo in stipendia obrepunt aliena. Verum quid opus est nos hæc affatim exaggerare, quæ sanctitas tua nos cogit interim dissimulare? Porro cum ad te tuosque compatriotas et consacerdotes in regionibus illis constitutos, ubi peculiarius habetur ista temeritas, litteras apostolatus nostri patrios vobis canones rememorantes, et hinc vos communiter admonentes, Deo duce destinaverimus, oportebit utique a vobis, vel a quoquam, nihil tale de

cætero fieri : alioquin præsumptorem, et circa sancta decreta contumacem eorumdem involvi decretorum jure sententiis. Tuum præterea, frater charissime, propositum observa : et qui diu in monasterio moratus es, a pristino voto divertere noli. Quod enim diu in humili habitu custodisisti, profecto indecens est si nunc in potiori positus dimiseris ordine, hoc ipsum sancta quoque Scriptura, venerandisque decretis pleniter edocentibus. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere.

XCV.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 866.)

Non probat abusum qui invaluerat, ut episcopi ex alienis Ecclesiis assumerentur : Egiloni tamen ad Senonensem Ecclesiam postulato pallium mittit.

[Apud Mansi, *idid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilectissimo filio Carolo regi.

Cum acceptæ dilectionis vestræ legeremus epistolæ textum et per eum in Senonensi metropoli delegatum antistitem miris vos præferre laudibus comperissemus ; non solum de illo, verum etiam et de vobis ingenti sumus exsultatione referti. De illo quidem, quoniam talem hunc fama prædicat, qualem debere [*forte*, debere esse, Hard.] episcopum Apostolus indicat, qui scribens illum oportere testimonium habere bonum, et ab his qui foris sunt prædicat (*I Tim.* III). De vobis autem, quoniam, Deo gratias, semper ea quæ meliora sunt diligitis ; semper quæ pretiosiora sunt. Domino Deo a cunctis offerri desideratis. Sed quamvis hæc nos valde lætificent, multum tamen contristant, quia idem venerabilis vir non de ipsa ecclesia, sed (*a*) de quodam monasterio fuisse perhibetur. Denique cum erga monachos eadem profecto regula, quæ circa clericos qui provehendi sunt, conversanda sit ; indecorum tamen, quin potius illicitum est, in aliena stipendia quemquam obrepere, et ex transverso venientem in castra, inter quæ non militavit, ducatum arripere ; beatissimo apostolicæ sedis præsule Cælestino præcipiente, atque dicente (*decret.* 18) : « Tunc alter de altera eligatur ecclesia, si de civitatis ipsius clericis, cui episcopus est ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis ecclesiis merito præferantur. Habeat unusquisque suæ fructum militiæ in ecclesia, in qua suam per omnia transegit ætatem, in aliena stipendia minime alter obrepat ; nec aliis debitam alter audeat vindicare mercedem. » In quibus verbis perspicacitas dilectionis vestræ prudenter attendat, quoniam aut de ecclesiæ Senonensis clericis, qui ordinaretur nullus dignus inventus est, quod evenisse non credimus, maxime cum sit metropolis, et clericorum numero. sitate non careat : aut certe his jure minime reprobatis, aliunde qui eis irregulariter præponeretur electus est, et qui aliorum fructum laborum comederet adinventus. Nimirum cum reverendæ memoriæ decessor hujus tantis a vobis præconiis efferatur, ut nullum in eadem ecclesia, cui non modico tempore præfuit, qui ei canonice subrogari posset, relinqueret, prorsus incredibile judicatur. Cum ergo familiarius in regionibus vestris sit hæc temeritas, et sacrorum super hoc canonum violatio dilatata, necesse est nostram sollicitudinem pro hac amputanda specialibus impendere diligentiam. Quapropter dilectionem vestram, cujus opera non partim, sed ex toto, placere summo arbitro cupimus, obnixe deposcimus, ut sic zelum justitiæ habeat, ut hunc secundum scientiam teneat : sic oculos ex una parte vigilanter aperiat, ut ex altera parte nihilominus videat. Illi vero pui in sacrarium provehuntur, sic de collatis sibi donis cœlitus gratias referant, ut non sicut Pharisæus in alterius derogationem temere linguas exacuant : periculosum est enim, taliter omnes Ecclesiæ ministros spernere, et eis improvisum, et non optatum præponere. Quod quia crebro præsumptum esse nonnullis querimoniis ex hoc gementium didicimus, vos merito diligentes, ut ad tantam transgressionem neminem impellatis exposcimus. Alioquin nos sanctarum minime regularum immemores, nec segnes exsecutores admodum existentes, adversus temerarios succinctis lumbis illas defendere procurabimus, et auxiliante Christo nobis, et ecclesiæ consulentes ipsius, de cætero æquanimiter violatores earum nullo modo sustinebimus. Usquequo tamen eamdem prævaricationem incipiamus generalis decreti nostri ligone de regionibus vestris radicitus exstirpare, parcendum huic fratri jam et coepiscopo nostro prævidimus. Unde et pallium juxta consuetudinem antecessorum suorum utendum ei secundum postulationem vestram direximus. Sed petimus, ut sicut nos vos audientes id ei concessimus, ita pietas vestra pro eo quod poscimus ipsi largiri munifica dapsilitate dignetur : res videlicet, et quæque ab ecclesia Senonensi abbata quoquomodo dignoscuntur, quatenus sicut idem per nos concesso tanto munere exterius decoratur, ita quoque de redditis ecclesiæ sibi commissæ per clementiam vestram interius gratuletur. Quod pietatis opus vobis suadere cupimus etiam circa reliquas regni vestri ecclesias exercendum. Scilicet ut nec hoc innumeris mirificisque actionibus vestris deesse bonum pacto quolibet agnoscatur. Nam quantum sit detestandum, res a piis regibus et devotis hominibus Deo donatas, permissu vestro subtrahi, et mundialibus usibus deputare, quia epistolaris locutionis modum excessimus, vestræ sapientiæ subtiliter considerandum relinquimus.

(*a*) *De quodam monasterio*. Flaviniaco, diœcesis Augustodunensis. Chronicum manuscriptum : *Anno 864 translatum est corpus sanctæ Reginæ virginis et martyris apud Flaviniacum, præsidente loco Egilo abbate, postmodum Senonensi archiepiscopo.* Jac. Sirm.

XCVI.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 866.)

Ut de Wlfado et sociis ejus ante synodi definitionem nihil innovetur.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Carolo glorioso regi.

Excellentiæ vestræ litteras, quæ pro verbis mella stillabant, perlegentes, denuo fidei, qua circa sanctam Romanam flagratis Ecclesiam, comperimus patenter insignia: denuo humilitatis et promptissimæ devotionis vestræ reperimus erga sedem apostolicam difficulter exponenda virtutum fastigia. Verumtamen nihil in illis verbis vestra charitas asserit, nisi quod nostra jamdudum experimento solertia didicit: nihil scriptis ostendere nititur, nisi quod nos pene quotidie factis aspicimus. Quod enim potest esse manifestius summæ devotionis vestræ, ac laudabilis affectus indicium, quam id quod in causa venerabilis abbatis Wlfadi, vel sociorum ejus, vestra studet exhibere benignitas? Denique nos quidem ad eorum auxilium vos primitus incitavimus: sad tanta nunc pietas vestra sollicitudine, reverentiam circa primos apostolorum servando, quorum præsidium petunt, pro illis urgetur, ut plusquam nos postulasse visi sumus, modo vestra pia noscatur ex hac anhelare prorsus industria. Siquidem nos tanquam clementissimum principem, et geminam charitatem habentem, vos ad justam dejectorum revelationem invitavimus, non ad immaturam erectionem eorum improvide provocavimus. Verum qualiter vos hinc simus hortati, prima vobis ex hoc epistola negotio missa luce clarius indicat. Sic ergo vestra, quemadmodum illa dictat nos a vobis postulasse, pro eis exsequatur providentia, et vestra sine culpa manebit apud Deum æquissima, sicut credimus, excellentia. Præterea nos alacrem vestram olim nobis præcognitam, et innumeris probatam experimentis, ceu devotissimi filii obedientiam recolentes, et ut in hac quoque causa circa reverentiam principum apostolorum hanc ostenderetis affectantes, scripsimus vobis, ut pote charissimo filio, quatenus eos, quorum clamor ad sedem ipsorum pervenerat, benigno in sua justitia juvantes affectu, vobis quoque nihilominus per intercessiones eorum acquirere satageretis auxilium: non ut super Dei reprehensionis inducere-tis ecclesiam seminarium. Talem quippe nos Ecclesiam Dei, qui ei per abundantiam supernæ gratiæ præsumus, juxta modum acceptæ distributionis exhibere debemus, qualem hanc auctor ejus proprio sanguine purgans exhibuit: id est, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi. Quomodo autem nunc irreprehensibiliter agi potest, quando penes nos tam de ordinatione ipsius, diversa scripta rejacent, quædam hos accusantia, quædam etiam defendentia? pro quibus examinandis et discernendis synodum, sicut nostis, isto in tempore A reverentissimorum episcoporum in regno vestro jussimus celebrari. Quorum relatione sub gestorum serie, quæ in ea de repulsione præsignatorum virorum reperta fuerint, nobis volumus, quemadmodum decretalia constituta præcipiunt, reserati, sicque demum decernentibus nobis quod Deo placet ordinari. Nam nos, qui cunctorum hominum, sed præcipue sacerdotum, maturam cupimus fore sententiam, quomodo definitivum de minus cognitis judicium proferamus penitus ignoramus, antequam per memoratos antistites cuncta quæ ventilanda esse ab eis decrevimus, pleniter per ordinem agnoscamus. Jam vero, si priusquam quid de illis inventum fuerit nobis ab episcopis intimetur, dejectorum clericorum aliquem restituamus, et examen ab eis synodice patrandum judicio nostro prævenimus, ut quid eos B frustra vexari, ut quid supervacue tanto itinere fatigari volumus? aut quid opus fuit eis tantam injuriam vel confusionem ingerere? Itaque si vultis ut justitiæ ac pietatis negotium, quod cœpimus, Christo duce ad calcem usque sicut dignum est perducamus; quæque in synodo sæpedicta de prænotatis ejectis clericis reperta fuerint, agite quo nobis omnium episcoporum qui conveniunt relatu pandantur: et ita dein quod Dominus revelaverit a nobis diffiniendum procul dubio præstolamini, quoniam si sapientia est sicut thesaurus effodiendus, restat ut etiam quæ sapienter agenda sunt omni scrutinio sint, velut obryza, peuitus inquirenda, Optamus gloriam vestram nunc et semper in Christo bene valere, dilectissime fili. Data IV Kalendarum Septembr. in- C dict. XIV.

XCVII.

RESPONSA NICOLAI AD CONSULTA RULGARORUM.

(Anno 866.)

[Apud Mansi, *ibid.*]

Ad consulta vestra non multa respondenda sunt, nec duximus per singula diutius immorari, qui Deo auctore non solum libros divinæ legis, verum etiam et missos nostros idoneos, qui vos, prout tempus et ratio dictaverit, de singulis instruant, ad patriam vestram, et ad gloriosum regem vestrum dilectum filium nostrum destinavimus, quibus et libros quos prævidimus necessarios illis [*forte*, illic, Hard.] nunc esse commisimus.

I. Igitur optime ac laudabiliter in prima quæstio- D num vestrarum fronte regem vestrum legem Christianam petere perhibetis: quæ si latius explicari tentatur, innumeri scribendi sunt libri; sed ut compendio, in quibus præcipue constet, ostendatur, sciendum est, quia in fide et bonis operibus lex Christianorum subsistit. Nam fides prima est omnium virtutum in conversatione credentium. Unde et primo die lux esse dicitur, cum a Deo *Fiat lux* dictum fuisse describitur (*Gen.* I), id est illuminatio credulitatis appareat. Siquidem et propter hanc Christus in terram descendit, opus autem bonum nihilominus a Christiano exigitur, quemadmodum in lege nostra scriptum est: *Sine fide impossibile est placere Deo*

(*Hebr.* XI).Sic etiam scriptum est: ***Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est*** (*Jac.* II). Hæc est lex Christiana, hæc est, quam quisque legitime custodiens omnino salvabitur.

II. Ita diligere debet homo eum qui se suscipit ex sacro fonte sicut patrem ;quinimo quanto præstantior est spiritus carne,quod illud spiritale est patrocinium, et secundum Deum adoptio, tanto magis spiritalis pater in omnibus est a spiritali filio diligendus.Marcus enim evangelista Petri discipulus,et ex sacro fuit ejus baptismate filius;quem nisi dilexisset ut patrem,ei non in omnibus obedisset ut filius: nulla vero inter eos et filios corum consanguinitas est,quoniam spiritus ea quæ sanguinis sunt nescit: *Caro enim*,secundum Apostolum,***concupiscit adversus spiritum :et spiritus adversus carnem ; hæc enim invicem adversantur*** (*Gal.* V). Est tamen alia inter eos gratuita et sancta communio, quæ non est dicenda consanguinitas,sed potius habenda spiritalis proximitas. Unde inter eos non arbitramur esse quodlibet posse conjugale connubium ;quando quidem nec inter eos qui natura, et eos qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt.Siquidem primus Institutionum liber, cum de nuptiis loqueretur,inter cætera (***Inst. de nup.***, § ***Ergo non***) : Inter eas, inquit, personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, vel matrem et filium vel aviam et nepotem, et usque ad infinitum : et si tales personæ inter se coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicantur :et hæc adeo sunt, ut quamvis per adoptionem parentum liberorumve loco sibi esse cœperint,non possint inter se matrimonio jungi.Itaque eam quæ mihi per adoptionem filia, aut neptis esse cœperit, non potero uxorem ducere ; et infra :Si quis per adoptionem soror esse cœperit,quandiu quidem constat adoptio,sane inter me et eam nuptiæ consistere non possunt. Si ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare,quos per cœleste sacramentum regeneratio sancti Spiritus vincit ?Longe igitur congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem gratia divina, quam quem humana voluntas, ut filius ejus,vel frater meus esset,elegit: prudentiusque ab alterna corporis commistione secernimur: quoniam Spiritus sanctus sua nos charitate coadunavit, quam si vel carnalis necessitudo, vel invicem nos mutabile cujusdam corruptibilis hominis arbitrium copulasset.

III. Consuetudinem quam Græcos in nuptialibus contuberniis habere dicitis, commemorare, prolixitatem styli vitantes, carptim morem, quem sancta Romana suscepit antiquitus, et hactenus in hujusmodi conjunctionibus tenet Ecclesia,vobis monstrare studebimus. Nostrates siquidem tam mares, quam feminæ, non ligaturam auream, vel argenteam,aut ex quolibet metallo compositam, quando nuptilia fœdera contrahunt in capitibus deferunt : sed post sponsalia,quæ futurarum sunt nuptiarum promissa fœdera, quæque consensu eorum qui hæc contrahunt, et eorum in quorum potestate sunt,celebrantur, et postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei a se annulo insignitum desponderit, dotemque utrique placitam sponsus ei cum scripto pactum hoc continente coram invitatis ab utraque parte tradiderit, aut mox aut apto tempore,ne videlicet ante tempus lege definitum tale quid fieri præsumatur, ambo ad nuptilia fœdera perducuntur.Et primum quidem in ecclesia Domini cum oblationibus quas offerre debent Deo per sacerdotis manum statuuntur, sicque demum benedictionem,et velamen cœleste suscipiunt,ad exemplum videlicet quod Dominus primos homines in paradiso collocans benedixit eis dicens :***Crescite et multiplicamini*** (*Gen.* I), etc.Siquidem et Tobias antequam conjugem convenisset,oratione cum ea Dominum orasse describitur (*Tob.* VIII).Verumtamen velamen illud non suscipit, qui ad secundas nuptias migrat.Post hæc autem de ecclesia egressi coronas in capitibus gestant. quæ semper in ecclesia ipsa sunt solitæ reservari.Et ita festis nuptialibus celebratis, ad ducendam individuam vitam Domino disponente de cætero diriguntur. Hæc sunt jura nuptiarum,hæc sunt præter alia quæ nunc ad memoriam non occurrunt [*forte*, nobis occurrunt, HARD.] pacta conjugiorum solemnia: peccatum autem esse,si hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant,non dicimus,quemadmodum Græcos vos astruere dicitis,præsertim cum tanta soleat arctare quosdam rerum inopia, ut ad hæc præparanda nullum his suffragetur auxilium ;ac per hoc sufficiat secundum leges solus eorum consensus,de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus si solus in nuptiis forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. Joanne Chrysostomo magno doctore testante, qui ait (*hom.* 32 *in Matth.*) : Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Jam vero sciscitamini, si muliere propria defuncta,possit vir alteram ducere,scitote per omnia posse, Paulo egregio prædicatore consilium dante, qui dicit (*I Cor.* VII) : ***Dico autem non nuptis, et viduis,bonum est illis si sic maneant, sicut et ego : quod si se non continent,nubant*** ;et iterum :*Mulier*, inquit,***alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est;cui vult nubat: tantum in Domino.***Quod enim de muliere sanxit,et de viro intelligendum est,quia e contra sæpe sancta Scriptura de viro loquitur :sed et de muliere nihilominus dicere subintelligitur. Ecce enim dicimus: ***Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*** (*Psal.* I), etc. ; et iterum : ***Beatus vir qui timet Dominum*** (*Psal.* CXI, ubi non solum virum, sed et feminam, quæ non abiit in consilio impiorum, et quæ timet Dominum beatam esse non immerito credimus.

IV. Quot temporibus vel diebus in circuitu sit anni a carnibus abstinendum,nunc vobis qui rudes estis, et in fide quodammodo parvuli, superflue ducimus

exponendum : verum interim in diebus jejuniorum, in quibus per abstinentiam et lamentum pœnitentiæ præcipue Domino supplicandum est,modis omnibus est a carnibus abstinendum.Quoniam licet omnibus orare et abstinere conveniat,jejuniorum tamen temporibus amplius abstinentiæ inservire oportet,videlicet,ut qui se sciverit illicita perpetrasse secundum sacra decretalia in his etiam a licitis se quibusdam abstineat, quadragesimali videlicet tempore, quod est ante Pascha; jejunio post Pentecostem, jejunio ante solemnitatem Assumptionis sanctæ Dei genitricis, et semper virginis dominæ nostræ Mariæ; necnon jejania ante natalis Domini nostri Jesu Christi festivitatem ! quæ jejunia sancta Romana suscepit antiquitus et tenet Ecclesia. In sexta vero feria omnis hebdomadæ, et in cunctis vigiliis insignium festivitatum a carnium esu cessandum et jejuniis incumbendum,ut veraciter cum psalmographo dici valeat : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia* (*Psal.* XXIX). Si quis vero vestrum aliis voluerit forte diebus a carnibus abstinere,non sunt prohibendi : quoniam quanto quis hic in lacrymis magis seminaverit,eants amplius in gaudio messurus est in vita æterna.Nos tamen vobis, qui, ut prætulimus, adhuc rudes estis, et lacte tanquam parvuli nutriendi,non grave potuimus jugum donec ad solidum cibum veniatis imponere. Verum sicut hoc interim cavemus, ita ut prohibita non contingatis modis omnibus admonemus :protoplasti quippe solum pomum gustando vetitum de paradisi amœnitate propulsi sunt.

V.Quarta feria quamvis e cæteris diebus præter sextam feriam sit amplius mœroribus operandum, pro eo quod Dominus ipse jam die in corde terræ, id est Judæ traditoris, quodammodo sepultus erat, dum hunc ipse morti tradere meditabatur : tamen si vestrum quis eodem die vult, potest omnino carnes comedere,nisi forte sibi aut a sacerdote esset interdictum, quoniam scriptum est : *Melius obedientia, quam sacrificium*(*I Reg.*XV) ; aut ipsam feriam inter dies jejuniorum evenire contigerit : quoniam Jonathas indictum a patre jejunium modicum mellis gustando violans,ad occidendum ab ipso patre quæsitus est : aut certe ipse se voto ipso die carnes non comesturum constrinxerit, quoniam scriptum est : *Vovete, et reddite Domino Deo vestro* (*Psal.* LXXV). Sexta vero feria passionem Dominicam, et apostolorum mœstitiam recolentes, ab omnium carnium epulis, et pinguedine gustus noster arcendus est, præter si nativitas Domini et epiphaniorum ejus,aut festivitas beatæ Matris Domini et intemeratæ Virginis Mariæ, seu apostolorum principum Petri et Pauli, atque sancti Joannis Baptistæ, ceu beati Joannis evangelistæ, necnon et clavigeri cœli germani, Andreæ scilicet apostoli,quin etiam et beati Stephani protomartyris ipso die fortassis evenire contigerit.Nam quod sancta Ecclesia, ut fidelis anima in festivitate eorum jejunia, vel abstinentias quæ non sunt perpetuo voto propositæ, solvere debeat, Dominus testatur in Evangelio dicens : *Mulier cum parit tristitiam habet; cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum* (*Joan.* XVI) : mulierem dicit sanctam Ecclesiam.Sicut enim mulier nato in hunc mundum homine lætatur, ita Ecclesia in vitam futuram fidelium populo migrante digna exsultatione repletur ; pro qua ejus nativitate multum laborans et gemens in præsenti quasi parturiens dolet : nec novum debet cuiquam videri, si natus dicitur qui ex hac vita migraverit; quomodo enim usitato more dicitur nasci, quando quis ex utero materno procedens in hanc lucem exit; sic quoque jure natus appellari potest quilibet ab hujus sæculi tenebris ad lumen pertingeus viventium : pro qua ergo re apte consuetudine tenetur ecclesiastica,ut solemnes beatorum martyrum,vel confessorum Christi dies,quibus de hoc mundo ad regionem migravere vivorum, nuncupentur natales, sed et eorum solemnia non funebria tanquam morientium, sed ut pote in vera vita nascentium natalitia vocitentur. Ergo si tunc nati sunt utique Deo, cui omnia vivunt, in cujus manu justorum animæ positæ sunt,quando visi sunt oculis insipientium mori, mulier sancta jam non meminit præssuræ propter gaudium,quia natus est homo in mundum,id est in lucem æternam : quod si de ejus nativitate lætatur, non jejuniis, non abstinentiis,non denique ullis debet ipso vacare die mœroribus. Quamvis in hac valle lacrymarum semper lugendum sit, et donec perveniatur ad illam angelorum festivitatem,semper mœroribus insistendum : quoniam etsi hic solemnitas agitur,non tamen continua,sed momentanea est, quæ vix aliquando sine dolore perficitur.

VI. Porro dicitis, quod affirment Græci dicentes, quod nullo modo in quarta et sexta feria balneari debeatis, de quo id nos e contra consulentibus respondemus, quod beatus papa Gregorius,et Anglorum gentis apostolus Romanis de Dominico die sermone quodam habito prædicasse legitur (*Epist. lib.* II, *epist.*3) : Etenim ad me perlatum est,vobis a perversis hominibus esse prædicatum, ut Dominico die nullus debeat lavari, et quidem si pro luxu animi, atque voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus : si autem pro necessitate corporis, hoc nec Dominico die prohibemus ; scriptum quippe est : *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam* (*Ephes.* VIII) : et rursum scriptum : *Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* XIII). Qui igitur carnis curam in concupiscentiis fieri prohibet, profecto in necessitatibus concedit.Nam si Dominico die corpus lavare peccatum est, lavari ergo die eodem nec facies debet.Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc exigente necessitate tota corpori negetur? Itaque quod hic præsul eximius,et suavissimus doctor in Dominico die,qui cæteris diebus venerabilior est,concessit : nos quoque in quarta et sexta feria non negamus,hanc videlicet discretionem ser-

pervenit illibatum; quia vox illa quæ sonuit per columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur, ac dicitur: *Hic est qui baptizat* (*Joan.* I.) Si igitur quamvis baptismum ab adultero, vel fure datum fuerit, ad percipientem tamen munus pervenit illibatum; quam ob rem non illibatum, et sine ulla iteratione subsistat, quod quilibet mundanus homo tribuit, et nescimus qua intentione se presbyterum fingens? et certe Acacius Constantinopolitanus quondam episcopus, se sacerdotem fingebat, cum fuerit a Felice papa Romano damnatus: sed quid jam dictus de eo præsul Anastasius dicat, audiamus; ait enim inter alia (*Ibid.*): Cum sibi sacerdotis nomen Acacius videlicet vindicaverit condemnatus, in ipsius vertice superbiæ tumor inflictus est, quia non populus, qui ministeriis donum ipsius sitiebat, exclusus est: sed anima sola, quæ peccaverat, justo judicio proprie erat obnoxia: quod itapue numerosa Scripturarum testatur instructio, et revera quia secundum famosissimum Apostolum *neque qui plantat*, id est catechizat; *neque qui irrigat*, id est baptizat, *est aliquid; sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III). Et ideo malus bona ministrando non aliis, sed sibi detrimenti cumulum ingerit, ac per hoc certum est, quia quos ille Græcus baptizavit, nulla portio læsionis attingit, propter illud: *Hic est qui baptizat*, id est Christus, et iterum: *Deus incrementum dat*, subauditur, et non homo.

XVI. Vos qui sic personam illam judicastis, investigatis, si debeatis hinc pœnitentiam agere: utique denique omne peccatum pœnitentia, quæ non nisi, Dei gratia comitante, proficit, diluitur. Nam Dominus primum Petrum respexit, et tunc Petrus ad lacrymas sese convertit. Peccatum autem vos in illum hominem perpetrasse manifestum est. Primo quidem, quoniam quantum nos comprehendere possumus, nondum clare patuit eumdem hominem non esse presbyterum, et scriptum est: *Nolite judicare ante tempus* (*I Cor.* IV). Secundo; quoniam etsi se finxit esse quod non erat, non tamen fecit quod factum Deo vel fidelibus ejus non placeat: præcipue cum in ea gente, in qua usque ad illud tempus nulla recta fides, nulla vera religio colebatur, sibimet ostium multos lucrandi divinitus videret apertum, et ille forsitan anhelaret plurimos ad tantum donum perducere, in quo se Deum senserat misericorditer adjuvare. Denique si David esse se furiosum finxit (*I Reg.* XXI), ut suam tantum salutem operari potuisset, quam noxam contraxit, qui tot hominum multitudinem quoquomodo de potestate diaboli, et æternæ perditionis abstraxit? maxime cum se sacerdotem simulaverit, non tamen in baptizando egit quod præter sacerdotem in tam evidenti necessitate agere nullum oportet: presbyterum vero, ut opinamur, idcirco se finxit esse; quoniam jam senserat vobis fuisse suasum, quod baptizandi ministerium non nisi presbyteris tantum esset indultum. Tertio, quoniam etsi in ista simulatione valde fuit culpabilis, in tot hominibus conversis satis exstitit laudabilis. Quarto, quia etsi pœna dignus erat, non tamen debuisset modum ultionis excedere, nec in unum hominem tot, et tam crudelia detrimenta congerere: cum dimissis ei naribus, et auribus propriis, sufficeret ad pœnam illi repulsio a patria vestra, quam cum detruncatione membrorum judicantibus vobis expertus est.

XVII. Igitur referentes, qualiter divina clementia Christianam religionem perceperitis, qualiterque populum vestrum baptizari omnem feceritis: qualiter autem illi postquam baptizati fuere, insurrexerint unanimiter cum magna ferocitate contra vos, dicentes, non bonam vos eis legem tradidisse, volentes etiam vos occidere, et regem alium constituere, et qualiter vos, divina cooperante potentia, adversus eos preparati, a maximo usque ad modiocum superaveritis, et manibus vestris detentos habueritis, qualiterque omnes primates eorum, atque majores cum omni prole sua gladio fuerint interempti; mediocres vero, seu minores nihil mali pertulerint, de his nosse desideratis qui vita privati sunt, utrum ex illis peccatum habeatis, quod utique sine peccato evasum non est; nec sine culpa vestra fieri potuit, ut proles, quæ in consilio parentum non fuit, nec adversus vos arma sustulisse probatur, innocens cum nocentibus trucidaretur. Nam hinc psalmista, postquam dixerat: *Non sedi in consilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo: odivi congregationes malignorum, et cum impiis non sedebo;* paulo post deprecans Dominum ait: *Ne perdas cum impiis animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam* (*Psal.* XXV). Hinc Dominus per Ezechielem prophetam perhibet dicens (*cap.* XVIII): *Ut anima patris, ita et anima filii mea est: anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et post pauca de patre dicit: *Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, et non fecerit simile eis, super montem non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, et uxorem proximi sui non violaverit, et virum non contristaverit, pignus non retiuuerit, et rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento, a pauperis injuria averterit manum suam, usuram et superabundantiam non acceperit, judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit, hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet: pater ejus quia calumniatus est, et vim fecit fratri, et malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua, et dicitis: Quare non portavit filius iniquitatem patris? Videlicet quia filius et judicium et justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, et fecit illa, vita vivet. Anima quæ peccaverit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii.* Quamvis et de parentibus qui comprehensi sunt, mitius agere debueritis, scilicet ut pro Dei amore, qui eos in manus vestras tradiderat, vitam illis reservaretis, quatenus in oratione Dominica Deo

prompte dicere valeretis : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). Sed etsi illos reservare potuistis, qui bellando interiere,et minime vivere permisistis, nec salvare voluistis, non consulte prorsus egistis; scriptum quippe est: *Judicium erit sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam* (*Jac.* II). Et per supra nominatum prophetam Dominus : *Nunquid*, ait, *voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* (*Ezech.* XVIII.) Verum quia zelo Christianæ religionis, et ignorantia potius quam alio vitio deliquistis, pœnitentia subsequente per Christi gratiam indulgentiam de his et misericordiam consequimini.

XVIII. Scire vos velle significatis, quid de his qui legem Christianam respuunt agere debeatis : in quo notandum est, quoniam omnis homo sicut per alterius culpam, id est Adæ, contraxit unde purgatione per aquam baptismatis egeat; ita cum ad fidem promittendam ad regenerationis occurrit undam,alium eligit quodammodo patrem, spiritualem videlicet,a quo susceptus instruatur,et omni custodia muniatur, et tanquam depositum quoddam lectori ecclesiæ repræsentetur. Præterea qui fidem respuit quam promisit, ab illo a quo susceptus est, et qui fidei ejus interventor exstitit, debet per omnia revocari. Jam vero si non audierit eum quem ipse pro se dederat vadem, dicendum est Ecclesiæ, a qua majori studio ad ovile proprium ovem reduci convenit quæ erravit ; et ut ad viam veritatis, quæ Christus est, redeat, modis omnibus revocari; siquidem ab ea tanquam a matre, tanquam a magistra suadendum est illi quatenus videat : quoniam apostatam spiritum imitatus est, de quo scriptum est, quod in veritate non steterit (*Joan.* VIII). Consideret etiam quod Petrus princeps apostolorum clamat : *Si enim refugientes*, inquiens, *coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, et salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur ; facta sunt eis posteriora deteriora prioribus : melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim eis illud proverbii: Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti* (*II Petr.* II ; *Prov.* XXVI ; *Matth.* XVIII). Porro si nec Ecclesiam audierit,sit omnibus revera sicut ethnicus, id est gentilis, ac per hoc jam merito per potestates exteras tanquam extraneus opprimatur. Denique certum est, quoniam sæpe Deus concitat potestates adversus abnegatores Christi, adversus desertores baptismi : et idcirco nemo miretur, quia Deus concitat, ut ponant cervices, et humiliati redeant ad Ecclesiam: quia et Agar cum discessisset a domina sua occurrit ei angelus, et dixit ei : *Quid est, Agar ancilla Saræ? Revertere ad dominam tuam* (*Gen.* XVI). Ad hoc ergo qui hujusmodi est affligitur, ut revertatur, atque utinam revertatur, quia cum fratribus hæreditatem promissam recipiet : nam nisi moverentur potestates Christianæ adversus hujusmodi ; quomodo rationem redderent de imperio suo Deo? quippe cum pertineat hoc ad reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam et sine diminutione velint servari matrem suam Ecclesiam, unde spiritaliter nati sunt. Siquidem Nabuchodonosor rex, qui statuam suam erexerat, et ad eam adorandam omnes coegerat, laudibus trium puerorum de igne liberatorum commotus dixisse legitur: *Et ego ponam decretum omnibus tribubus et linguis in omni terra : et quicunque dixerit blasphemiam in Deum Sidrach, Misach, et Abdenago, in interitum erunt, et domus eorum in perditionem* (*Dan.* III). Si ergo sic sævit rex barbarus, ne blasphemetur Deus Israel, quia potuit tres pueros de igne temporali liberare ; quanto potius sævire debent reges Christiani, quia Christus abnegatur et irridetur, a quo non tres pueri tantum, sed et orbis terrarum cum ipsis regibus a perpetuis ignibus liberatur? Nam qui illis mentiri, vel esse infideles convincuntur, aut vix aut nunquam ab eis vivere profecto sinuntur : et quomodo non indignentur, et sæviant, quando vident Christum, qui est Rex regum, et Dominus dominantium, ab hominibus abnegari, illudi, et ei fidem promissam non custodiri? Zelentur itaque zelo Dei, quia seipsos per Christum recolunt liberatos a gehenna magis quam ille qui attendit tres pueros ereptos a flamma.

XIX. Quid jure de his faciendum sit, qui ad occidendum regem insurrexerint, venerandæ leges, quas scripto mittemus, vos affatim edocebunt. Verumtamen hoc in arbitrio regis manet, qui non semel tantum, sed et septuagies septies debet peccatum dimittere, juxta quod Dominus in Evangelio sancto Petro mandavit : *Nam cui plus dimittitur, plus diligit ;* et quemadmodum Evangelium docet, rex decem millia talenta, id est multa et immania peccata servo non dimitteret, si ipse conservo suo centum denarios, id est minora dimittere noluisset (*Matth.* XVIII ; *Luc.* VII).

XX. Quid de homine libero judicandum sit, qui de patria sua fuga lapsus fuerit, si comprehendatur? nihil utique, nisi quod leges decernunt. Verumtamen multos sanctorum de patria sua exisse, et in alia celebrius veneratos fuisse, sacræ produnt historiæ ; sed aliis non existentibus causis ob solum exitum nunquam culpabiles judicatos exstitisse,ni fallor, inveni, præsertim cum Abrahæ patri nostro divina voce dicatur : *Egredere de terra, et de cognatione tua* (*Gen.* XII) : et nonnulli Patrum nostrorum exsules per plurimos annos in terra non sua habitaverint; alioquin liber non est, si de patria sua quis non audet egredi. Porro si liber est, et jure nullius conditionis nexibus tenetur obstrictus, non fugit, sed exit de patria sua, quemadmodum et Abrahæ, non Fuge, sed Exi de terra tua dicitur ; quod quia fecit obediens, nemine judicante, pœnam quamlibet protulit [*forte*, pertulit, HARD.].

XXI. Si servus a domino fugiens recesserit, si comprehensus fuerit, ignoscendum est ei : alias au-

tem legum scita non transcendantur in eo. Verumtamen semper illud apostoli Pauli præ oculis habeatur salubris admonitionis dicentis: *Domini quod justum est et æquum servis præstate, scientes quoniam et vos Dominum habetis in cælo* (*Coloss.* IV); et alibi, cum servis ut obedirent dominis carnalibus præcepisset, adjunxit: *Scientes*, inquiens, *quod unusquisque vestrum quodcunque fecerit bonum, hoc consequetur a Domino, sive servus, sive liber; et vos domini eadem facite ad illos remittentes minas, scientes quia et vester et eorum Dominus in cælis est, et personarum acceptio non est apud Dominum* (*Ephes.* VI).

XXII. Circa hos qui, quando ad pugnam contra hostes proceditis, fugam arripiunt, si non misericorditer præveniat compassio, saltem legum temperetur severitas.

XXIII. De his quibus jussum est contra hostes progredi, et jussioni parere contemnunt, eadem suademus.

XXIV. Quid parricida, id est qui patrem vel matrem occidit, vel etiam qui fratrem, aut sororem interficit, pati debeat, leges indicant; porro si ad ecclesiam confugerit, id quod episcopus loci vel sacerdos, qui ab illo constitutus est, providerit, agendum decernimus.

XXV. Consuetudinis esse patriæ vestræ perhibetis, semper custodes inter patriam vestram, et aliorum juxta terminos invigilare: et si servus, aut liber per eamdem custodiam quocunque modo fugerit, sine omni intermissione custodes pro ea interimuntur, deinde percontamini, quid nos inde judicemus; et de hoc in legibus est requirendum. Verumtamen absit a mentibus vestris, ut tam impie jam judicetis, qui tam pium Deum et Dominum agnovistis: præsertim cum magis oporteat, ut sicut hactenus ad mortem facile quosque pertraxistis, ita deinceps non ad mortem, sed ad vitam quos potestis nihilominus perducatis. Ita ut quemadmodum beatus apostolus Paulus prius persecutor, et contumeliosus, et spirans minarum et cædis in discipulos Domini (*Act.* IX), posteaquam misericordiam consecutus est, divina revelatione conversus, non solum minime cuilibet mortis pœnam intulit, verum etiam anathema esse optabat pro fratribus (*Rom.* IX), et libentissime impendere, et superimpendi paratus erat pro animabus fidelium (*II Cor.* XII): ita et vos postquam electione Dei vocati, et lumine ipsius illuminati estis, non jam sicut prius mortibus inhiare, sed omnes ad vitam tam corporis, quam animæ debetis omni occasione inventa procul dubio revocare, et sicut vos Christus de morte perenni, qua detinebamini, ad vitam æternam reduxit, ita ipsi non solum innoxios quosque, verum etiam et noxios a mortis exitio satagite cunctos eruere, secundum illud sapientissimi Salomonis: *Erue eos qui ducuntur ad mortem; et qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses* (*Prov.* XIV).

XXVI. De his qui proximum, id est consanguineum suum, ut est frater, consobrinus, aut nepos, A trucidaverint, venerandæ leges proprium robur obtineant. Sed si ad ecclesiam convolaverint, mortis quidem legibus eruantur: pœnitentiæ vero, quam antistes loci, vel presbyter consideraverit, absque dubio submittantur: *Nolo*, inquit Dominus, *mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat* (*Ezech.* XVIII).

XXVII. De his qui socium suum morti tradiderint, id ipsum quod supra decernimus.

XXVIII. De eo qui ad uxorem alterius comprehensus fuerit, quid judicandum sit, lectis legibus reperietis. Jam vero si ad ecclesiam adulter confugerit, judicandum ab episcopo fore decernimus, quod sacros constat diffinisse canones, vel sanctos apostolicæ sedis præsules clarum est statuisse.

B XXIX. Similiter et de eo censemus, qui ad proximam sanguinis sui ingreditur; verum hujus tanti piaculi lepram melius ad sacerdotis considerationem, et judicium profecto dirigimus.

XXX. De eo qui nolens hominem interfecerit, id statuimus quod sacræ regulæ statuant, quas episcopum vestrum apud se penes vos positum præ manibus oportet semper habere.

XXXI. Circa fures animalium si non misericordia, saltem legum edicta serventur.

XXXII. Similiter de his qui virum aut feminam rapuerint, permittimus.

XXXIII. Quando prælium inire soliti eratis, indicatis vos hactenus in signo militari caudam equi portasse, et sciscitamini quid nunc vice illius portare debeatis; quid aliud utique, nisi signum sanctæ C crucis? Ipsum est enim quo Moyses mare divisit, et Amalec interfecit (*Exod.* IV), quo Gedeon Madianitas superavit (*Judic.* VII); et Christus Dominus noster diabolum, qui habebat mortis imperium, non solum superavit, sed et prostravit; ipsum est signum quod portamus in frontibus nostris: ipso a cunctis defendimur hostibus, et ab omnibus munimur incursionibus. Hoc est signum fidei, et ingens horror diaboli, quo Christiani principes in necessitatibus suis semper utuntur, et reges veram religionem sectantes sæpe celebres Christo propitio triumphos de hostibus operantur. Sed ut manifestius sciatis, quid pro illa equina cauda in signum debeatis militare convenientius, cum in apparatum belli proceD ditis, portare; pauca de Constantini actibus memoranda ducimus, qui piissimus Romanorum exstitit imperator, et Christianitatis famosissimus omnium propagator. Ille quippe cum adversus Maxentium urbis Romæ tyrannum exercitum duceret, erat quidem jam tunc Christianæ religionis fautor, nondum tamen, ut est solemne nostris initiari, signum Dominicæ passionis acceperat. Cum igitur multa secum de instantis prælii necessitate pervolvens iter ageret, utique ad cœlum sæpius elevaret [*forte deut* oculos], et inde sibi divinum precaretur auxilium, vidit per soporem ad orientis partem in cœlo signum crucis igneo fulgore rutilare; cumque tanto visu fuisset exterritus, ac novo perturbaretur aspectu,

astare sibi vidit angelos dicentes : Constantine, in hoc vince : tum vero lætus redditus, et de victoria jam securus, signum crucis; quod in cœlo viderat, in sua fronte designat, et hoc in militaria vexilla transformat, ac labarum, quem dicunt, in speciem Dominicæ crucis exaptat ; et ita armis et vexillis religionis instructus adversus impiorum arma proficiscitur,et sine cruore Romani populi,ut ipse Deum precabatur.Maxentio in flumen demerso,de tyranno mirifice triumphavit.

XXXIV. Præterea consulitis, si debeatis, quando nuntius venerit ut ad præliandum pergatur, mox profisci : an sit aliqua dies,in qua non oporteat ad præliandum exire?in quo respondemus : Non est ulla dies in quibuscunque negotiis incipiendis,vel exercendis penitus observanda, præter (si nimia non urgeat necessitas) supra memoratos dies celeberrimos,et omnibus venerabiles Christianis ; non quo vel in his tale quid fieri prohibeatur, cum non sit in diebus spes nostra ponenda, nec a diebus,sed a Deo solo vivo et vero salus omnis penitus exspectanda : sed quo, si inevitabilis necessitas non est, vacandum est in his solito studiosius orationi, et tantæ festivitatis mysteria frequentanda ; nam cum Hebræi quondam Sabbatum observantes noluissent contra hostes suos die sabbatorum arma sustollere, et Deus omnipotens quod in se tantum, et non in observantia dierum spes esset et fortitudo locanda, voluisset ostendere ; occisi sunt ex iis mille viri,ita ut superstites pœnitentia ducti invicem dicerent : *Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecere,et non pugnaverimus adversus gentes pro animabue nostris,et justificationibus nostris, citius disperdent nos a terra* (*I Mach.* II).

XXXV. Refertis quod soliti fueritis, quando in prælium progrediebamini, dies et horas observare, et incantationes, et joca, et carmina, et nonnulla auguria exercere ; et instrui desideratis, quid nunc vobis agendum sit : de quo nos necessario vos instrueremur, nisi super hoc vos divinitus instructos contueremur : super divinum enim fundamentum nos ædificare quidquam non possumus.Igitur cum in prælium proficisci disponitis, quod ipsi commemorastis, agere in Dei nomine non omittere, id est ad ecclesias ire, orationes peragere, peccantibus indulgere, missarum solemniis interesse, oblationes offerre, confessionem delictorum sacerdotibus facere,reconciliationem et communionem percipere, carceres aperire, vincula dissolvere, et servos et præcipue confractos et debiles,atque captivos libertati donare, ac indigentibus eleemosynas erogare ; quatenus impleatur quod Apostolus admonet dicens : *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere,omnia in nomine Domini Jesu* (*Col.* III).Num illa, quæ commemorastis, id est diei et horæ observationes, incantationes, joca, et iniqua carmina, atque auguria, pompæ ac operationes diaboli sunt,quibus,Deo gratias, jam in baptismate abrenuntiastis, et hæc cum vetere homine et actibus ejus quando novum induistis, omnino deposuistis.

XXXVI. Si die Dominico vel cæteris festis diebus, quando necessitas urget, liceat ambulare, vel ad bellandum procedere? ex trigesimo quarto capitulo harum responsionum nostrarum potestis advertere.

XXXVII. Libros quos vobis ad præsens necessarios esse consideramus, sicut poscitis, animo gratanti concedimus et plures, Deo largiente,præstare desideramus.

XXXVIII. Dicitis quod quando in castris estis, orationem perfectam,et congruam facere nequeatis, ac per hoc exponi cupitis quid agere debeatis: unde nos contra suademus, ut quanto plus hostes sæviunt, et necessitas vel tribulatio incumbit, tanto instantius orationi operam detis.Nam patres nostri plus orando, quam pugnando victores fuere,et voti compotes plus precibus,quam præliis exstiterunt. Denique Moyses orabat, et Josue pugnabat, sed plus ille vincebat orando,quam iste pugnando : aptius ergo ab armis, quam ab oratione vacandum est.

XXXIX. De consanguinitate generationum exquiritis,ut quibus utique feminis jungi debeatis, liquide cognoscatis ; verum quod leges hinc sanciunt jam meminimus, et denuo memorare summatim operæ pretium ducimus, aiunt enim : Ergo non omnes nobis uxores ducere licet : nam quarumdam nuptiis abstinere debemus, inter eas enim personas quæ parentum, liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt,veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem,matrem et filium,aviam et nepotem,et usque ad infinitum,inter eas quoque personas quæ ex transverso gradu cognationis junguntur,est quædam similis observatio,sed non tanta. Sacri vero canones, et præcipue Zachariæ summi præsulis decreta quid hinc promulgent, episcopo vestro vobis explorandum relinquimus.

XL. Consuetudinem patriæ vestræ perhibetis inesse, ut priusquam ad pugnam progrediamini, mittatur a dominatione vestra fidelissimus et prudentissimus vir,qui cuncta arma et caballos, et quæ necessaria pugnæ existunt,consideret ; et apud quem inutiliter præparata inventa fuerint,capite punitur : nunc autem nosse cupitis,quid nos hinc fieri decernamus.Sed hæc nos cuncta vobis ad spiritalis apparatus armaturam convertere suademus, et tantæ severitatis rigorem ad pietatis exercitium inclinare monemus ; ita ut sicut hactenus illa præparatio armerum et equorum diligenter inquirebatur, utrum bene apta esset contra visibiles hostes ; ita nunc studiose investigetur,ut arma spiritalia,id est, bona opera singuli præparata possideant adversus principes et potestates adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI) : porro equus animus intelligitur, quia nimirum sicut homo portatur equo, sic et regitur animo, optime ergo,qui arma contra hostes præparata non habet,perit ; quia, ut scriptum est, *Maledictus vir qui facit opus Dei negligenter* (*Jer.* XLVIII.)

De equo vero, qui imparatus est animo, bene per Psalmistam dicitur : *Falsus equus ad salutem, in abundantia autem virtutis ejus non erit salvus* (*Psal.* XXXIII). Nisi enim falsus esset,imparatus non esset ; equo contra de præparato dicitur : *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit* (*Prov.* XXI). Sic itaque quod hactenus carnaliter observastis,et arma quæ forsitan ab inopibus hæc præparare non valentibus crudeliter exegistis,jam nunc spiritaliter veneramini ; et hæc magnos et parvos præparare pie et indesinenter hortamini.

XLI. De iis autem qui Christianitatis bonum suscipere renuunt,et idolis immolant, vel genua curvant, nihil aliud scribere possumus vobis, nisi ut eos ad fidem rectam monitis, exhortationibus, et ratione illos potius quam vi, quod vane sapiant convincatis : opera manuum suarum,et insensibilia elementa, cum sint homines intellectu habiles,adorantes, imo dæmoniis suam cervicem flectentes et immolantes.Nam, ut Apostolus docet : *Scimus quoniam nihil est idolum,sed quæ immolant gentes,dæmoniis immolant* (*I Cor.* VIII). Jam vero si vos non audierint, cum eis nec cibum sumere, nec ullam penitus communionem habere : sed eos tanqnam alienos,atque pollutos a vestris obsequiis et familiaritate removere debetis,ut tali forte confusione compuncti convertantur, inspirante Deo, ad ipsum qui est verus et non falsus Deus,Creator et non creatus, non factus, sed factor omnium : nam, ut Dominus præcipit (*Matth.* X), de domo illius qui non credit, non solum cibum, verum etiam nec pulverem in pedibus debet educere Christianus, in tantum ut discipuli nescientes quod acciderat,moleste tulerint, quod Petrus princeps eorum ad Cornelium ingressus fuerat,quem ipse, Deo præcipiente, primum ex gentibus fecerat Christianum (*Act.* X) : nulla igitur cum his qui non credunt,idolaque adorant,miscenda communio est.Porro illis violentia,ut credant, nullatenus inferenda est.Nam omne quod ex voto non est,bonum esse non potest ; scriptum est enim : *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII) ; et rursus : *Voluntaria*,inquit,*oris mei beneplacita fac,Domine* (*Psal.* CXVIII ; et iterum : *Et ex voluntate mea confitebor illi* (*Psal.* XXVII) ; ultronea quippe Deus obsequia,et exhiberi tantum ab ultroneis præcipit : nam si vim inferre voluisset, nullus omnipotentiæ illius resistere potuisset. Jam vero si quæritis, quid de hujusmodi perfidis judicandum sit, apostolum Paulum audite, qui cum Corinthiis scriberet,ait : *Quid enim mihi de his qui foris sunt judicare? nonne de his qui intus sunt vos judicatis? nam eos qui foris sunt,Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis* (*II Cor.* V) ; ac si diceret : De his qui extra religionem nostram sunt nihil ego judico, sed eos Dei judicio reservo, qui judicaturus est omnem carnem.Verumtamen auferte malum ex vobis ipsis,ne videlicet vobiscum morans ut cancer serpat : aut certe dum a fidelibus sibi communicari conspicit, suæ quoque vanitati communicari putet ; ac per hoc veraciorem et sanctiorem suam sectam, quam nostram existimet religionem. Propter conscientiam ergo magnopere idola colentim cavenda est omnino communio : nam qui idololatris communicat,ipsis idolis,imo dæmoniis communicare videtur : *Omnes enim dii gentium dæmonia* (*Psal.* XCV.) ; et Apostolus dicens : *Quæ immolant gentes,dæmoniis immolant,et non Deo*,adjecit : *Nolo*, inquit,*vos socios fieri dæmoniorum* (*I Cor.* X).

XLII. Asseritis quod rex vester cum ad manducandum in sedili,sicut mos est,ad mensam sederit, nemo ad convescendum etiam,neque uxor ejus cum eo discumbat, vobis procul in sellis residentibus,et in terra manducantibus ; et idcirco quid vobis hinc præcipiamus,nosse desideretis. Unde nos quia non contra fidem quod agitur est ; licet bonos mores satis impugnet, non tam præcipientes, quam suadentes hortamur,ut ad Christianæ religionis cultores principes attendatis,et humilitatis eorum considerantes fastigium, deponatis ex vobis omne ad nihil utile supercilium : legerunt enim illi in Evangelio, dicente Domino : *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde,et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Nam antiqui reges, quorum multi sanctorum consortium meruere,ac ideo veraciter reges dicti sunt,quoniam sancti reperti sunt,cum amicis, quinimo cum servis suis convivati fuisse memorantur ; quin potius ipse Rex regum,et Dominus dominantium,Redemptor noster, non solum cum servis et amicis suis, apostolicis scilicet recubuisse,verum etiam cum publicanis et peccatoribus et recubuisse, et manducasse describitur.

XLIII. Quæ animalia, seu volatilia liceat manducare,quantum existimo Dominus evidenter ostendit, cum post diluvium animalia cuncta Noe tribuit et filiis ejus edenda,dicens : *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt,et omne quod movetur et vivit,erit vobis in cibum quasi olera viventia* (*Gen.* IX) : et demonstratis cœlitus beato Petro in illo disco, quamvis hoc altius intelligendum sit, cunctis animantibus, dicitur : *Macta, et manduca* (*Act.* X) ; Itaque omne animal, cujus cibus minime corpori nocivus esse probatur,et societas hoc in cibum admittit humana, comedi non prohibetur : nam ideo, ut sanctus et facundissimus doctor scribit Augustinus, morticinum ad escam usus hominum non admisit, eo quod non occisorum sed mortuorum animalium morbida caro est, nec apta ad salutem corporis,cujus causa sumimus alimentum.Porro eorum opinionem, qui quippiam in cibis immundum esse perhibent,per se Dominus destruit dicens : *Non quod intrat in os coinquinat hominem,sed quod procedit ex ore,hoc coinquinat hominem* (*Matth.* XV) ; et apostolo Petro divinitus dicens : *Quod Deus sanctificavit, ut commune* (*vel immundum*) *ne dixeris* (*Act.* X ; et coapostolus ejus Paulus scribens : *Omnia*, inquit, *munda mundis,coinquitanis autem et infidelibus nihil est mundum* (*Tit.* I). Verumtamen ne forte quilibet ex Veteri vobis Testamento quædam prohibita velint animalia demonstrare, atque ab eorum vos edulio

coercere; notandum est, inter illa quæ prohibita sunt, etiam porcum connumerari; de qua re præfatus sanctus Augustinus de cæteris interim tacens, scribens etiam hujus animalis meminit dicens : Testamento Veteri, ubi quidam cibi carnium prohibentur, cur non sit contraria ista sententia, qua dicit Apostolus : *Omnia munda mundis, et omnis creatura Dei bona est* (*I Tim.* IV), si possunt, intelligant hoc Apostolum de ipsis dixisse naturis; illis autem litteras propter quasdam præfigurationes tempori congruentes animalia quædam non natura, sed significatione immunda dixisse. Itaque verbi gratia, si de porco et agno requiratur, utrumque natura mundum est; quia *omnis, creatura Dei bona est* (*ibid.*) : quadam vero significatione agnus mundus, porcus immundus est; tanquam si stultum et sapientem diceres : utrumque hoc verbum natura vocis, et litterarum, et syllabarum quibus constat, utique mundum est; significatione autem unum horum verbum, quod dicitur stultum, immundum dici potest, non natura sui, sed quoniam quiddam immundum significat : et fortasse quod est in rerum figuris porcus, hoc est in rerum genere stultus; et tam illud animal, quam istæ duæ syllabæ, quod dicitur stultum, quiddam unum idemque significat : immundum quippe illud animal in lege positum est, eo quod non ruminet; non autem hoc ejus vitium, sed natura est. Sunt autem homines, qui per hoc animal significantur, immundi proprio vitio, non natura; qui cum libenter audiant verba sapientiæ, postea de his omnino non cogitant : quod enim utile audieris, velut intestino memoriæ tanquam ad os cogitationis, recordandi dulcedine volvere; quid est aliud, quam spiritaliter quodammodo ruminare? quod qui non faciunt, illorum animalium genere figurantur. Unde et ipsa a talibus carnibus abstinentia, tale vitium nos cavere præmonuit. Cum enim de hac munditia ruminandi alio loco ita scriptum est : *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, vir autem stultus glutit illum* (*Prov.* XXVII). Has autem similitudines rerum in locutionibus et observationibus figuratis propter quærendi et comparandi exercitationem rationales mentes utiliter et suaviter noverit : sed priori populo multa talia non tantum audienda, verum etiam observanda præcepta sunt. Tempus enim erat, quo non tantum dictis, sed etiam factis prophetari oporteret, et ea quæ posteriori tempore fuerant revelanda, quibus per Christum, atque in Christo revelatis, fidei gentium onera observationum non sunt imposita, prophetiæ tamen auctoritas commendata.

XLIV. Nulla ratio sit in quadragesimali tempore venationibus uti : venantes enim nihil præter carnes captant, ut ergo nihil carnale sectari videamini, decenter a carnibus captandis in quadragesimali præcipue tempore vobis est abstinendum; quanto enim jejunii tempore arctius est divinis cultibus insistendum, tanto est in cunctis mundi nocivis oblectamentis longius recedendum; præsertim cum neminem nisi reproborum venationes exercuisse sacra designet historia.

XLV. A nobis scire cupitis si in quadragesimali tempore judicia sint exercenda, et ad mortem aliquis addicendus, in quo nos noveritis eadem de quadragesimali tempore super hac respondere consultatione, quæ diebus festis nos duodecimo harum responsionum nostrorum capitulo jam respondisse dignoscimur.

XLVI. Jam vero si quadragesimali tempore liceat, si necessitas exigit, vel si non exigit ulla necessitas, ad bella procedere, non vobis est necessarium exponendum, cum ex priorum propositionum solutionibus quid vos conveniat agere, etiam nobis tacentibus jam ipsi colligitis. Bellorum quippe ac prœliorum certamina, necnon omnium jurgiorum initia diabolicæ fraude sunt artis profecto reperta, et dilatand regni cupidus, vel iræ, vel invidiæ, vel alius cujuspiam vitii dilector tantum his intendere, seu delectari convincitur. Et ideo, si nulla urgeat necessitas, non solum quadragesimali tempore, sed omni est prœliis abstinendum. Si autem inevitabilis urget opportunitas, nec quadragesimali est tempore pro defensione tam sua, quam patriæ, seu legum paternarum, bellorum procul dubio præparationi parcendum; ne videlicet Deum videatur homo tentare, si habet quod faciat, et suæ ac aliorum saluti consulere non procurat, et sanctæ religionis detrimenta non præcavet. Porro muri Jericho filiis Israel, qui Sabbatum jam observandum susceperant, etiam Sabbato urbem circumeuntibus et tubis clangentibus ad terram protracti sunt (*Jos.* VI).

XLVII. Consulitis si liceat in quadragesimali tempore jocis vacare; quod non solum in quadragesimali, verum etiam in nullo tempore licitum est Christianis; sed quia vobis, qui in montem nondum ascendere tanquam infirmi potestis, ut inde sublimia mandata Dei percipiatis, sed in campestribus, quemadmodum filii quondam Israel, positi estis, ut saltem ibi plana et minora quæque præcepta sumatis, necdum possumus suadere, ut omni tempore jocis abstineatis, et quadragesima, ac jejunii tempore, quando perampliusetinstantius orationi et abstinentiæ, et omnimodæ pœnitentiæ sicut longe superius exposuimus, vacare debetis, non solum jocis, verum etiam ab omni vaniloquio, et scurrilitate, quæ ad rem non pertinent, atque ab ipso otioso verbo, ut in Evangelio Dominus dicit : *Quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem* (*Matth.* XII) : si de otioso quanto magis de noxio et criminoso? nulla ergo vos voluptatum, et jocorum, et maxime in tempore jejuniorum, vanitas seducere valeat; non enim lamenta cum jocis conveniunt, et fallax, ac deceptrix lætitia, veraces lacrymas producere nescit in proximo : præterea est judex, qui dixit : *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, et flebitis* (*Luc.* VI); hinc Salomon ait : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat* (*Prov.* XIV); hinc iterum dicit : *Risum reputavi errorem, et gaudio dixi : Quid frustra deciperis?*

(*Eccle.* II.) Hinc rursus ait : *Cor sapientium, ubi tristitia est; et cor stultorum, ubi lætitia* (*ibid.*); gratum namque Deo sacrificium est afflictio contra peccatum, Psalmista testante, qui ait : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* L).

XLVIII. Unde nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore convenire posse nullatenus arbitramur. Iterum quid hinc sacri canones dicant episcopo vestro docente scietis.

XLIX. Præterea sciscitamini, si licet exhibere vobis quemadmodum prius in dotem conjugibus vestris aurum, argentum, boves, equos, etc., quod quia nullum peccatum est et leges hoc connivent, et nos ut fiat minime prohibemus; et non solum hoc, verum etiam quidquid ante baptismum egistis, et nunc quoque vobis agere profecto conceditur (*S. Greg. hom.* 24 *in evang.*). Nam piscatorem Petrum, Matthæum vero telonarium scimus, et post conversionem suam Petrus ad piscationem rediit, Matthæus vero ad telonii negotium non resedit, quia et aliud est victum per piscationem quærere, aliud telonii lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccato exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt, ad illa ergo tantum, quæ ad peccatum implicant, necesse est ut post conversionem animus non recurrat: quod vero quisque ante conversionem sine peccato exercuit, hoc eum post conversionem repetere non est culpa.

L. Quid de eo, qui de quadragesimali tempore cum uxore sua coierit, sit judicandum, episcopi vestri, et sacerdotis qui ab eo constituetur, arbitrio considerandum, ac diffiniendum committimus, qui singulorum mores agnoscere poterunt; et uniuscujusque vestrum causas libratis personis, ac temporibus discernere, seu moderari debebunt. Porro cum ea eodem tempore sine aliqua contaminatione dormire omnino liceret, si ignis, et palea sine læsione communionem aliquam habuissent, vel si diabolicæ fraudis astutiæ nescirentur nam ubi masculus cum femina pariter conversantur, difficile est insidias hostis antiqui deesse, quæ nimirum non defuere, ubi solitaria fratris et sororis, Amnonis scilicet et Thamar, exstitit parvissimo spatio commoratio (*I Reg.* XIII).

LI. Si liceat uno tempore habere duas uxores exquiritis, quod si non licet, scire cupitis, apud quem inventum fuerit, quid exinde facere debeatis. Duas tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. Nam Deus, qui fecit hominem, ab initio masculum unum fecit et unam feminam tantum (*Gen.* I), cui potuit utique si vellet duas uxores tribuere, sed noluit; scriptum quippe est : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ* (*Gen.* II), non dixit, uxoribus; et iterum : *Erunt duo in carne una* (*ibid.*), masculus scilicet et femina in carne una, et non tres aut plures. Itaque apud quem uno tempgre duæ uxores inveniuntur, interim priorI retenta posteriorem cogatur amittere : insuper et pœuitentiam quam loci sacerdos præviderit [præceperit. Ut cap. 78 *consideravit.* HARD.], compellatur suscipere. Denique hoc tam immane scelus est, ut homicidii quidem peccatum, qnod Cain in Abel fratrem suum commisit (*Gen.* IV), septima generatione cataclysmo vindicatum fuerit (*Gen.* VII); adulterii autem flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus uxoribus perpetravit (*Gen.* IV), nonnisi sanguine Christi abolitum exstiterit, qui septima et septuagesima generatione secundum Evangelium luxerit in mundum.

LII. Si nosse desideratis quid de his qui quemlibet eunuchizant judicandum sit, paginas legum revolvite.

LIII. Consulitis si licet super mensam, in qua sacerdos, aut diaconus deest, vexillum sanctæ crucis imprimere et comedere : quod procul dubio licet, nam omnibus datum est, ut et omnia nostra hoc signo debeamus ab insidiis munire diaboli, et ab ejus omnibus impugnationibus in Christi nomine triumphare : superest tantum, ut cum potior adest, inferior hoc sibi nisi jussus non audeat arrogare : quoniam, *Non est discipulus super magistrum* (*Matth.* X), et iterum præcipit Apostolus dicens : *Honore invicem prævenientes* (*Rom.* XII).

LIV. Dicitis quod Græci fateantur quod in Ecclesia qui non constrictis ad pectus manibus steterit, maximum habeat peccatum : hoc ut fieret præceptum fuisse nusquam, ni fallimur, invenitur, ae per hoc, nisi fiat, peccatum non est : nam quidem faciunt hoc, quidam illud, nunc isti hoc genus humilitatis, nunc illud ostentant : nisi forte qui pertinaciter recuset facere, quod omnes viderit facientes. Verum et hoc, et multa in diversis locis alia humilitatis indicio fiunt, et hoc, cum sit, nonnisi humilitatis gratia fit, et revera scriptum est : *Oratio humiliantium se nubes penetrabit* (*Eccle.* XXXV), proinde sive hoc, sive aliud quid humilitatis excogitare potest homo, non est reprehendendus, quia secundum Evangelium, *qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XVIII). Si enim quis ante principem mortalem veniens cum omni reverentia et timore stat, loquitur, et incedit, quanto potius eum qui ante Deum, qui est æternus, terribilis, et excelsus, accesserit, cum omni pavore ac tremore non solum stare convenit, sed et quasi servum semetipsum in conspectu ejus humiliter præsentare, et quia quorumdam in Evangelio reproborum ligari manus, et pedes præcipiuntur (*Matth.* XXII), quid aliud isti agunt qui manus suas coram Domino ligant, nisi Deo quodammodo dicunt, Domine, ne manus meas ligari præcipias, ut mittar in tenebras exteriores : quoniam jam ego eas ligavi, et ecce ad flagella paratus sum? Hinc etiam pectus percutimus signantes videlicet, quod nequiter egimus, displicere nobis, ac ideo antequam Deus feriat, id nos in nobis ipsis ferire, et antequam ultio extrema veniat, commissum pœnitentia digna punire.

LV. Jam vero quod asseritis, Græcos vos prohibere communionem suscipere sine cingulis, quibus sacræ Scripturæ testimoniis hoc prohibere jure pro-

bentur, nos penitus ignoramus, nisi forte illo quo Dominus præcipit dicens : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XXII). Verum hoc sancti Evangelii testimonium non per litteram, sed per spiritum oportet impleri. Nam si ad hoc istud præceptum est ut taliter servaretur,cur non fiunt pariter quæ sequuntur,ut *lucernæ ardentes*? (*Exod.* XVIII) et sicut agnum comedentibus jubetur, ut baculum in manibus teneant? habent suum ista mysterium, et intelligentibus ita clara sunt, ut ea magis, qua decet, significatione serventur. Nam in lumborum præcinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus bonorum splendor operum, de quibus dicitnr : *Sic opera vestra luceant* (*Matth.* V), indicatur. Rudes ergo fidelium mentes, ut sanctus et egregius propugnator Ecclesiæ papa Cœlestinus scribit (*epist.* 1) cujus hæc summatim verba mutuati sumus, ad talia non debemus inducere, docendi enim sunt potius quam illudendi, nec imponenda eorum oculis, sed mentibus infundenda præcepta sunt.

LVI. Nosse vos velle asseveratis,si liceat omnibus vestris præcipue tempore siccitatis, ad pluviam postulandam jejunium et orationem facere, vobis quidem hoc agere licet : quoniam jejunium et oratio magnæ virtutes [*forte*, virtutis, HARD.]sunt,et ad has jugiter faciendas vestra multum valet hortatio; sed congruentius est si hæc per episcoporum dispositionem fiant: ipsi namque sunt qui ligandi,solvendique potestatem accipiunt, ad horum vocem populi Dei castra moventur, et requiescunt : sine his tanquam sine capite fore videmini, et quasi oves errantes, et non habentes pastorem inceditis. Siquidem in talibus prisco tempore, quod nunc quoque sancta tenet Ecclesia, sacerdotum præcedebat institutio, et omnis penitus ordinatio, et tunc reliquæ plebis subsequebatur assensus, ac per hoc ordine debito custodito, et unanimitate servata, Deo largiente, voti præstabatur effectus.

LVII. Græcos vetare perhibetis eunuchos animalia vestra mactare, ita ut eum qui ex animalibus ab illis occisis comederit, grave commisisse peccatum affirment. Sed nobis valde absonum est, et adhuc frivolum sonat, quod dicitur. Porro quia ratiocinationem ista dicentium non audimus, nihil interim de assertione ipsorum nondum plene cognita decernere diffinitive valemus. Unum tamen scimus,quoniam si eunuchi præcepta Dei custodierint, ad regnum cœleste percipiendum nihil eis obesse membrorum poterit detruncatio, cum secundum Apostolum in resurrectione omnes occurramus in virum perfectum (*Ephes.* IV), et per prophetam Dominus, si ejus mandata observaverint, eunuchis nonnulla læta promittat (*Isa.* LVI). Siquidem et ille eunuchus Æthiops a sancto Luca evangelista pro virtute et integritate vir appellatur dum dicit : *Et ecce vir Æthiops eunuchus potens Candacis reginæ* (*Act.* VIII).

LVIII. Utrum velato an nudato capite mulier in ecclesia stare debeat, Apostolus docet (*I Cor.* XI) : *Mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum ; unum est enim ac si decalvetur,nam si non velatur mulier, tondeatur ; si vero turpe est mulieri tonderi aut decalvari, velet caput suum ;* et iterum : *Ideo*, inquit, *debet mulier velamen habere super caput propter angelos*, id est, sacerdotes ; et rursus ait : *Vos ipsi judicate, decet mulierem non velatam orare Dominum? nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier vero si comam nutriat, gloria est illi? quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.*

LIX. Quod de femoralibus sciscitamini, supervacuum esse putamus; nos enim non exteriorem cultum vestium vestrarum, sed interioris hominis mores in vobis mutari desideramus, nec quid induatis præter Christum, *quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III) ; sed quomodo in fide, ac bonis operibus proficiatis inquirimus. Verum quia simpliciter de his interrogatis, verentes videlicet ne vobis in peccatum imputetur, si præter aliorum consuetudinem quid saltem in minimis agitis Christianorum, ne quid desiderio vestro subtrahere videamur, dicimus, quoniam in libris nostris jussa sunt femoralia fieri, non ut his mulieres uterentur, sed viri : nunc autem, ut quemadmodum a veteri ad novum transistis hominem, ita de priori consuetudine ad morem nostrum per omnia transeatis facite ; sin autem, quod placet agite. Nam sive vos, sive feminæ vestræ, sive deponatis, sive induatis femoralia, nec saluti officit, nec ad virtutum vestrarum proficit incrementum. Sane quoniam diximus jussa fuisse femoralia fieri, notandum est, quia nos spiritualiter induimur femoralibus, cum carnis libidinem per abstinentiam coarctamus : nam illa loca femoralibus constringuntur, in quibus luxuriæ sedes esse noscuntur, quamobrem fortasse primi homines post peccatum in membris suis illicitos sentientes motus ad arboris ficulneæ folia concurrentes sibi perizomata texuerunt (*Gen.* III) ; sed hæc spiritualia sunt, quæ hactenus portare non poteratis, *sed necdum*, ut cum Apostolo dicam, *potestis ; adhuc enim estis carnales* (*I Cor.* III) ; et ideo hinc perpauca diximus, cum plura Deo donante dicere valeremus.

LX. Consulentibus vobis si liceat absque jejuniorum tempore quantulumcunque valde mane comedere, respondemus, quoniam neminem patrum nostrorum ante horam diei tertiam manducasse, nec sancta Ecclesia ante horam hanc traditionem sumendi cibum accepisse recolimus,vel monumentis quibuscunque reperimus : e contrario vero quosdam eorum usque ad vesperum, alios autem usque ad nonam horam diei : porro alios usque ad sextam invenimus jejunasse: nullum autem mane cibi quantulumcunque sumpsisse comperimus,cum potius *Væ* dictum qui mane comedunt fuisse legerimus (*Isa.* V). Quamobrem ab isto maledicto vos alienos esse desiderantes hortamur, ut ante horam diei tertiam nullum omnino corporalem cibum etiam in ipsis insignibus solemnitatibus omnino sumatis : nam quæ solemnitas potest esse Pentecoste sublimior, in qua

Spiritus sanctus super apostolos descendit, ac per hoc homines meruerunt in se suscipere Dominum? In ista nempe festivitate sancti apostoli cum aliis nonnullis hora diei tertia reperiuntur fuisse jejuni, cum repletos Spiritu sancto, et loquentes omnium gentium linguis quibusdam incredulis audientibus, et obstupescentibus, et quod musto essent repleti ii, qui simul aderant falso dicentibus : Petrus apostolorum princeps responderit, dicens : *Non enim, sicut vos æstimatis, ebrii sunt isti, cum sit hora diei tertia* (*Act.* II), ubi notandum quod non solum apostoli, sed et omnes qui cum ipsis erant, id est centum viginti viri, super quos Spiritus sanctus cecidit, hora diei tertia jejuni reperiantur. Simul etiam notandum quod non dixerit beatus Petrus simpliciter : *Non, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt*, sed addiderit : *cum sit hora diei tertia ;* ac si patenter diceret : Ipsi liquido nostis, quod non sit istis consuetudini ante horam diei tertiam jejunium solvere, quamobrem frustra illos ebrios esse putatis. Imitamini itaque hos, ut Spiritus sanctus, et si non tardius, saltem hora tertia diei vos jejunos inveniens, sicut istos, vos quoque inspiratione suæ gratiæ repleat.

LXI. De cætero scire vos velle significatis, quot vicibus laicalis persona per unumquemque diem orationem facere debeat, in quo scire vos convenit, neminem exceptum esse ab eo, quod Dominus in Evangelio dicit : *Oportet semper orare, et non deficere* (*Joan.* XVIII) ; et Apostolus : *Sine intermissione orate* (*I Thess.* V) ; quod sanissime præfato sancto Augustino docente, sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi ; quæ autem sint hæc certa tempora orandi, quæ nullo die prætermitti debeant, quærite et invenietis.

LXII. Refertis quod lapis inventus sit apud vos antequam Christianitatem suscepissetis, de quo si quisquam ob aliquam infirmitatem quid accipit, soleat aliquoties remedium corpori suo præbere : aliquoties vero sine profectu remanere ; quod utique etiam de illo lapide, qui nunquam sumentibus quotidie certum est evenire videlicet, ut alii quidem ab ægritudine sua remedium sanitatis recipiant, alii vero infirmitate tabescant. Quamobrem nos tanquam erroris (*a*) vobis consulentibus utrum de cætero sit agendum an respuendum, respondemus, et decernimus, quatenus omnis ejusdem lapidis sumptus penitus prohibeatur, et omnimodis refutetur, et in solo illo lapide Domino nostro Jesu Christo, quem reprobavere ædificantes, hic factus est in caput anguli (*Matth.* XXI), spes totius salutis humanæ ponatur, et tanquam a fortissimo recuperandæ fortitudinis nostræ remedium exspectetur, ad quem vos accedere, et in eo fiduciam omnem locare beatissimus primus apostolorum Petrus per epistolam suam hortatur, dicens : *Ad quem accedentes lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini in domum spiritalem* (*I Petr.* II).

LXIII. Consulitis præterea si liceat viro Dominico nocturno vel diurno tempore cum uxore sua conjungi aut dormire, quibus respondemus : quoniam si Dominico die ab opere mundano cessandum est, sicut supra docuimus, quanto potius a voluptate carnali et omnimodo corporis pollutione cavendum ? præsertim cum Dominici diei nomen, quod nihil eodem die præter quæ Domini sunt Christianus agere debeat, liquido manifestet. Porro idipsum est de nocturno ipsius diei quod de diurno tempore sentiendum. Unus est enim dies, qui tam diurno, quam nocturno spatio constat, viginti quatuor horas habens. Nam nisi tam absentia quam præsentia solis unus existeret dies, nequaquam Scriptura diceret : *Factum est vespere et mane dies unus* (*Gen.* I) : jam vero si dormiendum simpliciter eodem sit tempore cum uxore propria, quinquagesimo harum responsionum nostrarum capitulo quod sensimus, cursim jam intimavimus. Porro, ut verbis utar Apostoli, *hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi* (*I Cor.* VII).

LXIV. Quot diebus viro, postquam mulier filium genuerit, ab ea sit abstinendum, non adinventionibus nostris, sed verbis beatæ memoriæ Gregorii Romani pontificis, et Anglorum gentis apostoli declaratur, qui Augustino episcopo, quem in Saxoniam ipse direxerat, scribens inter cætera dixit (*Epist. lib.* XII, *epist.* 31) : Ad ejus vero (id est mulieris) concubitum vir suus accedere non debet, quoadusque proles quæ gignitur, ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios quos gignunt nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus nutriendos tradant; quod videlicet sola causa incontinentiæ videtur inventum, qui dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt.

LXV. Tunc recte non licet cuilibet communionem Christi percipere, quando gulæ deditus non invenitur jejunus, adeo ut mysticam mensam parvipendens prius cibi laici sumptu jejunium solvisse videatur, Christique venerandum corpus ac pretiosum sanguinem a cæteris non discernens alimentis non præposuisse omni humanæ refectioni, sed postposuisse noscatur. Remedium quippe salutiferum est corpus Christi contra peccatum, et qui hoc ante omnem escam veneranter non sumit (*b*). Et certe quotidie medicos vacuis visceribus sua cernimus pocula propinare : et si hoc pro sanitate corporis agitur, quanto potius est pro animæ salute patrandum ? Cæterum quamobrem non debeat is, cui sanguis ex ore vel naribus profluxerit, corpus ac sanguinem Christi percipere, regula nulla docet. Nam

(*a*) Vox illa, *erroris*, aut est corrupta, aut superflua. HARD.

(*b*) Hujus loci pars altera deest.

quod invitus quis patitur, in culpam ei non debet imputari, ac per hoc nec a participatione tanti remedii coerceri : novimus namque quia mulier quæ fluxum patiebatur sanguinis, post tergum Domini humiliter veniens vestimenti ejus fimbriam tetigit, atque ab ea statim infirmitas recessit.Si itaque mulier hæc in fluxu sanguinis posita vestimenti Dominici tactu non judicatur indigna, imo ipsius Domini,nam ipsi dixit : *Tetigit me aliquis* (*Matth.* IX); cur ei qui sanguinis ex ore vel naribus fluorem sustinet,non liceat salutifera Christi sacramenta percipere ?

LXVI, Græcos prohibere vos asseritis cum ligatura lintei quam in capite gestatis,ecclesiam intrare ; quos [*forte*, quod, HARD.] nos quoque similiter non abs re forsitan inhibemus : nam sæpe memoratus ac semper memorandus apostolus Paulus ait : *Omnis vir orans aut prophetans velato capito, deturpat caput suum.* Et iterum : *Vir quidem non debet velare caput, quoniam imago et gloria est Dei* (*I Cor.* XI); quod enim de velamine dici, etiam de ligaturæ volumine debet, credimus, observari.

LXVII. Perhibetis vos consuetudinem habuisse, quotiescunque aliquem jurejurando pro qualibet re disponebatis obligare, spatham in medium afferre, et per eam juramentum agebatur : nunc autem per quos jurare debeatis a nobis juberi deposcitis. Sed nos ante omnia non sum per spatham,verum etiam per aliam omnino conditam speciem jurari judicamus indignum. Per quem enim quis jurat,profecto et diligit et veneratur, sed et fiduciam suam ei firma stabilitate commendat : quamobrem per Deum jurandum est,qui ab hominibus diligendus et venerandus,et in quo omnis spes et fiducia est locanda, et a quo præ cunctis creaturis est semper auxilium exspectandum,nam cum a Domino per cœlum, terram, caput et Jerusalem non jurare jubetur,nil nisi ut per creaturam juretur, procul dubio inhibetur. Quod autem per Dei nomen jurare præcipiamur,ipso jubente, didicimus.Sane possumus per eas duntaxat creaturas jurare, quæ divinis sunt cultibus deputatæ,ut est templum et altare, in quibus qui jurat, jurat in ipsis, et qui habitat in ipsis, et si quæ sunt talia.Quapropter jure per Evangelium jurandum est, in quo quidquid continetur, nihil nisi Dei,qui in eo scribitur et legitur esse, præfecto dignoscitur : ipsum est enim lex nostra,ipsum testamentum nostrum,quod legiter et testator Dominus et Redemptor noster electis suis disposuit,et si hoc amamus per ipsum etiam juramus ; etenim omnis vera qui dicit,per eum jurat quem amat ; nos ergo si per Evangelium juramus,et testatorem,et ipsum testamentum diligere comprobamur,et ab ejus mandatis nos nolle recedere procul dubio significamus.

LXVIII. Requisistis post quot dies mulier possit ecclesiam intrare postquam genuerit : in quo nos prædecesoris nostri beati Gregorii papæ vestigia sequentes, eadem quæ ipse decernimus, qui pro nova gente sicut nos modo instruenda scribens,inter alia dixit (*Epist. lib.* XII, *epist.* 31) : Si mulier hora eadem qua genuerit, actura gratias intret ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur : voluptas enim carnis, non dolor in culpa est, in carnis autem commistione voluptas est ; nam in prolis prolatione gemitus, unde et ipsi primæ omnium matri dicitur : *In doloribus paries* (*Gen.* III) : si ergo enixam mulierem intrare ecclesiam prohibemus,ipsam ei pœnam in culpam deputamus.

LXIX. Quot vicibus per totum annum baptismata celebrari debeant, vel si eodem die licitum sit carnes comedi, vel quot in consequentibus ab his sit abstinendum, requiritis. Insignia igitur anni sive solemnia tempora, quibus baptismata celebrantur, secundum canones, duo sunt, Paschæ scilicet et Pentecostes. Verum circa vos nulla sunt in baptizando tempora penitus observanda ; quemadmodum nec erga eos qui mortis vicinæ periculum metuentes tanto lavacro purgari desiderant : a carnibus autem ipso die iis qui Sabbato sancto,vel sabbato Pentecostes baptizati fuerint, abstinere procul dubio convenit : consequentibus vero septem diebus,qui a veteribus dies azymorum dicebantur,et diei resurrectionis Dominicæ convincti [conjuncti] rite celebrantur,si quisquam quandocunque carnibus vesci affectat, multo magis edere carnes oportet.

LXX. Consulendum decernitis utrum presbyterum uxorem habentum debeatis sustentare et honorare, an a vobis projicere : quo respondemus, quoniam licet ipsis valde reprehensibiles sint, vos tamen Dominum imitari convenit, *qui solem suum*,ut Evangelium testatur, *oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V). Dejicere vero eum a vobis ideo non bebetis, quoniam nec Judam Dominus,cum esset mendax discipulus, de numero apostolorum dejecit. Verum de presbyteris qualescunque sint, vobis, qui laici estis, nec judicandum est, nec de vita ipsorum quidpiam investigandum,sed episcoporum judicio quidquid est, per omnia reservandum.

LXXI. Sciscitantibus vobis, si a sacerdote, qui sive comprehensus est in adulterio, sive de hoc fama sola respersus est, debeatis communionem suscipere, necne, respondemus : Non potest aliquis quantumcunque pollutus sit,sacramenta divina polluere,quæ purgatoria cunctarum remedia contagionum existunt. Nec potest solis radius per cloacas et latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere : proinde qualiscunque sacerdos sit, quæ sancta sunt coinquinare non potest ; idcirco ab eo usquequo episcoporum judicio reprobetur,communio percipienda est : quoniam mali bona ministrando se tantummodo lædunt : et cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat, et unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite igitur intrepide ab omni sacerdote Christi mysteria, quoniam omnia in fide purgantur.Fides est enim, quæ vincit hunc mundum, et quia non dantis, sed acci-

pientis sit, docente sancto Hieronymo, ad credendum in omni anima baptismum esse perfectum, et in omni sacerdote corpus Christi esse perfectum, qui rursus sacræ Scripturæ concordans ait : Priusquam audias, ne jndicaveris quemquam, atque ante probationem accusationis illatæ, neminem a tua communione suspendas, quia non statim qui accusatur, reus est ; sed qui convincitur, criminosus.

LXXII. Requisistis si liceat in vobis patriarcham ordinari, sed de hoc nihil diffinitive respondere possumus, priusquam legati nostri, quos vobiscum mittimus, reversi fuerint, et nobis, quæ inter vos multitudo sit et unanimitas Christianorum, renuntient. Nam interim episcopum habetote, et cum incremento divinæ gratiæ Christianitas ibi fuerit dilatata, et episcopi per singulas ecclesias ordinati, tunc eligendus est inter eos unus, qui si non patriarcha, certe archiepiscopus appellandus sit ; ad quem omnes concurrant, et cujus consilium in causis majoribus præstolentur ; idipsum etiam apostolicis regulis præcipientibus ac dicentibus (*Can. apost.* 34) : Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eas primus habeatur, quem velut caput existiment et nihil amplius præter ejus conscientiam gerant, etc.

LXXIII. A quo autem sit patriarcha ordinandus interrogatis, et idcirco scitote quia in loco ubi nunquam patriarcha vel archiepiscopus constitutus est, a majori est primitus instituendus : quoniam secundum Apostolum minus a majori benedicitur (*Hebr.* VII), deinde vero accepta licentia, et pallii usu ordinat ipse sibi deinceps episcopos, qui successorem suum valeant ordinare. Vos tamen sive patriarcham, sive archiepiscopum, sive episcopum vobis ordinari postuletis, a nemine nunc velle congruentius, quam a pontifice sedis beati Petri, a quo et episcopatus et apostolatus sumpsit initium, hunc ordinari valetis, in quo hic est ordo servandus, ut videlicet a sedis apostolicæ præsule sit nunc vobis episcopus consecrandus, qui, si Christi plebs, ipso præstante, erescit, archiepiscopatus privilegia per nos accipiat ; et ita demum episcopos sibi constituat, qui ei decedenti successorem eligant : et propter longitudinem itineris non jam huc consecrandus qui electus est veniat : sed hunc episcopi, qui ab obeunte archiepiscopo consecrati sunt, simul congregati constituant : sane interim in throno non sedentem, et præter corpus Christi non consecrantem, priusquam pallium a sede Romana percipiat, sicuti Galliarum omnes, et Germaniæ, et aliarum regionum archiepiscopi agere comprobantur.

LXXIV. Sciscitamini si, cœpta oratione, nuntius venerit de hostibus, ac ideo ipsam orationem consummare nequiveritis, quid vobis agendum sit? Quid aliud utique, nisi ut bonum, quod cœpistis, quocunque vos perrexisse contigerit, perficiatis ? nam non est Christianis unus locus orationis, sicut Judæis erat Hierosolymis ; et velut Samaritanis in monte Garizim, sed in omnibus locis, quemadmodum et Apostolus ait : *Volo ergo viros orare in omni loco levantes puras manus* (*I Tim.* VIII). Praterea qui in bono opere perseveraverit in finem, hic salvus erit ; præcipue eo tempore, quando contra inimicorum itur incursus ; et oratione, sicut jam supra diximus, magis quam armis exspectari debet ab hoste triumphus.

LXXV. Judicium pœnitentiæ, quod postulatis episcopi nostri quos in patriam vesiram misimus, in scriptis secum utique deferent ; aut certe episcopus, qui in vobis ordinabitur, hoc cum oportuerit, exhibebit ; nam sæculares tale quid habere non convenit, nimirum quibus per id quemquam judicandi ministerium nullum tribuitur.

LXXVI. Similiter et de codice ad faciendas missas asserimus.

LXXVII. Refertis quod Græcorum quibusdam codicem accipientibus in manibus clausum, unus ex eis accipiens parvissimam particulam ligni, hanc intra ipsum codicem condat, et si undecunque aliqua vertitur ambiguitas : per hoc affirment scire se posse quod cupiunt. Vos vero consulitis si sit hoc tenendum an respuendum, utique respuendum ; scriptum est enim : *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus : et non respexit in vanitates et insanias falsas* (*Psal.* XXXIX).

LXXVIII. Enarratis quod populus ille qui propter Christianam religionem ad occidendum vos insurrexere, pœnitentiam agere voluerit, et sacerdotes illi, qui inter vos advenæ sunt, hanc recipere recusarint : nunc autem requiritis quid de eis agendum sit. Si quemadmodum asseritis, sponte pœnitentiam agere volunt, non sunt prohibendi, sed per omnia pœnitentiæ submittendi, quam episcopus, vel presbyter ordinatus ab illo consideraverit : nam non suscipere pœnitentes, non est catholicorum, sed Novatianorum.

LXXIX. Perhibentes quod moris sit apud vos infirmis ligaturam quamdam ob sanitatem recipiendam ferre pendentem sub gutture, requiritis, si hoc agi nos de cætero jubeamus ; quod non solum agi non jubemus, verum etiam ne fiat, modis omnibus inhibemus : hujusmodi quippe ligaturæ, phylacteria dæmonicis snnt inventa versutiis, et animarum hominum esse vincula comprobantur, ac ideo his utentes anathemate apostoiica decreta perculsos ab Ecclesia pelli præcipiunt.

LXXX. Cum generatione, quæ pacem vobiscum habere quærit, quomodo ad alterutrum pacem firmare et custodire debeatis, inquiritis. Quæcunque gens vobis pacem offerre voluerit, vos nolite renuere, scriptum quippe est : *Pacem sequimini cum omnibus* (*Hebr.* XII). Et rursus : *Cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* XII) : ubi *omnibus* sonat, nemo a mutua pace prorsus excipitur. Quomodo vero ipsa sit pax cum hujusmodi firmanda, vel custodienda, nisi gentis, cum qua pax ineunda est, mores et verba prænoscantur facile diffinire non possumus.

Verumtamen quia est laudabilis pax, est et perni-

ciosa, providendum est, ut in omni pacto Christus præponatur, ita ut lege ipsius, et præcipue fide illæsa persistente, fœdus, quod invicem pangitur, permaneat incorruptum : quam autem pacem sectari debeatis, Dominus manifestat, cum dicit : *Pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV), cum eo igitur qui pacem Christi non habet, nec nos communionis habere pacem debemus; sed nec cum illo qui pacem idcirco postulat, ut liberius nociva committat.

LXXXI. Percontati estis, si cum generatione, quæ Christiana est, fœdus interposito ex utraque parte jurejurando feceritis, et post hæc illi pactum dirumpere, et super vos insurgere voluerint; utrum et vos adire contra eos audeatis, an aliud quid agere debeatis. Verum omnis est necessitas toleranda, magis quam a nobis quælibet iniquitas perpetranda : proinde fœdus quod pangitis, nulla est occasione violandum, nisi forte in confirmandi fœderis ipsius articulo interpositum est, quatenus sic una pars id foret observatura, si pars hoc altera nulla tergiversatione violasset; siquidem a Christiano genus omne mendacii summopere declinandum est propter illud, quod a Deo dicitur : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V). Et iterum : *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I). Et Apostolus : *Nolite*, ait, *mentiri invicem* (*Col.* III). Jam vero si illi postposito juramento, diruptoque fœdere contra vos insurrexerint, quid vos oporteat agere, episcopus vester a vobis inquisitus respondeat, qui juxta positus et circumstantiam rerum, et temporum qualitatem, et mores personarum, et justitiam partium clare cognoscens, quod congruentius et salubrius esse perspexerit, tunc facilius poterit indicare, et quid agi conveniat cuncta prænoscens vobis pleniter intimare. Verum nos interim rebus incognitis satius admonemus, ut semper rogetis ea quæ pacis sunt.

LXXXII. Cum paganis autem quod sit Christiano pactum faciendum, Apostolus indicat, qui nullam communionem luci ad tenebras, Christi ad Belial (*I Cor.* VI), fideli cum infideli dat intelligi debere prorsus existere. Verum si eo fidelis animo pactum cum infideli constituit, ut eum ad cultum veri Dei possit attrahere, non est prohibendum : quandoquidem Apostolus etiam matrimonium, quod ex fideli constat et infideli, non inhibet permanendum (*I Cor.* VII); et Moyses cognatum suum ad Dei veri notitiam trahere volens, ejus societatem non aspernatur, sed comitatui suo ducem fore summopere deprecatur. Inveniuntur autem nonnulli sanctorum et fidelium cum alienigenis et infidelibus pacta et amicitiæ fœdera contraxisse diversa : sed eos non tanquam infidelitatem eorum, et superstitionem approbantes coluisse, sed tanquam in angarias diversis usibus implicasse et præcipue in terrenis eos quæstibus et servilibus occupasse.

LXXXIII. Si liceat vobis de criminalibus peccatis aliquem judicare consulitis; sed si nemo voluisset peccare, nemo debuisset aliquem judicare; at postquam peccatur, profecto et judicatur. *Scimus* enim, ut secundum Apostolum dicamus, *quia justo lex non est posita, sed injustis, et non subditis, et impiis, et peccatoribus, sceleratis, patricidis, et matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei* (*I Tim.* I) : non autem vobis licet clericos judicare, cum vos magis ab ipsis conveniat judicari.

LXXXIV. Requirendum a nobis ducitis quid de eo judicandum sit, qui quemlibet falso criminatus fuerit, et postmodum accusator fallax apparuerit. De hoc quamvis venerandæ leges abunde quod justum est innuant; nos tamen potius cum Apostolo vos ad misericordiæ viscera quam se Deus super sacrificium velle testatur, semper convenit exhortari; siquidem ipse cum gentes, quarum magister erat, doceret, non ad austeritatem legis, sed potius eas ad misericordiæ viscera provocabat dicens : *Induite vos ergo sicut electi Dei sancti et dilecti viscera misericordiæ benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos* (*Col.* III).

LXXXV. Ergo similiter et circa eum, de quo scitamini, qui mortiferum quid homini dederit ad bibendum, vos ad misericordiam exhortamur, sicut et Dominus jubet, dicens : *Dimittite et dimittetur vobis* (*Luc.* VI).

LXXXVI. Si fur vel latro deprehensus fuerit, et negaverit quod ei impingitur; asseritis apud vos, quod judex caput ejus verberibus tundat, et aliis stimulis ferreis, donec veritatem depromat, ipsius latera pungat; quam rem nec divina lex, nec humana prorsus admittit, cum non invita, sed spontanea debeat esse confessio, nec sit violenter elicienda, sed voluntarie proferenda : denique, si contigerit vos etiam illis pœnis illatis, nihil de his, quæ passo in crimen objiciuntur, penitus invenire, nonne saltem tunc erubescitis, et quam impie judicetis agnoscitis? Similiter autem si homo criminatus talia passus sustinere non valens, direxit se perpetrasse quod non perpetravit; ad quem, rogo, tantæ impietatis magnitudo revolvitur, nisi ad eum qui hunc talia cogit mendaciter confiteri? quamvis non confiteri noscatur, sed loqui, qui hoc ore profert, quod corde non tenet. Relinquite itaque talia, et quæ hactenus insipientes exercuistis, medullitus exsecramini, quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Porro cum liber homo crimine fuerit appetitus, nisi jam pridem repertus est alicujus sceleris reus, aut tribus testibus convictus pœnæ succumbit, aut si convinci non potuerit, ad Evangelium sacrum, quod sibi objicitur, minime commisisse jurans absolvitur; et deinceps huic negotio finis imponitur, quemadmodum crebro dictus Apostolus doctor gentium attestatur : *Omnis*, inquiens, *controversiæ*

eorum finis ad confirmationem est juramentum (*Hebr.* VI).

LXXXVII.. Utrum si mulierem viduam nolentem vitam monasticam suscipere, quia monacham fecerit, peccatum committat, inquiritis : sed in hoc sciendum est, quoniam aliæ sunt virtutes, sine quibus ad vitam ingredi non possumus, aliæ vero sunt, quæ nonnisi ab sponsore requiruntur; sine humilitate quippe, castitate et elecmosynis, et orationibus, nullus ad vitam ingredi valet, et ista sunt cum his similibus, quæ requiruntur ab homine. Monachicum autem habitum induere ac vitam remotam ducere, nonnisi a spondente divinitus exiguntur. Unde quisquis vim intulerit alicui, ut monasticum habitum, et vitam remotiorem, quam non optavit, nec elegit, assumat; hic tanquam violentus peccatum evadere non valet : et quoniam quod agitur ex accipientis voto non venit, nec accipiens religiosum habitum inde mercedem habet, nec inferens crudelitatis suæ judicio carebit.

LXXXVIII. Pro parentibus vestris, de quibus consulitis, qui infideles mortui sunt, propter peccatum incredulitatis orare non licet, secundum illud Joannis apostoli dicentis : *Est peccatum ad mortem, non dico ut oretur pro eo* (*I Joan.* V), peceatum quippe ad mortem est in eodem peccato morientibus.

LXXXIX. Fruges novas et rerum offerre primitias etiam veteribus moris erat, quod pene in ipso initio mundi Abel et Cain egisse legimus.

XC. Animalia sive volatilia, si sine ferro macientur, et solo ictu hominis percussa moriantur, si liceat comedi sciscitamini. De hoc sanctus Augustinus contra Faustum Manichæum pleniter scripsit, de cujus verbis nos modicum quid nunc propter prolixitatem tangimus : Ubi, inquit, ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat : quis jam hoc Christianus observat, ut turdos, vel minutiores aviculas, non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat, si manu a cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est; et qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a cæteris irridentur, ita omnium animos in hac retinuit illa sententia Veritatis : *Non quod intrat in os vestrum vos coinquinat, sed quod exit* (*Matth.* XV.)

XCI. Neque quod Christianus persequitur, et a pagano percutitur et occiditur animal, neque quod paganus persequitur, Christianus occidit, a Christiano comedendum est; no videlicet fidelis cum infideli saltem in modico communicasse videatur : *quæ enim pars fideli cum infideli?* (*II Cor.* VI) et rursus propter conscientiam non fidelis utique, sed infidelis gloriantis scilicet se, quod sibi a Christiano fuerit communicatum, ac per hoc autumantis, eo quod non fuerit a fideli spretus, quod vanitas erroris sui a Christiano exstiterit approbata.

XCII. Desideratis nosse quot sint veraciter patriarchæ. Veraciter illi habendi sunt patriarchæ, qui sedes apostolicas per successiones pontificum obtinent, id est, qui illis præsunt ecclesiis, quas apostoli instituisse probantur, Romanam videlicet, et Alexandrinam, et Antiochenam. Romanam, quam sanctorum principes apostolorum Petrus ac Paulus et prædicatione sua instituerunt, et pro Christi amore fuso proprio sanguine sacraverunt. Alexandrinam, quam evangelista Marcus discipulus et de baptismate Petri filius a Petro missus instituit et Domino Christo cruore dicavit. Antiochenam, in qua conventu magno sanctorum facto, primum fideles dicti sunt Christiani, et quam beatus Petrus priusquam Romam veniret, per annos aliquot gubernavit. Constantinopolitanus autem et Jerosolymitanus antistites, licet dicantur patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis, quantæ superiores existunt. Nam Constantinopolitanam ecclesiam nec apostolorum quisquam instituit, nec Nicæna synodus, quæ cunctis synodis celebrior et venerabilior est, ejus mentionem aliquam fecit : sed solum, quia Constantinopolis nova Roma dicta est, favore principum potius quam ratione, patriarcha ejus pontifex appellatus est. Hierosolymitanus autem præsul, licet et ipse patriarcha dicatur, et secundum antiquam consuetudinem ac Nicænam synodum honorandus sit, salva tamen metropoli propria dignitate : sed et in eadem sancta et magna synodo nequaquam Jerosolymitanus, sed Æliæ episcopus dicitur. Nam vera Jerusalem tantum in cœlis est, quæ est mater nostra; illa vero Jerusalem terrestris, secundum quod Dominus prædixit, adeo funditus ab Ælio Adriano imperatore Romano destructa est, ut in ea nec lapis super lapidem sit derelictus, et ab eodem Ælio Adriano in alio est loco constructa; ita ut locus Dominicæ crucis extra portam, nunc intra cernatur, et a prædicto Ælio Adriano urbs illa Ælia vocitetur.

XCIII. Porro quis patriarcharum secundus sit a Romano consulitis; sed juxta quod sancta Romana tenet Ecclesia, et Nicæni canones innuunt, et sancti præsules Romanorum defendunt, et ipsa ratio docet, Alexandrinus patriarcharum a Romano papa secundus est.

XCIV. Græcos dicere perhibetis, quod in illorum patria chrisma oriatur, et ab illis per totum mundum tribuatur : et ideo nosse desideratis, si verum sit : sed jam credimus quod vestra solertia quam verum non sit animadvertit.

XCV. Quid de his agendum decernimus, qui pro quibuscunque culpis ad ecclesiam fugiunt, requiritis : sed quamvis ea sacri canones, quæ leges mundanæ sanciunt, custodienda flagitent, et leges circa quosdam immisericordes appareant : nos tamen qui non spiritum hujus mundi suscepimus, si quispiam ad ecclesiam fugerit, non illum nisi sua voluerit sponte, ab ea dicimus educendum. Denique se quondam latrones diversorum criminum rei ad asylum templum Romuli fugientes indemnitatem consequebantur, quanto potius hi qui ad templum Christi confugium facium, delictorum remissionem suorum adipisci debent, et jam sibi a suspecto jura-

mento præstito omni pristinæ securitati restitui.

XCVI. Quidquid mulier tua contra te cogitaverit, aut fecerit, vel si te accusaverit, non est, excepta causa fornicationis, rejicienda (*Matth.* v), vel odio prorsus habenda; quæ est, Apostolo præcipiente, sicut a Christo Ecclesia, diligenda (*Ephes.* v); quanto autem hæreticorum ore Christus et accusatur, et in gentibus blasphematur, sed hos interim perversa prædicantes tolerat, et respiscentes a misericordiæ gremio non repellit.

XCVII. Similiter et de servo, qui dominum suum apud principes accusat, custodiendum est, cui secundum Apostolum a domino suo etiam minæ sunt remittendæ (*Ephes.* VI). Sed quid de servo dicimus, quado Dominus generaliter omnibus et de omnibus, præcipit : *Dimitte*, inquiens, *et dimittetur vobis?* (*Luc.* VI) et Apostolus : *Videte ne quis malum pro modo alicui reddat* (*II Thess.* v). Ubi enim *alicui* interposuit, etiam servum comprehendit. Jam si non omnes comprehendisse dicis, audi quod sequitur : *sed semper quod bonum est sectamini invicem in omnes.*

XCVIII. Si sit sepeliendus qui seipsum occidit, vel si sit pro eo sacrificium offerendum, requiritis. Sepeliendus est quidem, ne viventium odoratui molestiam ingerat : non tamen est, ut aliis pavor incutiatur, solito cum obsequiis more ad sepulcra ferendus : sed et si qui sunt qui ejus sepulturæ studio humanitatis obsequuntur, sibi, non illi qui sui exstititi homicida, præstare videntur. Sacrificium vero pro eo non est offerendum, qui non solum ad mortem usque peccavit, sed et mortis sibimet interitum propinavit. Quis enim magis peccatum ad mortem facit, pro quo Joannes apostolus dicit non orandum (*I Joan.* v), quam is qui Judam imitatus sui ipsius homicida fuisse magistro diabolo comprobatur.

XCIX. Si est Christianus intra ecclesiam sepeliendus inquiritis. Hanc sanctus papa Gregorius quæstionem absolvit, dicens (*lib.* IV *Dialog.*, c. 50) : Cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in ecclesiis sepeliantur; quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulcra aspiciunt, recordantur, et pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata gravia deprimunt, non ad absolutionem potius, quam ad majorem damnationis cumulum eorum corpora in ecclesiis ponuntur.

C. Qui in prælio defunctus fuerit, utrum reportandus ad propria sit, si parentes ejus aut socii ejus voluèrint, ex præcedente capitulo potestis colligere. Siquidem idcirco, si voluerint propinqui, ad proprio reportandus est mortuus, ut ejus tumulum intuentes proximi recordentur ipsius, et pro eo Domino preces fundant. Nam et sanctum Joseph tale quid de ossibus suis obiturum mandasse sacra prodit historia (*Exod.* XIII).

CI. Quibus eleemosyna eroganda, investigatis : quod Dominus in Evangelio manifeste demonstrat dicens : *Omni petenti te da*; et iterum Patrem morans ait : *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* v); et Apostolus : *Dum*, inquit, *tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Gal.* VI), id est Christianos. Verumtamen est in eleemosyna fadienda quidam ordo discretionis observandus, quem nos pleniter exponere studio nunc brevitatis omittimus. Sed quidnam hoc nomen signet, primitus indicemus : eleemosyna quippe Græce, Latine misericordia dicitur, et certe scriptum est : *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX). Ergo primum sibi debet homo præ cæteris eleemosynam facere : siquidem omnem regulam bene agendi a se debet homo incipere, placens scilicet Deo per munditiam mentis et corporis, ac per hoc sibi tribuens illum panem vivum, qui de cœlo descendit. Deinde vero eleemosyna exhibenda est propinquis egestatem patientibus, sicut scriptum est : *Carnem tuam ne despexeris* (*Isa.* LVIII) : nam et ipsa natura docet nos de hoc : et quod ipse propinquo meo non exhibuero, quando extraneus exhibebit; deinde autem his maxime misericordia præstanda est, qui petere confunduntur. Sane notandum est; quia sunt nonnulli quibus nil conferri debet, sicut scriptum est : *Da bono, et ne receperis peccatorum* (*Eccli.* XII); et rursum : *Ne dederis impio* (*ibid.*); et iterum : *Panem tuum et vinum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo menducare et bibere cum peccatoribus* (*Tob.* IV). Panem enim et vinum suum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia, pro eo quod iniqui sunt, impendit : qui vero indigenti etiam peccatori panem suum, non quia peccator, sed quia homo est, tribuit; nimirum non peccatorum sed justum nutrit, qui in illo non culpam, sed naturam diligit : unde et nonnulli hujus mundi divites, cum fame crucientur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones.

CII. Non esse inferendam pagano violentiam ut Christianus fiat, supra docuimus.

CIII. De libris profanis, quos a Saracenis vos abstulisse, ac apud vos habere perhibetis, quid faciendum sit, inquiritis : qui nimirum non sunt reservandi; *Corrumpsunt* enim, sicut scriptum est, *mores bonos colloquia mala* (*I Cor.* XV); sed ut pote noxii et blasphemi igni tradendi.

CIV. (Dist. 4, *a*, *A. quodam.*) A quodam Judæo, nescitis utrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus apostolorum legimus (*Act.* II *et* XIX), baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius (*lib.* I *de Spir. sanct.* c. 3), constat eos non esse denuo baptizandos : sed primum utrum Christianus, an paganus ipse Judæus exstiterit, vel si postmodum factus fuerit Christianus, investigandum est, quamvis non prætereundum esse credamus, quid beatus de baptismo dicat Augustinus : Jam satis, inquit, ostendimus ad baptismum, qui verbis

evangelicis consecratur,non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem,sive de Patre.sive de Filio, sive de Spiritu sancto aliter sentiat, quam doctrina cœlestis insinuat; et iterum : Sunt etiam quidam ex eo numero, qui adhuc nequiter vivant, aut etiam in hæresibus, vel in gentilium superstitionibus jaceant,et tamen etiam illic novit Dominus qui sunt ejus. Namque in illa ineffabili præscientia multi qui foris videntur intus sunt. Et alio loco : Et jam corde tardiores, quantum existimo, intelligunt baptismum Christi nulla perversitate hominis sive dantis sive accipientis posse violari; et rursus: Potest tamen, ait, tradere separatus, sicut potest habere separatus,sed quam perniciose tradere; ille autem cui tradit, potest salubriter accipere, si ipse non separatus accipiat.

CV. Consulentibus et instrui poscentibus vobis, quid de eo faciendum sit,qui super præcepta apostolica se efferens prædicare tentaverit, unus ex eis, id est, Paulus respondet, et instruit dicens : *Sed licet nos, aut angelus de cælo evangelizet vobis præter quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (*Gal.* I). Verumtamen cum hoc fit,non est passim nec a vobis qui laici estis, temere judicandum; *in multis enim offendimus omnes* (*Jac.* III).

CVI.Postremo deprecamini nos suppliciter, ut vobis quemadmodum cæteris gentibus veram et perfectam Christianitatem non habentem maculam aut rugam largiamur, asserentes quod in patriam vestram multi ex diversis locis Christiani advenerint, qui prout voluntas eorum exstit,multa et varia loquuntur, id est Græci, Armeni, et ex cæteris locis : quapropter juberi poscitis utrum omnibus his secundum varios sensus eorum obedire,an quid facere debeatis.Verum nos in his non sumus sufficientes, sed sufficientia nostra ex Deo est; et beatus Petrus, qui in sede sua vivit et præsidet, dat quærentibus fidei veritatem. Nam et sancta Romana Ecclesia semper sine macula fuit et sine ruga,nimirum quia ille hanc instituit, cujus fidei confessio divinitus exstitit approbata; ad quam videlicet Christianitatis fidem,licet ejus mysteria consummate nullus intelligere valeat, vobis insinuandam, inspirante Deo, ecce scripta nostra,et missos ac diversos codices in patriam vestram destinavimus; et quousque radices roboris consequamini, vos rigare nullo modo desistemus; et quousque ad solidum perfectionis cibum perveniatis,vos saltem lacte potare nunquam penitus omittemus (*I Cor.* III), nam gaudium meum, et corona mea vos estis in Domino (*Philip.* IV). De his autem quos in patriam vestram diversis locis advenisse perhibetis varia et diversa docentes, multa vobis jam scripsimus,et nunc scribere aliqua,doctoris gentium suffragantibus sanctis eloquiis,procuramus, qui inter Corinthios tales esse formidans,aiebat : *Timeo enim ne forte cum venero,non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis qualem non vultis, ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones in vobis sint* (*II Cor.* XII). Verumtamen quantum ad fidem rectam pertinet non curamus qui prædicent, sed quem prædicent; ipse quippe scripsit : *Quidam*, inquiens, *quidem et propter invidiam et contentionem,quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant, quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere,existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim mihi est? dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo et gaudebo* (*Philipp.* I). Sed et qui hæc dixit,audite quid alibi dicat : *profana autem et inaniloquia devita; multa enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit* (*II Tim.* II).Verumtamen in his omnibus aderit misericordia Dei missis nostris et futuro episcopo vestro,qui vos instruant, et quid agere debeatis abundanter erudiant: sed et illi sive nunc,sive post hæc semper in rebus dubiis et negotiis majoribus sedem totius Ecclesiæ more consulent apostolicam, et ab illa instructi in quibus oportet,instituent,et quæ Dei sunt sedula prædicatione docebunt.

Hæc quidem suggestionibus sive quæstionibus vestris, prout Dominus dedit,respondimus,non quantum potuimus,sed quantum sufficere posse prævidimus. Cum autem episcopum, Deo concedente, per præsulatus nostri ministerium habueritis, ille vos docebit omnia quæ ad officium suum pertinent,et si quæ sunt quæ non capiet,ab apostolicæ sedis auctoritate suscipiet. Deus autem qui in vobis salutem maximam operatus est, hanc perficiat,consolidet et usque in finem stabiliat et corroboret. Amen.

XCVIII.

AD MICHAELEM IMPERATOREM.

(Anno 866.)

Hortatur imperatorem ad legatos benigne audiendos, repetit quæ in superioribus epistolis de Ignatio, Photio, Rhadoaldo et Zacharia dicta sunt, docet epistolam a se missam corruptam fuisse, restituitque loca depravata, demonstrat Photii promotionem vel ea de causa rejiciendam,quia a Gregorio Syracusano damnato fuerat consecratus, et imperatorem, qui eum defendebat, arguit. Petit ut epistolam contumeliarum plenam, quam ipse imperator miserat, jubeat comburi : sin minus,dictatores ejus, dispositores, atque præceptores minatur se excommunicaturum, et ut epistola ad illius dedecus in episcoporum concilio coram omnibus comburatur, præcepturum; tandem ostendit plurimum conducere causæ Ignatii et Photii ut uterque Romam veniat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, piissimo et gloriosissimo dilecto filio MICHAELI magno imperatori.

Quanto majora sunt beneficia Dei, quæ gratuita misericordia sua vestræ collata sunt pietati, tanto procul dubio virtutum vestrarum debent insignia fecundius abundare: et quanto dono ipsius imperium vestrum gloriosius esse dignoscitur exaltatum, et super omnia regnorum culmina sublimatum,tanto

infirmitate propria considerata oportet sub potenti manu ejus solo tenus humiliari, et prona mente, quod omnia ex illo quidquid boni habet, quidquid sibi arridet, sine dubio possideat, submisse, seduleque pensare, scriptum quippe est : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Eccli* III); et rursus : *Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis* (*Eccli.* XXXII) ; et ad Saul dicitur: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribulus Israel ?* (*I Reg.* XV.) Nihil quippe a sublimibus personis offertur Deo gratius humilitate. Nihil autem humilitati principum magis congruit, quam libenter audire queritantiam voces, prædicantium exhortationes, et imminentes, seu futuras a speculatoribus Domini prænuntiatas cavere calamitates. Denique, cum non omnes prophetiæ spiritum accepimus, unde scire possumus, quæ circa subjectos nostros, vel circa eos qui ejusdem fidei sunt nobiscum, aguntur, si præsentium verba, vel absentium scripta ab auditu nostro vel visu prorsus excludimus ? Epistolæ namque stylus tanquam quidam adventantium, seu gestorum negotiorum ostiarius est. Quid ergo nosse poterit omnium curam habens subditorum, et precipue religionis providentia vestra, si adempto janitoris officio intus nuntiari non permittitur, quod a diversis suggerere clementiæ vestræ auribus foris deposcitur. Debetis ergo cunctorum suggestiones absque ulla prorsus retractatione pio semper auditu percipere, referentiumque voces honestatis, imo reperiendæ justitiæ, ac æquitatis avidi absque qualibet dispectione dignanter admittere ; sicque demum magistra ratione, quæ semper privatæ voluntati non postponi, sed anteponi debetur, a falsis vera, et a noxiis salubria sequestrare, et falsa quidem, seu noxia summo libramine reperta, merito repellere ; quæ autem vera, sive proficua esse probantur, jure consequenter admittere : nam amatoris justitiæ indicium est quoslibet, et quomodolibet hanc velle penitus invenire. Justitia nempe pretiosa margarita est, quæ non solum in thesauris regiis, verum etiam in sterquiliniis est quærenda. Quanto potius a sede Petri, cui Deus Pater pretiosissimum margaritum, id est Filium suum, revelavit, est sine omni cunctatione speranda et exspectanda : necnon et oblata totis præcordiorum ulnis ardentissime suscipienda. Nolite igitur, fili charissime, scripta nostra, vel missos a visitatione vestra secludere : nolite a beati Petri legatione tranquillissimas aures vestras avertere. Infidelium est enim, imo de salute sua desperantium, aures a voce prædicantium claudere, *sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiunt vocem incantantium* (*Psal.* XXV), id est prædicantium.

Cæterum vos, qui pii, Deo gratias, suadibiles estis, tanto aures ad audiendos clamores pauperum, id est humilium, et pro Ecclesia Dei vociferantium aperire debetis : tantoque ad audiendam legem dirigere vestram intentionem oportet, quanto ipsi penes Deum haberi orationem vestram acceptam desideratis, quantoque cum in opportunitatibus clamatis, et exaudiri medullitus exoptatis. Siquidem virgines illæ fatuæ, quæ foris positæ incassum, *Domine, Domine. aperi nobis* (*Matth.* XXV), clamarunt, idcirco apertam januam non invenerunt : quoniam aurium suarum januam salutiferis vocibus non aperuerunt. Sicut enim misericordiam facientes, misericordiam consequentur, quod de unaquaque virtute sentiendum est : ita voces, quæ pro causa Dei proferuntur, qui audierit, voces quoque suas constituet exaudibiles, sicut e contra qui non audierit, non audietur, quemadmodum scriptum est : *Qui obturat aures suos ne audiat legem, oratis ejus erit exsecrabilis* (*Prov.* XXVIII). Porro, cum quædam mulier typum Ecclesiæ gestans, Domino : *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quæ suxisti* (*Luc,* XI), clamaret, confestim audivit, quod *magis beati sint, qui audiunt verbum Dei et custodiunt* (*ibid.*). Itaque audite, serenissime imperator, voces legatorum nostrorum, vel voces litterarum nostrarum audite patienter, audite tranquille ; quas confidimus in Domino, non invenietis a divinis præceptis in aliquo dissentire, vel a paternis diffinitionibus studio discrepare. Nam si antequam has audiatis, repellitis, et a vocibus [*forte melius*, a vobis, HARD.] antequam de his, quæ fortassis in eis in dubium veniunt, interrogaveritis, excluditis contra divinum præceptum : de incognitis judicare, et non probata damnare, procul dubio dignoscemini. Itaque sapientissimum Salomonem, qui filium quem instruit ad auditionem suam potissimum invitat sequentes, hæc vobis scripto tanquam charissimo filio præmisisse sufficiat (*Prov.* IV).

Cæterum et si non vobis, saltem nobis consulentes, quæ mittenda operæ pretium duximus, scribere non omittimus, et causas Ecclesiæ ipsius, vel nostras, etsi non auribus tuis, certe tanquam coram præsentia Dei fidenter exponimus. Igitur quæ penes Ecclesiam Constantinopolitanam diebus tuis, o excellentissime imperator, acta sunt, hactenus quæruntur, sapientia quidem tua liquido novit. Sed qualiter zelo zelati pro domo Dei sollicitudinem scilicet omnium ecclesiarum secundum Apostolum (*II Cor.* XI), more prædecessorum meorum circumferentes, nos de his egerimus, vel disposuerimus, non tam brevi quam veraci stylo pietati tuæ significamus : et ne aliter sinceræ menti tuæ suaderi tentetur, vel aliter quod egimus, tibi subripiatur intelligi, præsentibus te syllabis edocemus : quod prudentiam tuam dudum jam non lateret, si vel hostes Christi, qui vere est veritas : non in mendacium veritatem converterent, vel nos affectu voluisse paterno, tanquam charissimo filio hanc tibi reserare, studuissent asserere : vel si quo dilectionis ardore circa salutem tuam flagremus, falsitatis fuco noluissent contegere. Igitur postquam audivimus quod quidam qui invidiæ facibus accensi, et superbiæ fastu arroganter elati, more Judæorum, contra pastorem et magistrum suum fratrem videlicet, et comministrum nostrum Ignatium ecclesiæ præfatæ sanctissimum patriarcham insur-

rexissent : quidam vero instar viperarum ac parricidarum parentem proprium,eumdem scilicet beatissimum virum ferinis dentibus impetissent, et ab ecclesia ipsa, cui jure præsidebat tyrannidis suæ cornu penitus removissent :acerrimis doloribus augustiati, atque mœroribus vehementibus cruciati, cœpimus qualiter erga eum viscera benignitatis, ut pote circa fratrem ostenderemus,sedula meditatione tractare. Scriptum quippe est :*Qui viderit fratrem suum necessitatem habere,et clauserit viscera sua ab eo,quomodo charitas Dei manet in eo?*(*Joan.* III.) Maxime cum scandalum et schisma in jam dicta urbe,et in adjacentibus sibi civitatibus propter quemdam Photium ex foro, ac sæculari militia et habitu,atque a palatinis ædibus eductum,ac subito tonsuratum, et in eadem ecclesia contra sacros canones promotum,non modicum audiremus obortum. Aliis videlicet Photii promotionem defendentibus, aliis autem hanc tanquam inconvicto, et superstite Ignatio factam merito detestantibus.Sed dum quid hinc a nobis fieri deberet, vel qualiter tantæ pestilentiæ mederi possemus, nobiscum incessanter et anxie cogitaremus ;ecce repente legati sublimitatis tuæ ad sedem apostolicam cum epistola regia pervenerunt,accusationes quasdam adversus jam fatum consacerdotem nostrum Ignatium deferentes, et ut a sede apostolica missos daremus,qui scandala illa sedarent,et schismata dissiparent,magnopere postulantes. Quibus benigne receptis,et legationis injunctæ sibi, seu scriptorum delatorum tenore perspecto, mœstitiam quam prius rumor solus in corde nostro pepererat, casuum evidenter ostensorum certior confestim relatio multiplicavit.

Quapropter,qaia sicut imperii tui divinitus inspirata sapientia nobis qui cunctarum Christi ovium cura constringimur, cum vices illius per abundantiam cœlestis gratiæ egerimus,cui specialiter a Deo dicitur : P*asce oves mers* (*Joan.* XVII) ; et rursus : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXIII) : non potuimus dissimulare, non potuimus negligere,quominus visitaremus oves dispersas et dissipatas : vel quominus confirmaremus in fide et bonis moribus fratres nostros et proximos. Et quia inter cætera, quæ de schismate jam fatæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ, hi qui missi fuerant, testabantur, maxime eamdem Ecclesiam ad Iconomachis recidivam contentionem excitantibus asserebant vexari, Christumque per singula conventicula blasphemari :idcirco duos episcopos,qui nobiscum erant, quique ad hoc tantum perficiendum opus idonei nobis esse videbantur, Rhadoaldum scilicet et Zachariam una cum ecclesia, quæ apud nos est, datis litteris, quæ [*forte redundat vox illa*, quæ, HARD.) Constantinopolim, idem nimirum piaculum exsecrantes, e latere nostro direximus, nihil eis penitus injungentes, nisi ut tantummodo causam Ignatii patriarchæ,qui ante de ecclesia pulsus,quam ab aliquo accusatus exstiterat,diligenter investigarent, et sedi apostolicæ, et voracibus plenius referrent indiciis ; quemadmodum Job beatissimus edocet :*Causam*, inquit,*quam nesciebam,diligentissime investigabam* (*Job* XXIX). Photii vero consecrationem non solum mine interim admittendam esse credimus[*edit.Rom.* credidimus],verum etiam ipsis legatis nostris,ne cum illo,nisi cum laico[*forte*,nisi ut cum laico, HARD.] usque ad notitiam nostram communicarent, frequenti ac eommoda jussione præcepimus.Quoniam sicut magniloquus Leo papa scribens ad sanctum Flavianum dicit antistitem (*epist.* 10):Nos qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia,nihil possumus incognitis rebus cujusquam partis in præjudicium diffinire,priusquam universa quæ gesta sunt, veraciter audiamus. Tantum eis de venerabilibus Domini nostri Jesu Christi, ejusque genitricis semper Virginis Mariæ,ac sanctorum ipsius imaginibus quidquid quæstio afferret, juste, ac pie diffinire licentiam dantes. Quæ cuncta ita esse, ut dicimus, litteræ nostræ, quæ Augustæ mansuetudini tuæ, necnon et Photio per eosdem missos nostros destinaveramus,si ita sunt apud vos, qnemadmodum a nobis fuere transmissæ, patenter poterunt indicare. Verum de hoc in subditis late dicturi, ad propositum redeamus. Pervenientes igitur iidem missi nostri Constantinopolim minis imperii tui,(sicut ipsi postea nonnunquam fatebantur) deterriti, et horrendis terroribus impulsi, spretis monitis nostris, contemptis et epistolis sibi a nobis coram tota Ecclesia nostra datis, imo postposito timore Dei (sicuti postea claruit) in contrarium verterunt omnia quæ sibi fuerant imperata.

Verum de his a nobis collecto bis sanctorum episcoporum occidentalium regionum concilio, juxta quod Dominus ait : *In quo judicio judicaverunt, judicatum est ;et in qua mensura mensi sunt,remensum est eis* (*Matth.* VII) : contigit enim illis, quemadmodum Vitali quondam et Miseno episcopis, qui sicut isti Constantinopolim missi,eorum,pro quibus destinati sunt, adversæ parti communicando, non exsecutores, sed impugnatores inventi sunt: de quibus beatus Felix apostolicæ sedis antistes,et Alexandrini Petri,seu Constantinopolitani Acacii præsulum damnator imperatori Zenoni scribens (*epist.* 10), inter cætera Vitalem,ait, atque Misenum cur vel impulsi ad ista consenserint, honore simul et communione apostolica censura privavit.

Quoniam factum est, sicut ipse Cyrillo abbati Acrinitensi [Acœmetensi] scribit, ut eorum prævaricatione deciperetur populus Ghristianus :qui rursus de eis mentionem faciens,ad jam fatum principem de eorum transgressione dicit : Plebi suasum est Christianæ nos talibus præbuisse consensum, quos mox ut regressi sunt,prævaricatio impune non habuit. Nam eos apud beatum Petrum apostolum sancta mecum synodus residens dum convicti plura mentirentur, ordine et communione nudavit:ne eorum incorrepta perfidia securitatem præberet inimicis. Jam vero si vos prædictis legatis nostris vim (quemadmodum ipsi fatebantur) intulistis, licet eos

exemplo memoratorum oportuerit antistitum deterreri, imo ne vel impulsi ad talia laberentur, Domini, *Nolite timere eos qui corpus occidunt* (*Matth.* x), dicentis, debuerint præceptis arceri, contra divinam tamen reverentiam a te, o catholice princeps, probatur admissum, ut beati apostoli Petri directa legatio, imo hæc in illo proferentis Christi, qui dicit : *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x) : tanquam in captivitatem redacta teneretur (*Ex epist.* 9 *Felicis* III).

Verum quia res et personæ utrarumque partium istius temporis cum illo pene in cunctis conveniunt, memorabilis viri jam nominati Felicis sedis apostolicæ præsulis apud vos etiam clementissime verbis alloqui procuravimus, qui ad superscriptum Augustum scribens inter alia (*ibid.*) : Cum, inquit, apud barbaras etiam nationes, atque ipsius Deitatis ignaros, pro exsequendis negotiis vel humanis, jure gentium semper legationis cujuslibet habeatur sacrosancta libertas, notum est omnibus : quanto magis ab imperatore Romano, et Christiano principe in rebus præsertim divinis oportuerit intemeratam servari? Sed quia superius de falsatæ epistolæ per jam dictos tunc Rhadoaldum, et Zachariam episcopos ad te directæ scriptura memoriam fecimus, restat ut partim loca, in quibus falsata est, quantum inspectis exemplaribus Græcis, quæ nobis per Leonem a secretis misisti, nosse tribuitur, aperiamus.

Asserentes primitus, quomodo non ordo legitimus, nec a sanctis Patribus usitatus, in lectione ipslus epistolæ fuerit observatus : quandoquidem eadem epistola non solum de sacris imaginibus, verum etiam de audiendo fratre et coepiscopo nostro Ignatio sententiam sedis apostolicæ continebat. Et vos eam in causa quidem Ignatii consacerdotis nostri, quæ prius ventilata est, nescimus, cujus usi concilio, silentio contexistis, solum hanc postea, quando pro veneratione sanctarum imaginum synodus collecta est, demonstrantes : quamvis in his, quæ ibidem ex ea lecta sunt, nonnulla addita, multa mutata, plura subtracta reperiantur, et per omnia talis a vobis effecta sit, ut aut nihil aut parum aliquid nos per eam de crebro dicti comministri nostri Ignatii disposuisse causa videamur : sed vere non sic in synodis prisco tempore collectis, non sic actum fuisse nonnullorum gesta conciliorum demonstrant. In illis enim apostolicæ sedis scripta non sub occultationis modio tegebantur, sed ut omnibus, qui erant in domo Dei lucerent, in propatulo ponebantur, et ut si qua turpitudo vel macula in fidei pulchritudine a quolibet tentaretur induci, facile patesceret, ac si specula in omnibus habebantur, et quasi quædam rectitudinis formula qua imprimi cæteri possent posita, colebantur.

Quod ut manifestius pateat ex his huic epistolæ pauca duximus inserenda. Primo etenim loco sancta synodus apud Ephesum congregata, sanctæ memoriæ Cœlestini papæ prius epistolam legit, et ita demum ad alia exsequenda vacavit, ita ut jubente sancto Cyrillo, qui idcirco in præfata synodo ante omnes sedit, quia et ipse locum jam memorati papæ ibidem (sicut gesta ejusdem synodi testantur) obtinuit : ipsa epistola cum competenti honore Latine primitus, et postea in Gr.ecam dictionem sine ullo fuco falsitatis jam translata sit coram synodo lecta : In tantum, ut ex ejus propemodum specialis judicii tenore sit perfidus Nestorius Constantinopoleos antistes expulsus, dum eadem synodus in sententia contra eum prolata tali modo prosequitur : Necessario, inquiens, coacti tam ex canonibus, quam ex epistola sanctissimi Patris nostri et comministri Cœlestini episcopi Romanorum Ecclesiæ, lacrymantes sæpius ad hanc mœrore plenam contra eum venimus sententiam. Et ad eumdem papam postea scribens, præfatum Nestorium per epistolam ab ipso sanctissimo præsule scriptam, rationabiliter asseverat fuisse damnatum. Epistola quoque sancti Leonis papæ adeo apud omnes orientales episcopos exstitit venerabilis, ut hanc columnam orthodoxiæ vocarent; et omnes in ea præsules Constantinopoleos Anatolio præcedente subscberent : ita ut Chalcedonensis magna synodus nil diffinisse, nil respuisse, nil suscepisse, nisi quod vel illa, vel vices apostolicæ sedis ibi reservantes diffinierunt, projecerunt, vel admiserunt, penitus agnoscatur, et (sicut in relatione sua, quam ad piæ recordationis snæ Marcianum Augustum habuit, invenitur) prima ruina Dioscori, qui epistolam sanci Leonis recitari prohibuit, exstitit, dum sic aiunt : Nos igitur considerantes et universa orbe factas tempestates, et causam inquirentes hujus rei auctorem comperimus Dioscorum quondam Alexandrinorum episcopum, primum quidem, quia epistolam a sanctissimo archiepiscopo senioris Romæ Leone directam ad sanctæ memoriæ Flavianum quondam Constantinopolitanæ urbis episcopum recitari prohibuit. Sed quid per singularum concilia synodorum immoremur, cum in omnibus illis semper ab apostolica sede scriptum prolatum, et ordine præponatur, et auctoritate scripturis cæteris antecellat? Quod si sublimitatis tuæ non latuit sapientiam, oportebat ut etiam ipsa diebus suis talium sequeretur exemplorum vestigia.

Sed tandem aliquando ad ostendendum partim sata in epistola nostra loca, opitulante Domino, sicut præmisimus, accedamus : partim vero dicimus, quoniam prolixitatem vitantes, eadem commemorare per singula recusamus, quandoquidem nec in his, quæ de venerandis imaginibus per eamdem locuti sumus epistolam, tenor styli nostri, vel intentionis exstiterit observatus. Siquidem cum nos inter alia commemorassemus, quod multoties conventus factus fuerit sanctorum Patrum, a quibus et deliberatum, ac observatum exstiterit, qualiter absque Romanæ sedis, Romanique pontificis consensu nullius insurgentis deliberationis terminus daretur. Hoc videlicet de majoribus duntaxat Ecclesiæ negotiis nos innuentes, quod et veraces historiæ, et synodalia gesta sæpe diffinitum, sæpe et factum fuisse testantur : Vos erasistis *absque*, et interposuistis

cum, significare scilicet attentantes : Deliberatum fuerat a sanctis Patribus, ut cum sedis apostolicæ, et ecclesiæ vestræ consensu omnis rei finis debeat omnino proferri : cum hoc fieri semper nulla ratione valeat, nullo prorsus exemplo gestum patescat, præsertim cum hæc apostolica semper sedes in sana doctrina perstiterit.

Vestra vero ecclesia (quantum ad præsulatum pertinet) infirmante capite sæpe languerit : ac per hoc ista nequiverit ascire quovis modo consensum, cujus pessimum exsecrabatur non immerito sensum. Deinde cum nos exprobrantis affectu per eam causari videamur, pro eo quod cœtus conveniens Constantinopolim sine Romani consultu pontificis Ignatium proprio privasset honore, quod nusquam nimirum de Constantinopolitano præsule nisi fortassis ab hæreticis absque Romano papa factum fuisse recolitur : Vos hoc commutastis dicentes, quod in nos prius a vobis fieri non debuisse non scripsissemus, tanquam vel nos postea id fieri censuissemus : aut tanquam nos legatos nostros non ad audiendam solummodo et nobis referendam Ignatii causam, sed ad diffiniendam Constantinopolim miserimus, cum nonnullis in eadem epistola interpositis inveniri queat, quod depositionis ejusdem consacerdotis nostri censuram non terminari, sed tantum perquiri, et nobis significari ad deffiniendam auctoritatem apostolicam [*forte*, auctoritate apostolica, HARD.] luce clarius decreverimus. Nam si nos pro deffinienda controversia fratris nostri Ignatii tunc legatis nostris quidquam præcepimus, vel eum damnationi subjici decrevimus, ut quid ne sententiam diffinitivam susciperе [*forte*, susciperet, HARD.], licet non digne nec legitime decertaverint, attamen quantumcunque et quomodocunque contradixisse, ac ne deponeretur, restitisse probantur. Siquidem (ut cætera nunc commemorare differamus) in epistola vestra ex ore vestro didicimus, quomodo illi non solum consensum noluerunt ipsius præbere damnationi, verum etiam qualiter, ne tantum piaculum a vobis in eum committeretur, interdixerint : quæ profecto et ipsi minime contradicerent, si ut depositioni ejus interessent, nos sibi mandatum tribuisse recolerent, et vos posteà nisi illos præter jussionem nostram fecisse clare sciretis, eos et vobis commendare, et super hujusmodi noxa transgressionis excusare nullo modo studeretis.

Jam vero si dictis, quam ob rem illos deposuerimus, cum eos in damnatione sæpe fati patriarchæ consentire noluisse tam manifeste sciamus, respondemus, quia nihil illis bonum profuit inchoasse, et in bonitate minime perdurasse, *Quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Quid enim proderit alicui pro veritate primum quidem impetum dare, et post paululum aut suasionibus, aut terroribus, aut alio quolibet vitio a veritatis tramite declinare? Porro si Vitalis et Misenus, de quibus supra diximus, a beato Felice papa honore pariter et communione privati sunt, qui ad talia vel impulsi dilapsi sunt; quanto potius isti pari debent ultioni succumbere, qui parem quidem prævaricationem, sed non pares, imo nullas pœnas sicut illi quondam perpessi sunt. Post hæc autem quidquid de jam fati fratris et comministri nostri Ignatii tyrannica repulsione, quidquid de inconsiderata et invidiæ plena in eum prolata sententia, quidquid de violatis paternis diffinitionibus, quidquid de Photii scripseramus irregulari promotione, saltu quodam astutiæ transcendentes, etiam sanctorum Patrum instituta, quæ sancti Spiritus afflatu sunt edita, ne ad concilii pervenirent notitiam contexistis, et veluti in quodam silentii sudario ligata, in terra dum divinitus attributa talenta fuerint, abscondistis, licet continuatim deveniendo in conspectu missorum nostrorum et perquirendo Ignatio. Quamobrem traditam sibi plebem, et constituta decessorum meorum spreverit, quæ nos post multa scripsimus, dictis superioribus conglutinaveritis. Non tamen quæ nos confestim subintulimus, passi estis ad cognitionem Ecclesiæ Constantinopolitanæ, vel ad synodi auditionem perferri.

Subintulimus quippe nos post illa verba ita continuo prosequentes : Et in hoc agendum subtili examine a nostræ jussionis legatis depositionis ejus censura perquiratur : quatenus inquirentes invenire queant, utrum canonicus tenor in eadem observatus fuerit, vel non manifestum existat; ac deinde cum nostro præsulatui significatum fuerit, quid de eo agendum sit, apostolica sanctione diffiniamus, ut vestra ecclesia, quæ tantis quotidie quatitur anxietatibus, inviolabilis deinceps et inconcussa permaneat : sed vos hæc, ut prætulimus, occultantes, a piorum, qui fortassis illic habebantur, notitia subduxistis.

Ad nihil plane aliud intendentes, nisi ut non tenebrarum opera manifestatione lucis arguerentur, et ut nos his quæ illic irrationabiliter acta fuerant, dum nostra scripta tacentur, consensum præbuisse reputaremur. Probat hoc præcipue post multa utilia, quæ ibi non utiliter corrupta, vel defraudata sunt, novissimus ejusdem epistolæ locus, in quo nos quidem legatos nostros commendantes, amplitudinem tum deprecati fueramus de ipsis inter alia dicentes : Et cum in conventu Ecclesiæ sederint pro ecclesiasticis diffinitionibus, nihil a vobis, vel ab aliis aliquid cujus contrarietatis impetum sentiant : vos vero protinus subintulistis, quasi nos his continuatim subjunxissemus perhibentes : A nobis enim quæ hujusmodi sunt dispositionis et statuta sunt et diffinita.

Hoc præcepto vestra utinam placens Deo sagacitas innuere volens quæcunque a legatis nostris statuta fuerunt et diffinita, nos statuisse, vel diffinisse per omnia dignoscamur; qui tamen scriptis versiculos, nec a nobis prodiit, nec eis (præter quod ad sacras magines pertinet, et id quoque irreprehensibiliter) diffiniendum sive scripto, sive verbo terminare quidquam, vel deliberare præcepimus. Ita esse quæ

diximus superius a nobis annotatis sententiis, testificantibus exemplaribus ejusdem epistolæ nostræ ubi nos depravata rejacent affatim edocentibus. Nam si nos ideo missos nostros destinassemus, ut vice nostra Ignatii essent negotii judices, quemadmodum vos prætenditis, qui latrocinale illud concilium, in quo Ignatius deponi putatus est, judicium nostrum scribentes asseritis. Ante totius litis motionem, atque ante omnis initium controversiæ sedem ei propriam restitui procul dubio censuissemus, ut legitime nimirum reciperet quod nulla lege dictante perdiderat, atque per ecclesiasticum canonem resumeret quod illi potentia sæcularis ademerat : quatenus sic deinde propria sede, necnon et omnibus suis ante receptis, viribusque resumptis restitutus jam et armatus, cum accusatoribus suis certaminis campum, et litigii conflictum potest arripere. Quod cum in mundanis negotiis legibus tuis fieri censeas, imperator multo magis ut in ecclesiasticis atque divinis observaretur pietas tua debuit prævidere.

Sed hæc nos ex innumeris studio veritatis defalsatæ memoratæ crebrius epistolæ nostræ dilectionibus summatim tetigisse sufficiat. Cætero vero (quæ supersunt) per legatos nostros, quos ad divinitus protectum imperium tuum ecce direximus, inspectis immutilatis exemplaribus, quæ illis tranquillitati tuæ demonstranda tradidimus, facile potes agnoscere. Quamobrem et nos quoque dilectionem tuam paterno salutantes affectu deprecamur, et per Deum, in cujus manu corda sunt regum, enixius obsecramus, ut eamdem ipsam epistolam, quam gloriæ tuæ per longe superius memoratos Rhadoaldum et Zachariam misimus, his præsentibus missis nostris monstare, atque ad collationem cum exemplaribus, quæ eis dedimus, faciendam mora sufficiente accommodare digneris : quatenus per hoc scire valeant, utrum sic eadem epistola in sua penes vos integritate maneat, quemadmodum exstiterat a nobis tuæ sublimitati directa : an a quoquam fuerit postmodum ad superius annotatas depravationes perducta.

Et siquidem per vestratum aliquem tantum nefas patratum est: quoniam apud Græcos (sicut nonnulla diversi temporis scripta testantur) familiaris est ista temeritas : miramur, et modis omnibus obstupescimus, si regius excellentiæ tuæ honor, qui judicium diligit, ad tantum potuerit dedecus incurvari, cum ad hoc magis divinitus ordinatus sit, ut depravata corrigat, et falsata pristinæ veritatis honestati restituat; aut enim justa fuerunt quæ missimus, sicque consequenter oportuit ea servari, aut si justa putata non sunt, in quo justa non fuerint, per aliud saltem scriptum exponi vel nobis referri, et summa ratione debuerunt patenter ostendi. In nullo tamen horum oportuit ea vel ecclesiæ quæ apud vos est, cognitione privari, vel aliqua falsitatis depravatione fraudari.

Porro si tuæ mansuetudinis postposita notitia hoc immane sacrilegium gestum est, nihilominus immensa admiratione ducimur, et quia tantum imperium illud potuit, et tantam fraudem perferre jure dolemus. Denique sacrilegium non immerito commisisse dicendus est, qui scripta pietatis fidelium, atque pii principis notioni vel subducit, vel a sui veritate submovens velamento præstigiorum suorum obnubilat. Verumtamen nos quomodocunque falsitati, vel depravationi eadem sit epistola submissa, grates innumeras agimus Deo, cujus inspiratione et fidelia ejus exemplaria penes nos retinuimus, et cujus permissu qui hæc vel authenticam ipsam scripsere superesse noscuntur.

Nos autem Ignatii fratris et coepiscopi nostri privationi quocunque discrimine, priusquam a nobis specialiter ad iterationem ejus perducatur negotium, quia nec hactenus consensimus aliquando, Deo nos confirmante, nullo modo consentiemus.

Verum non ita justificamus eum, ut nihil hunc reprehensione dignum admisisse dicamus, pro quo fortasse merito poterat, legitima discussione facta, quodlibet canonicæ jaculum pati sententiæ : cum scriptum in apostolicis litteris confiteamur, dicentes: *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III); et rursus : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I); sed ita volumus, et ita decernimus istius modi pontificem digna pro factis recipere, ut sacerdotale decus penitus non vilescat, nec tam facile pontificalis apex terra tenus incurvetur. Ita, inquam, volumus, et ita decernimus hunc, imo quemcunque pontificem justæ subdi sententiæ, ut non a sæcularibus quibuscunque judicetur, non tyrannice propellatur, non ante audientiam ecclesia sua privetur, non ab inferioribus, sed a majoris auctoritatis personis recti calculi sententiam consequatur. Ita denique volumus, et ita decernimus istius, imo vero cunctorum sacerdotum causas examinare, culpam suam punire ut paternos terminos non transgrediamur, sacros canones non conculcemus, nec decretalia sedis apostolicæ constituta, quibus Ecclesia tota fulcitur, atque munitur, quoquomodo violemus.

Ad extremum ita volumus, et ita decernimus, pontificem qualiscunque sit, judicari : ut ecclesiæ, cui præest, jura nulla temeritate, nulla præsumptione frangantur. Nullum quippe poterit Ecclesiæ jus dignum servari, si præsul ejus a quibuslibet, vel quandolibet, aut quomodolibet impetratur, et pro libito cujuscunque tanta facilitate pellatur. Quod cum ita sit, non possumus interim fratrem nostrum Ignatium, qualiscunque sit, non inter sanctissimos et beatissimos patriarchas connumerare. Qui licet apud vos sit tot opprobriis, tot persecutionibus fatigatus, a nobis tamen nonnisi qualis a decessoribus meis habetur, creditur et veneratur ; nullo quippe nostro examine alicujus criminis reus, nullo est, nostro speciali judicio repertus obnoxius : ac per hoc (cum nulla est) nulla sententia condemnandus

aut a nostri Ecclesiæque nostræ communione collegii æquestrandus, aut aliquibus, nisi honorabilibus vocabulis appellandus. Sed nec in Photii sacerdotali provectu, præstando favore in vota condescensionis nostræ modo quolibet inclinabimus.(a) Ergo tranquillitas tua litterarum saltem nuno tenere cognoscat sedem beati Petri apostoli in neophyto et mœcho, et Constontinopolitanorum Ecclesiæ invasore Photio, olim justeque damnato, ac nihilominus præsentia synodali nuper eliso, communionis nunquam, nisi a prævaricatione cessaverit, præbituram esse consensum.

Qui, ut cætera nunc omittamus, a Gregorio Syracusano vel cæteris schismatis institutus, imo destructus, contra omne fas alterius præsidere non potest Ecclesiæ. Nam merito destructus esse creditur, qui a destructo ædificari sperans, etiam si qua alia bona fortassis habuit, nimiæ præsumptionis ejus temeritati communicans, perdidit. Nam Gregorius quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter jam noscebatur elisus? Quomodo quemquam in aliquo ecclesiastico poterat ordine stabilire, qui Ecclesiæ unitatem scindens, ipse jam videbatur omnino dejectus? Sicut enim ligatus ligare, et dejectus dejicere non potuit, sic destructus construere, et elisus quemquam ordinare nequivit. In summo quippe status sui oportet eum vigore consistere, et firmis imiti per omnia basibus, qui alterum vel prosterne vel conatur statuere.

Gregorius ergo, qui canonice ac synodice depositus et anathematizatus erat, quemadmodum posset quemquam provehere vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius a Gregorio percepit, nisi quantum Gregorius habuit; nihil autem habuit, nihil dedit. Per eorum quippe, ut legitur, manus impositionem et invocationem dabatur Spiritus sanctus, qui noverant mundas ad Dominum manus lævare. Cæterum Gregorius, qui transgressor factus est legis, ad iracundiam sui magis quam ad consecrationem alicujus Spiritum sanctum per impositionem suæ manus sine dubio provocavit, etiamsi is qui ordinandus erat, nullas alias haberet sibi regulas obviantes. Hinc enim scriptum est : *Qui obturat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis* (*Prov.* XXVIII). Si exsecrabilis, utique et non audibilis ; si non audibilis, erdo inefficax ; si inefficax, profecto Photio nihil præstans : nimirum qui vulneratum caput per illam manus impositionem potius habere dignoscitur. Porro si prætendit injuste ab Ignatio se fuisse depositum, quid de omnibus qui in synodo illo tempore convenerunt, sententiamque in eum protulerunt, perhibebit? Quod si et illos injuste fecisse dicere præsumit, quare cum eis nunc communicat, et quosdam eorum sacerdotio dignos existimat? Quos tamen recte prius non judicasse reprehendit, et sententiæ quam protulerunt, eos secundum se debere succumbere non nescit? Sed videamus quorum judicio vel quorum auctoritate Gregorius post depositionem et anathema, honorem episcopatus præsit [præsumpsit], vel officium pristinum recepit. Omnes enim illum et depositum norunt et anathematis vinculis obligatum ac per hoc totius Ecclesiæ communione privatum. Jam vero si dixeritis quia ipse sibi Gregorius et honorem resumpsit, et pristinum officium recepit, audite quid Apostolus dicat : *Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron : sed et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret* (*Hebr.* v). Sed et venerabiles Antiocheni canones præcipiunt : Si quis episcopus damnatus a synodo, vel presbyter, aut diaconus a suo episcopo, ausi fuerint aliquod de sacro ministerio juxta præcedentem consuetudinem contingere, sive episcopus sit, sive presbyter aut diaconus, nullo modo liceat ei nec in alia synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis : sed et excommunicantes omnes abjici de Ecclesia, et maxime si posteaquam didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare præsumpserint. Carthaginenses quoque regulæ excommunicatum qui ante audientiam communicare tentaverit, ipsum in se damnationem protulisse manifeste denuntiant. Si ergo secundum Apostolum nemo sibi honorem accipit, et Christus non se clarificavit ut pontifex fieret, qui omnes cum Patre et Spiritu sancto glorificantes se glorificat, et ipse est pontifex, de quo rursus idem dicit Apostolus : *Talis decebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*, etc. (*Hebr.* VII).

Et si episcopus, qui damnatus a synodo est, juxta sacros canones, si ausus fuerit aliquid de sacro ministerio juxta præcedentem consuetudinem contingere, et ante audientiam communicare, ipse in se damnationem protulit ; ita ut nullo modo liceat ei nec in alia synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis, sed et communicantes omnes abjici de Ecclesia ; quanta putas Gregorius pœna mulctandus est, qui post damnationem sui et anathema, in hæc omnia commisisse probatur, id est, et super Christum se extulit, et quod ipse non fecit, iste et honorem sibi resumpsit, et ut pontifex esset, se arrogantissime clarificavit, et ante audientiam excommunicatus communicare et velita usurpare præsumpsit, et damnatus de sacro ministerio non solum aliquid, verum etiam multa juxta priorem consuetudinem tetigit? Quod certe Gregorius agere omnino non debuit, etiamsi nulla commissa existerent, pro quibus damnari potuisset, quoniam prælati judicium semper inferioribus formidandum est, ne si ei non obedierint, licet ab eo fortassis injuste ligentur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa, id est inobedientia, mereantur.

Igitur prælatos damnare indifferenter, oportet horrescere. Quicunque vero minoris auctoritatis

(a) Hic ingens lacinia est ex ep. 10 ejusdem Nicolai.

sunt, damnare sollicite caveant, ne majorum suorum sententiam transgrediantur : alioquin licet injuste nonnunquam damnati sunt,ex ipsa temeraria prævaricatione, culpa, quæ nondum forte perpetrata fuerat, et ultio, quam culpa necdum merebatur, procul dubio subsequuntur. Nihil quippe lignum vetitum in se mortiferum habuit; sed qui inobedienter ex eo comedit,mortem sibi et posteris propinavit : non quia lignum malignum ; cum quod Deus fecit,totum fecerit bonum : sed quod mala sit transgressio, et nolenti subjici, per eam merito sit orta damnatio. Porro si dicitis, Gregorium ab imperio vestro, et ab antistibus fuisse receptum, percontari libet, o sapientissime imperator,quibus hoc documentis, quibus canonibus jubentibus agi rite potest, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis recipiantur? id etiam veneranda et universali synodo Nicæna de utraque professione luce clarius inhibente.Nam a sæculari potestate nec ligari, nec solvi sacerdotem posse, manifestum est : et idcirco affatim approbatur Syracusanum Gregorium per imperialem tantummodo sententiam nullo modo valuisse reconciliari (*a*).

Ubi si pontificum quoque sociatur assensus,quærimus utrum præcesserit an fuerit subsecutus? Si subsecutus est, nihilominus ad id reditur, ut absolutio a sæculari potestate per præcepta valere non possit,pontificumque secutus assensus, adulationis vel terroris fuerit potius quam legitimæ sanctionis; si præcessit, doceatur a quibus, et ubi ille sit gestus ; si secundum Ecclesiæ regulam celebratus,si a paterna traditione profectus,si majorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus, si ād majoris auctoritatis sedem quam illa est a qua Gregorius damnatione tenebatur obstrictus, secundum Ecclesiæ regulas est relatum, si ipse præsul qui ligavit, absolvit. Si hæc gesta non sunt, quo more, quo ritu Syracusanus Gregorius se gloriatur absolutum, cum nec a pontificibus ordine debito, nec ecclesiasticis legibus fuerit expetitus, nec a mundana potestate potuerit præter Ecclesiæ tramitem prorsus absolvi? Jam vero si dicatis : Non ego absolvi, sed a pontificibus ut solveretur postulavi : e contra illi multo magis a vobis postulare debuerunt, ut si eum velletis absolvi, legitima ecclesiastici tenoris absolutio præveniret; et hæc omnia quæ superius dicta sunt,secundum Ecclesiæ tramitem servarentur,præcipue cum non ab inferiori vel pari, sed a majori persona, et, sicut ex apostolicis canonibus edocemur,solum ab eo qui eum sequestravit,aut certe a prima sede jure possit absolvi.Inferior quippe vel compar antelatum vel comparem, non annuente majori, absolvere non potest. Sola igitur potior inferiorem convenienter absolvit. Proinde inferioris loci pontifices eos quos potior suus obligaverat, sine prima sede absolvere non potuerunt.

(*a*) Hæc totidem legas in tomo Gelasii de anathematis vinculo.

Verumtamen licet contra Nicænenses sacros canones præfatum Gregorium, qui abjectus fuerat, receperint, nunquam tamen eum a vinculo damnationis et anathematis exuerunt, quem absolutione prævaricatoria potius nexuerunt,et hunc,dum solvere nixi sunt, nodis majoribus dediderunt. Quin imo dum sententiam majoris contemnentes transgressi sunt, vel etiam suam tergiversatorio consilio lenique sensu sibimet facti contrarii destruere sunt moliti, pari prævaricatione habentur innexi, et simili pœna secundum apostolicos et nonnullus alios canones tenentur obstricti : ita ut communicantes expelli de Ecclesia jubeantur,ac per hoc,reos reum justificare constat minime potuisse, nec ligatos ligatum solvere modo quolibet valuisse. Ecce a quibus, o Christianissime princeps, Photius est institutus. Ecce qualis est Gregorius, qui Dormitantius convenientius poterat dici. Quamobrem cogita, fili charissime,tracta et tecum sedula meditatione perquire si stare Photius possit, etiamsi miris virtutibus polleat,etiamsi omni scientia fulgeat, quando qui hunc statuisse tentavit, dudum jam cecidit ; et volens erigi cum conantibus se erigere, nunquam recuperaturus denuo ruit.

Consideret ergo divinitus vestes inspiratus apex quomodo Photius, etiamsi nihil aliud sibi jure valeat impedire,queat in sacerdotali gradu persistere : quandoquidem institutor suus,cum hic ordinaretur, non solum sacerdotio, verum etiam ipso carebat Christiano vocabulo ; et sicut jam exposuimus, nec damnatus justificare, nec depositus erigere, nec ligatus potest quemquam per impositionem manus provehere : impossibile est enim horum aliquid fieri.(*b*) Judicate ergo,mansuetissime imperator,cui potius obediendum est, Deo, an hominibus ; judicate cui potius resistendum sit, potestati quam in Petro Deus omnipotens ordinavit, quamque super cunctam Ecclesiam extulit, an ordinationi Gregorii Syracusani, cui dicendum est : Væ homini illi, per quem in Ecclesiam Christi tot scandala venerunt (*Matth.* xxv) : quique olim, sicut ipsi scitis, a fratre et comministro nostro Ignatio et a synodo quæ sub eo erat, depositus est,et ut apostolica sedes in ejus damnatione consentiret,ab ipso consacerdote nostro postulata est. Sed decessores mei beatæ memoriæ Leo ac Benedictus, sedis apostolicæ moderamina servantes, noluerunt sic unam partem audire, ut aliæ parti nihil penitus reservarent : Unius quippe mediator non est. Quamobrem interim depositio ipsius a sede apostolica non suscepta,remansit infirma. Cumque idem Gregorius per legatum suæ partis, Zachariam nomine, sedem agnovisset apostolicam in sua depositione nullatenus consensisse, non gratias egit, non a cœptis in jam dictum fratrem nostrum sævientibus contumeliis conquievit; sed benignitate Dei et patientia sedis apostolicæ in superbia abutens, in ipsum videlicet Ignatium pa-

(*b*) Hic ingens rursus lacinia ex ep. 10 ejusdem Nicolai.

triarcham suum rediviva jacula impietatis irreverenter exacuit; et eo superstite, neophytum in Constantinopolitanam Ecclesiam consecravit; quin potius et adversus sedis istius decreta contumax esse non destitit, qui pro se, non contra se ipsius ab ea decreta paulo antea data, tanquam ingratus non recolit, et veluti tergiversator arma præparat adversus arma sibi tutelam salutis non modice conferentia, et murum destruere nititur, qui ne ipse destrueretur fortissime custodivit. Et agit nunc, quantum in se est, ut ea statuta prorsus habeantur invalida, quæ cum ipse his egeret, supplex petebat, et ut fortiora essent adamante, submissus optabat, atque ut sibi auxiliarentur, humiliter implorabat; necnon et contra ea repugnantur forsitan tyrannos et sacrilegos judicabat. Nisi enim sedes apostolica ei parceret, ille quomodo correverendissimum Ignatium posset destruere, brachium non haberet. At ille usus est sedis apostolicæ bonitate in malignitate, et beneficium in patris sui convertit exitium.

Dicite igitur, imperator, obsecro, cum ita sit, quomodo non debeamus nos Ignatium non adjuvare? aut usque ad audientiam, quantum in nobis est, indemnem non penitus conservare? vel quomodo non possimus Gregorium, et hos qui ex parte ipsius sunt, merito condemnare? Quando Ignatius, nisi a nobis esset impeditus, sic illos canonice forsitan sterneret, ut et eum nullo conamine potuissent impellere : isti qui non nobis hæserunt, quos in adjutorium suum habere promptissimos meruerunt, nec a nobis consilium acceperunt, ut hi cum patriarcha suo vel canonice judicari potuissent, sed vires suas a nobis ne frangeretur servantes, eas adversus eum protinus præpararunt. Undique perpendite quantum nos nunc Ignatio debitores sumus, qui sibi obstaculum et inimicis ejus facti sumus defensionis umbraculum; quamvis nos non ideo judicium istorum distulerimus, ut ei nocendi jacula præpararent, sed ut sic sententia in hos prolata valetudinem haberet, ut a nobis examinatio præcederet; et rursus sic ab istis in eum objecta penitus coram nobis admitterentur, ut partis Ignatii persona vocata vel convicta nostræ præsentiæ non deesset.

Quamobrem dilato parumper judicio, et infirmata sententia, missum est utrique parti, sedis apostolicæ præsulis præsentandum obtutibus, ac etiam, ut par est, subjiciendum diffinitionibus : sed dum pars Ignatii properando disponit iter, ab hostibus ejus viribus resumptis, non jam fidem apostolicam petentibus, non Petri memoriam facere dignantibus, Ignatius trahitur, impellitur et innumeris malis affectus ab Ecclesiæ regimine sequestratur. Et hoc totum factum est eo quod prædicti pontifices utrique parti æquitatem servantes, et utriusque lateris audientiam postulantes, Ignatii non firmando sententiam, imo vero interim infirmando, inimicis ejus quodammodo manum porrexerint, dum nimirum sententiam in eos prolatam non interim auctoritate sedis apostolicæ roboraverint, sed usque in præsentiam ejusdem apostolicæ sedis differri decreverint.

Quamobrem, charissime fili et laudabilis Auguste, quia quasi per nos inventa est Ignatii dejectionis materia, idcirco præter id quod frater adjuvari debet a fratre, præter id etiam quod Petro cujus in terris, licet indigni, vicem gerimus, Christi oraculo peculiariter dicitur : *Et confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII), etiam hoc specialiter dicitur eum non solum adjuvare et confirmare, verum etiam sicuti ipsi potestis advertere, totis nos pro illo viribus oportet per omnia disceptare; ut videlicet totum in illo funditus aboleatur, quod per nos lædendi fomitem adversariis ejus reperientibus, ei violentiam inferri monstratur; totumque recipiat, Christo propitio, quod, dum nos moderate ac regulariter gerimus, ipse præjudicialiter amisisse dignoscitur. Quoniam et præfati decessores nostri, Leo scilicet et Benedictus, beatæ recordationis pontifices, si tale quid diebus eorum Gregorius vel complices ejus patrassent, videlicet ut abusi tanto compassionis et patientiæ sedis apostolicæ circa se beneficio in Ignatium manus suas injecissent, ut adversus eum, ipsis sanctis præsulibus inconsultis, linguas suas taliter exacuissent; profecto eos tanquam ministros inquietudinis, et ipsos se sole clarius obnoxios ostendentes, sine quavis retardatione protinus condemnassent, et tantum piaculum impietatis eorum destruere ardentissime studuissent. Sed quia illi divina vocatione ab hac convalle lacrymarum subducti sunt, hanc tyrannidem nondum intuentes, nos debemus in eorum labore succedere, qui successimus in honore, in cujusque tempore crudelitas, quæ diebus ipsorum cœpit radices mittere, consummata perpatuit. Proinde nos, primo quia sedis apostolicæ de tota Ecclesia fas habentis judicare, moderamina retinemu; secundo quoniam fratribus injuriam passis subvenire debemus; postremo quia, sicut jam diximus, oportet nos in eorum labore succedere, in quorum successimus pontificatus honore : quemadmodum ipsi decessorum suorum exempla secuti sunt, et operis eorum strenui cultores inventi sunt; quod ipsi profecto agerent adjuvante Domino, habentes, quemadmodum illi, ejusdem zelum justititiæ, seu privilegium dignitatis, nos studiose perficere procuravimus, nimirum quod omittere procul dubio, sicut nosse cunctis clare tribuitur, non valemus.

Sed dicis, o imperator, etiam sine consensu nostro Photium et ecclesiam relenturum, et communionem Ecclesiæ habiturum, Ignatium vero nihil per nos meliorationis penitus adepturum. At nos e diverso credimus quod Ecclesia Christi sacros canones et præcipue Nicænos non tradat oblivioni, præcipientes videlicet ut hi qui abjicuntur, ab aliis non recipiantur. Credimus etiam quod diu membrum incolume non subsistat hærens membris ca-

piti non hærentibus. Postremo credimus quod cætera membra, si tamen affectant vivere, caput quandoque sequantur. Verum in omnibus his, secundum Apostolum, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX); et ideo pro labore pietatis moras ullas, roborante nos Deo, minime fastidimus, quia etsi nostrum est currere, divinæ tamen est potestatis, quando ei placuerit ad palmam perducere.

Quod autem facere apostolicam sedem decuit, sicut ad omnes orthodoxos Ecclesiæ catholicæ scripsimus, strenue fecit : Dei vero est cœpta perficere. Nam nos vomere quidem linguæ terram proscindimus mentium et in ea verborum semina spargimus, Deus autem potens est illi et sui rore [*f.*, rorem] Spiritus infundere, et augmento gratiæ fecundare, atque eorum quanta et qualia vult, et quomodo vult, ad uberem et multiplicem fructum perducere : quoniam nos, etsi agri Dominici cultores sumus, attamen *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus* (*I Cor.* III).

Verum his ita se incunctanter habentibus, constat eos qui semel a sedis apostolicæ præsulibus perculsi sunt, sententia illius hodieque constringi, ita ut eorum nonnullos quidem prolata contra se judicii tela principum tegmine munitos non statim sauciaverint, quandoque tamen medullitus penetraverint, nonnullus autem etiam post mortem susceptam cunctis exsecrabiles omnino reddiderint. Quotquot autem in ipsa communione sedes apostolica tenuit, aut dum viverint ab Ecclesia sunt universali recepti, aut postmodum ab ea summa celebritate retenti. Præterea illos in quorum damnatione non consensit singulari prærogativa dissolvit. Quæ ut manifestius prudentia tua cognoscat, ex his pauca commemorare studebimus. Primo quidem claviger cœli Petrus et primus sessor sedis istius, Simonem Magum non ferri sed linguæ mucrone prostravit. Sed ille principum utens virtute non solum in nequitia sua permansit, sed et male moriens, sui causa, in ejusdem damnatoris sui mortem principes inflammavit. Deinde cum Asiani omnes inter cæteros, evangelista Joanne auctore, quarta decima luna cum Judæis putarent Pascha celebrandum (*a*), hos præsul meritis et nomine Victor a communione collegii separavit. At illi omnes cum nonnullis Ecclesiarum præsulibus non solum huic manus minime præbuerunt, verum etiam pertinaciæ redarguerunt. Felix quoque papa Constantinopolitanum Acacium non solum deposuit, verum et insolubilibus anathematis vinculis innodavit (*b*). Sed adeo est contemptus, ut idem Acacius, mundi dilectorum tuitione protectus, etiam nonnullis Romanis pontificibus decedentibus, et officio sacerdotali juxta præcedentem consuetudinem fungeretur, et exceptis paucis, omnium Orientalium communione frueretur. Porro Agapetus apostolicæ sedis præsul Anthimum Constantinopolitanum similiter antistitem condemnavit (*c*), et in loco ejus ordinavit Mennam, pro quo videlicet Anthimo Silverius et Vigilius Romani pontifices ab Augusta Theodora multa incommoda, sed et discrimina sunt perpessi : sed ad restitutionem ejus nullatenus inclinati.

His ergo de pluribus sedis apostolicæ magnis et præclaris rectoribus carptim commemoratis, quid mirum si nos pro Photio contemnimur, cum videamus apostolorum principem pro veritate contra Simonem defensa etiam mortem subire? quandoquidem, licet sero, licet post multos sudores, quandocunque tamen mundus totus ea defendit quæ Petrus contra Simonem defendisse dignoscitur, ea damnat quæ illum damnasse describitur.

Quid autem mirum si nobis pro ecclesiastica correctione laborantibus manum non datis, sed et duritiis redarguitis? cum videamus Victorem papam et martyrem, qui ideo vere victor est, quia martyr pro ecclesiastica traditione, pœna a totius Ecclesiæ præsulibus pertinaciæ redargutum : quandoquidem Ecclesia tota nunc cum illo sapit, et quod fecit laude prædicat dignum. In quo animadvertendum quia si tunc ille pro justitia tanta severitate non uteretur, sicuti nonnulli hortabantur episcopi, hactenus fortassis error ipse mansisset, præcipue cum etiam eo tanto zelo succenso, usque ad Ephesinam priorem in aliquibus perdurasse synodum legerimus. Quid præterea mirum si sedes apostolica diebus tuis parvipenditur, nec ab imperio tuo tibique subjectis auditur? cum videamus sanctum Felicem adeo ab imperatoribus prædecessoribus tuis contemptum, ut ab eo anathematizatum Acacium ita sua protectione munirent, ut et sede Constantinopolitana dum vixit abuteretur, et in perfidia sua mala moreretur. Verumtamen propitio Christo, sedis apostolicæ pontificibus indefesse certantibus, a catholicis jugi fatigatione remota, tandem aliquando a sæpe fati beati Felicis sententia, id est Ecclesia [*f.*, sententia est Ecclesia, HARD.] tota conversa. Et quia prædictus Acacius non est inventus superstes, consequenter nomen ejus in Ecclesia taceri sancitum est (*d*). Sed et tu, imperator orthodoxe, de ipso nunc cum sede apostolica sapis, qui si illo tempore fuisses repertus, pro eo contra eam et in hac causa fieres fortassis accensus.

Ad extremum, quid mirum si pro dejectione Photii nobis minaris, quando antecessores tui principes pro Anthimo jam dicto prædecessores meos usque ad confessionem persequendo perduxerint? Verumtamen, licet diutissime laboraverint, sævie-

(*a*) Eusebius lib. v Hist., c. 24.

(*b*) Felix III in epist. 3, et Liberatus, de causa Nestorii et Eutychetis, cap. 18.

(*c*) Agapetus in ep. 4 et 5, et Liberat. c. 21. Pontifical. *in Silverio* et *Vigilio*.

(*d*) Gelas. in epistola 11 : *Absolutionem quam superstes nec quæsivit omnino nec meruit, mortuus jam non potest impetrare*. HARD.

rint, et tot diras adversus eos afflictiones commoverint, sententiam tamen eorum mutare vel Anthimum revocare ad pristinum statum nullo modo potueruut : qui licet tarde, quandoque tamen et ipsum Anthimum, et sensus ejus cum sede apostolica sapientes detestati sunt, et Mennam virum sanctum, ab ipsa promotum, non sicut vestrates falso autumant, sed cum ea hunc digne recipientes veneranter amplexi sunt. Quis vero tunc videns Petrum vel successores ejus, Simonem præfatosque prævaricatores tam fortiter debellare, non poterat indignari, et eos tanquam insensatos efferri penitus arbitrari, præsertim cum pro eisdem perfidis totus præter paucissimos adversus illos cum principibus suis pugnaverit orbis? Sed quia veritas tegi funditus humanis non potest conatibus, et præfati, quin et alii sancti summique pontifices spe freti, quæ non confundit (*Rom.* v), tot labores arripuerunt, idcirco sol justitiæ radios suos fortasse mittens et nebulam dissipavit erroris, et veritatis paulatim lumen ostendit : sicque demum quantum illi defensores Ecclesiæ recte sapuerint, et isti nequiter oberraverint, tandem evidenter innotuit. Ita quoque et nos, ut verbis egregii loquamur Apostoli : *Habentes eumdem spiritum fidei quem et patres nostri, sicut scriptum est : Credidi propter quod locutus sum* (*II Cor.* IV ; *Psal.* CXXV), et nos credidimus, propterea quod et loquimur ; et confidimus, quoniam qui Abraham contra spem dedit filium, potens est nobis pro Ecclesia sua laborantibus et incrementa spiritalium frugum donare, et earumdem frugum uberem fructum multiplicare.

Unde dicito, quæsumus, o imperator piissime, cujus prolixitatis inobedientia, vel cujus multitudinis insolentia, aut cujus potestatis excellentia, nos ab hac fide vel spe debeat aut valeat saltem parumper avertere? Præsertim cum beatissimus jam designatus exclamet Apostolus : *Est*, inquiens, *fides sperandarum substantia rerum, argumentum uon apparentium* (*Hebr.* XI) ; et rursus : *Spes*, ait, *quæ videtur non est spes ; nam quod videt quis, quid sperat? si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII).

Hac igitur fidei suæ spe certificati, fili charissime, nos quidem de percipienda mercede laborum (etiam si vos nobis nunquam obedieritis, etiamsi quantum potestis apostolicæ sedis reniti contenderitis) nullatenus dubitamus. De te tamen, tanquam de dilectissimo filio, vehementer ingemiscimus et tristamur, quoniam non priorum vestigia, sed pravorum principum exempla sectatus apostolicæ et primæ in toto orbe terrarum sedis edicta, perversorum hominum suasionibus illectus, atque decreta postponis, et anathematis obligamenta, quibus persecutores Ignatii comministri nostri, Photium videlicet, qui post depositionem nimis multa de ministerio sacro contingere juxta præcedentem consuetudinem ausus est, et fautores ejus regulariter irretivit, contemnis, et quasi minus Christianus temere parvipendis.

Quod quantum sit a pio intellectu removendum, et a fidelium cordibus exsecrandum, eximius præsul nostræ sedis moribus et nomine Grægorius ostendit, cum de hoc scriberet, dicens (*lib.* IX, *epist.* 49) : Si sunt qui certissime talia sentiunt vel tenent, quia Christiani non sunt, dubium non est eos, quos et ego et omnes catholici episcopi, atque universa Ecclesia anathematizamus, quia veritati contra sentiunt, contra loquuntur. Et rursus : Ipsi, inquit, sibi testes sunt, quia Christiani non sunt, quia ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanissime æstimant conatibus solvere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas ejus valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia despiciendi per omnia et anathematizandi sunt, ut unde veritatem fallere se credunt, inde in peccatis suis veraciter ligentur.

Sed si forte dicis nos non debuisse tam concite audita dicta credere, nec tam ad proferendam sententiam esse proclives, noveris, o imperator, hoc rationabiliter posse dici, si culpa cum clamore, quemadmodum Sodomorum et Gomorrhæorum, non esset : si quæ de Gregorio gesta superius intimavimus, tam in propatulo non exstitissent : si scripta vestra, quæ apud Constanttnopolim contra consacerdotem nostrum Ignatium, vel circa Photium, imo vero per Photium, gesta sunt evidenter, nullatenus indicassent : vel si legatos nostros et epistolas pietas tua benigne suscepisset, vel si susceptas ausu temerario nemo fallacia depravasset, et illa ab earum veritatis tenore nullateuus amovisset. At ubi piaculum non solum cum voce, sed et cum clamore commissum est, et sanguis insontis fratris, sicut hactenus, clamabat ad Deum de terra, et vestrates, juxta quod per prophetam de reprobis exprobrantis effectu [affectu] perhibentur, *peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt* (*Isa.* III) ; postquam scripta quoque vestra, id est peccatum [*f.*, ipsum peccatum, HARD.] consummatum, liquido demonstrarunt, postquam etiam missos nostros aversatos a colloquio fidelium, et jussis nostris aversos, et epistolas nostras occultatas atque falsatas agnovimus ; quid potuimus consultius vel cautius agere, quam, ne ut magis ac magis scelus ut cancer serperet, id funditus exstirparemus ; et, ne ut [*f.*, ut ne, *id.*] desides et negligentes judicaremur, pro domo Dei celerem fervidumque zelum ostenderemus? Præter hæc autem, quia falso divulgati fueramus nos vel Ignatii depositioni vel Photii promotioni consensisse, idcirco veloci studendum esse satisfactione, et Christi Ecclesiam de hoc certificare jure prævidimus.

Verum, quemadmodum audita crimina non facile credi, sed cognita sine tarditate puniri debeant, sanctus jam nominatus papa Gregorius et magister egregius, sapienter edocet dicens (*Expos. in ps.*

pænit.) : Peccatum cum voce, culpa est in actione; peccatum vero etiam cum clamore, est culpa cum libertate. Sed quid hoc exemplo nisi nos admonemur ne ad proferendam sententiam unquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa judicemus, ne quælibet mala audita nos moveant, ne passim dicta sine probatione credamus, quod profecto perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri subtilius facta pensamus. Ipse quippe ut nos a præcipitata sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda et aperta sint oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, qui ait : *Descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam* (*Gen.* XVIII). Omnipotens itaque Dominus, et omnia sciens, cur ante provocationem quasi dimittit, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere quam probare?

Ecce per angelos ad cognoscenda mala descendit, moxque facinorosos percutit, atque ille patiens, ille mitis, ille de quo scriptum est : *Tu autem, Domine, cum tranquillitate judicas* (*Sap.* XII); ille de quo rursum scriptum est : *Dominus patiens est redditor* (*Eccli.* V), in tanto crimine involutos inveniens, quasi patientiam prætermisit, et diem extremi judicii exspectare ad vindictam noluit, sed eos igne judicii ante judicii diem prævenit : et ecce malum et quasi cum difficultate credidit, cum audivit, et tamen sine tarditate percussit, cum verum cognoscendo reperit ; ut nobis videlicet daret exemplum quod majora crimina et tarde credenda sunt cum audiuntur, et citius punienda cum veraciter agnoscuntur.

Nos igitur quomodo ad puniendum audita mala proclives aut præcipites fuimus, quando, sicut longe superius diximus, antequam legati vestri, Arsa vir videlicet illustris spatharius ac cæteri Romam venissent, quæ apud Constantinopolim postea gesta fuissent veraciter agnovimus, nos jam audita nec tamen credita penitus habebamus? Postquam vero iidem missi vestri ad sedem apostolicam pervenerunt, quæ auditu solo primitus didiceramus, patefieri coram nobis, et tota Ecclesia quæ apud nos est, manifeste cœperunt : nec tamen nos interim ad sui damnationem quo modo pertraxerunt.

Postquam vero missi nostri, quos isthuc ad hæc per ordinem ac subtiliter investiganda et pleniter invenienda, seu vestræ notitiæ veraciter referenda destinaveramus, una cum Leone a secretis imperiali legato regressi sunt, et tam epistolam tuam quam cætera scripta de his quæ Constantinopoli gesta sunt, ab illo suscepimus et diligenter investigavimus, eosdem missos nostros una cum sancta synodo regulariter examinavimus, cuncta quæ gesta sunt, euucleanter didicimus, omne quoque dubietatis nubilum ex corde pepulimus, ac per hoc, docente magnisona Christi tuba, præfato scilicet papa Gregorio (*lib.* VI, *epist.* 14), quod supra meminimus, sicut audita mala tarde credidimus, ita tot probationibus cognita, citius punire necessario precuravimus ; et hoc rite : nam ad cognoscendam et condemnandam impietatem Nestorii sancta Ephesina synodus solam epistolam ejus, quam ad beatum Cyrillum scripserat, recitatam sufficere credidit. Quinta præterea synodus etiam jam mortuos Origenem atque Theodorum per eorum damnanda scripta non recte sapuisse repertos, anathemate percutit. Sanctus quoque papa Gelasius de damnatione Acacii vestræ quondam urbis episcopi ad Dardanos scribit, dicens (*epist.* 11) : Hic, si examinatio quæritur, jam judicio non erat opus, postquam litteris suis ipse confessus est. Christi præterea confessor papa Martinus Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum et Paulum Constantinopolitanos, solis eorum in sua sacra synodo scriptis recensitis, damnationi contradidit (*conc. Lateran.*). Hæc ergo et tot prædecessorum meorum exempla sequentes solemniter nos Photium et complices ejus damnasse manifestum est, præsertim cum ex vobis audierimus in scriptis Ignatium, qui merito christus Domini dicendus est, a subjectis et inferioribus suis sententiæ gladio transverberatum fuisse, ac detrimentum dignitatis propriæ pertulisse, quod apte secundum David in Saule, quem dicit christum Dei, nuncupatur *(a)* abjectus tamen a Domino jam dignoscebatur exhorruisse, Regum prodit historia, qui dum ex ore pueri Amalecitæ, etiam mendaciter dicentis, audisset quod occiderit Saulem, non alia certitudine requisivit, sed protinus hunc percussit, dicens : *Sanguis tuus super caput tuum, os enim tuum locutum est adversus te, dicens : Ego interfeci christum Domini* (*II Reg.* I).

Verumtamen quid opus est hinc multa prosequi, cum hodieque penes Ecclesiam Constantinopolitanam impietas ipsa vigeat, prævaricatio regnet, schismata multiplicentur? Porro si sententiam nostram exhorrescitis, et hanc alicujus valetudinis esse putatis, ne illam formidetis tantum, quia in prævaricatores et contaminantes prolata est, quantum quia perpetuo constringit inobedientes, et nisi resipiscentes nunquam omnino resolvit : Quapropter, fili charissime et Christianissime princeps, quem cum omnibus imperio tuo subjectis alloquimur, auferte malum de medio vestrum, tollite adulterum, tollite tyrannum et pervasorem Ecclesiæ ; reddite fratri et coepiscopo nostro Ignatio Ecclesiam sibi divinitus creditam, de qua vos illum ante omnem audientiam canonicam expulistis : reddite quod tulistis, et emendate pro Deo quod contra Deum egistis ; relinquite malum, convertimini ad nos et corrigemini : et liberati a malo, a nobis nullatenus dividemini, quoniam nos non in Photium ideo sententiam tulimus quia homo est, quia Photius dicitur, sed quia est persona prævaricatrix, et quia viventis antistitis, et ea nulla ex parte legitime carentis, usurpavit Ecclesiam. Itaque malefactum quod in ea est et in

(*a*) Locus obscurus.

fautoribus ejus punitur irrogatione sententiæ : quæ prævaricatio, quod maleficium si recedat, jam non erit illa persona, in quam sententia prolata est. Remanebit enim homo, et Photius, quem non damnat, inquantum homo est et hominis nomen censetur, sed inquantum prævaricator et malefactor est. Si ergo desinat esse prævaricator, sententia nostra in eo locum penitus non habebit: alter enim erit quam ille, cui illata sententia est, dum incipiet esse quod non fuit, vel non esse in quem prolata sententia est : nam quandiu in hoc manet, cui illata sententia est, vere insolubilis est illa sententia. Et quantumlibet floret ille, cui irrogata est [erogata], quantislîbet affluat honoribus, tantislibet miris laudibus efferatur, illa sententia perpetuo confringetur. Et nisi resipiscat, si non modo, certe vel post paucos, aut etiam post multos annos, aut certe quandoque, etsi non vita sua carebit Ecclesia quam tyrannice possidet, carebit tamen post mortem Christianitatis procul dubio nomine, cujus professionem inverecunde conculcat.

Jam vero si sententia nostra se ac fautores suos judicat obligatos, et idem cum eis posse absolvi : hoc enim significare videmini, cum epistola nobis directa nos mutare voluntatem, consilium ac sententiam sæpius exhortamini ; utique non prætendit injustitiam, et esse alicujus momenti profecto non dubitat, quæ tum potuit obligare, et a qua se cum fautoribus suis possit absolvi, quia non posset obligare nisi justa. Cum autem justa sit, nonnisi damnato errore juste resolvitur.

Ergo fateatur errorem Photius cum fautoribus suis, deponant prævaricationem omnes quos ligatos tenet justa sententia : sed tu multo magis, fili chaissime, qui tantum justitia et pietate cunctos debes superare, quatenus dissoluta prævaricatione dissolvatur quisque consequenter et sententiæ prolatæ censura ; quia et Nathan propheta palam publiceque in facie regis David et commissum pronuntiavit errorem, et quia hoc ipse commiserit, omnino non tacuit, sed confessione correctum consequenter absolvit. Præterea non omittendum esse credidimus nos commemorare præterito anno per indictionem videlicet tertiam decimam epistolam sub nomine vestro conscriptam, per Michaelem protospatharium suscepisse ; quæ tantis erat verbis contumeliosis, imo blasphemiis respersa, ut scriptor ejus nonnisi in gutture colubri calamum tinxisse putetur, et dictatoris labia pro dictionibus venena fudisse videantur ; adeo, ut si cujuspiam simpliciorum cor penetrent, non enim hæc aures prudentium suscipiunt, hunc continuo necent, nimirum tanto miserabilius, quanto mors animæ magis quam corporis per illum virulentum haustum admittitur. De cujus immanitate piaculi, licet vobis jam nos scripsisse recolamus, eadem tamen scribere vestræ sapientiæ nuno, mihi quidem non pigrum, vobis autem et multis necessarium.

(*a*) Deesse hic quiddam videtur.

Denique opinati sumus, et adhuc nihilominus opinamur, quod pietas vestra tandem aliquando resipiscat et de Ecclesiæ Constantinopolitanæ restaurando statu nobis salubria suadentibus acquiescat. Sioque demum omnia scripta, quæ male sint compilata, non solum adversum nos et hanc sanctam Ecclesiam, verum etiam contra fratrem nostrum et comministrum Ignatium, coram universa imperii sui multitudine igni tradenda decernat. Alioquin jam cunctis Ecclesiæ fidelibus, quæ foret apostolicæ sedis auctoritas, vel quæ fabricatoribus mendacii seu inventoribus perversorum dogmatum immineret ultio, profecto patesceret.

Impossibile est enim, quanquam nostras nos speciales injurias curare floccipendamus, ut tantorum ac talium sanctorum Patrum et propugnatorum Ecclesiæ [catholicæ Ecclesiæ], ac destructorum diversarum hæreseon atque defensorum orthodoxæ fidei blasphemias æquanimiter sustineamus, vel etiam tantæ sedis, sive tam excellentis Ecclesiæ Romanæ, cui Deo deservimus auctore, contumelias perferamus.

Verum, quamvis et de nobis humiliter sentiamus, non tamen, conscientia dictante, vera esse quæ vos de nobis perhibetis, asseveramus ; sed ut diximus, ea postponentes, illa potius quæ Jesu Christi sunt investigamus. Etsi male congesta adversus ejus famulos, adversus ejus ordinationes, adversus ejus dispositiones [*pro* dispositione, HARD.] stabilita privilegia reperiuntur, nulla patientia toleramus : et non solum hæc destruere totis viribus anhelamus, verum etiam conflatoribus tantæ perversitatis dignam vicissitudinem reddere necessario meditamur. Nimirum ne hos quis impunitos intuens, aut nunc aut futuro tempore deinceps talia præsumat præstigia falsitatis componere, vel commenta blasphemiarum hujusmodi figmentis contradicere. Quapropter, imperator sublimissime, diligenter propter Dominum inquirentes atque scrutantes, si vestra illam non fuisse præceptione tam cœnosam inveneritis confectam, imo toxicatis syllabis infectam epistolam, ut interim de tot præstigia texentium pœna taceamus, quam illi vobis zelo veritatis flagrantibus involvere, (*a*) convenit saltem hujus socia accepta, et palam cunctis igne succensa per augustales vestros tam nobis quam omnibus ad quorum notitiam pervenit, destinatos apices competenti satisfactione a tam perverso sensu et tam profanis adinventionibus, quod a sensu vestro non fuerint commentis tradita, vos exhibere prorsus immunes. Jam vero si vobis in multis hujus mundi sollicitudinibus occupatis subreptum est, ut talia scribere mandaretis, ne pigeat clementiam vestram hoc etiam ipsum humiliter confiteri, et legibus vestris ut hujusmodi scripta nullius habeantur momenti, decernere : ita ut penes quem reperta fuerint, impunito non evadente, ipsius quoque serpe memoratæ ac semper exsecrandæ epistolæ vel exemplaris ejus apices tntemeratis pro reverentia manen-

tibus sacris dictionibus, flammeo dedantur igni voranda, ut et sinistræ opinionis nævo, quod ex blasphemiis scriptis incurreretis, carere valeatis. Et ingrati filii circa matrem vestram,ex qua imperandi fastigium vos et patres vestri ordine cœlitus disposito percepistis, nullatenus appareatis.

Sin autem, scitote quoniam postquam in hac vos pertinacia persistere finetenus velle compererimus, primum quidem congregatis cunctarum Occidentalium regionum venerabilibus sacerdotibus,dictatores et dispositores, atque præceptores tantæ fallaciæ, seu crudelissimæ derogationis sanctarum, vel paternarum traditionum, ab omni Christiana compage remotus, apostolica freti auctoritate, diris anathematis vinculis innodabimus. Necnon et Patrum ac prædecessorum meorum secuti vestigia, qui soliti sunt etiam numerosorum concilia nequiter celebrata cassare pontificum,si qua socia sunt crebro dictæ, vel exemplaria fortassis epistolæ, quin potius non solum hæc,sed et omnia scripta quæ vel adversus fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium inique confecta, vel adversus nos causam illius canonice prosequentes, furiose deprompta sunt, perenni damnationi mandabimus.

Deinde vero decernentibus nobiscum, et simul considerantibus eisdem sanctissimis fratribus et coepiscopis nostris, ipsam epistolam in stipite vidontibus cunctis suspensam vasto supposito foco,ad vituperium vestrum coram omnibus nationibus,quæ penes memoriam sancti Petri multipliees inveniuntur, extremæ perditioni donabimus. Quatenus his rite patratis discat pius quod amet,et crudelis quod timeat ;nam tot et talia blasphemiarum commenta, quin potius veracium litterarum depravationes audisse et tacuisse,(a) cohibuisse est.Quamobrem,venerabilis imperator, valde mihi,sicut ipse comprehendere poteris, cavendum est ne, si nos præstigiorum figmentis minus celeriter obviaverimus, tanquam vera recognita,vel comprobata hæc admisisse fallaciter apud stolidos æstimetur[*pro* æstimemur, HARD.]. Nec possumus in Ecclesia Dei dissimulando tam spurca relinquere germina, quæ antecessorum nostrorum beatissimorum pontificum tempore, aut nunquam exorta, aut certe si uudecunque vel quodocunque exorta sunt, eorum judicii ligone, antequam proficerent,radicitus exstirpata sunt.

Destruite ergo vos et dissipate illa,alioquin a nobis fore destruenda, seu funditus dissipanda modo quem prædiximus, antenoscite, quamvis antequam nos ista vobis scriberemus,quæ nunc sublimitatem vestram hortamur, hoc vos sponte facturos esse putaremus :sed quia quod putatum est,nullum effectum hactenus habuit,idcirco nos salutem vestram illæsam manere volentes,ut hoc nunc saltem agatis, affectu paterno monemus. Alioquin,ut jam præfati sumus, sic, Deo favente, de cætero vigilabimus, et studiis quibus possumus insistemus,ut inter exanimes computentur qui auctoritatem Petri non senserint, imo Dei hanc ordinantis in Petro non intellexerint ; ita ut nec ista quæ perniciose compilata sunt defendere, sed nec his similia, ut non dicam scripto tradere,vel in mentem volvere,quis ulterius audeat. Non enim figmenta quæ ordinationi Dei resistunt, quæ evangelicis vocibus contradicunt,quæ sanctorum Patrum diffinitionibus obviant, quæ synodicis constitutionibus adversantur,quæ si sic dimittantur, innumera possunt fidelibus auxilia Petri quærentibus inferre dispendia, incolumia sine discrimine nostro valemus deserere, et existimationi nostræ vel nunc vel post decessum nostrum tantum, quod absit, nedum [*pro* nævum, *ut in epist.* 104]ad destructionem simpliciorum,et mutilationem sedis apostolicæ privilegiorum relinquere.

Itaque,fili desiderabilissime et Auguste clementissime,tanquam sapientissimus filius lætifica patrem tuum, et tandem aliquando mœstitiam de pectore matris tuæ veluti gratissimus natus repelle, removendo videlicet mœchum et ei reddendo legitimum. Destrue, quæsumus, opus diaboli, et omnes supplantationes ejus subverte. Opus est enim diaboli, et ejus subversutiis actum est, mihi credite,ut patriarcha pelleretur Ignatius, et sibi Ecclesiam creditam Photius adulter invaderet : ipse quippe callidus et veternosus inimicus, volens inferioris dignitatis sacerdotibus imponere sempiternum sileutium, eum quem sublimioris auctoritatis esse conspexit, impetendum primitus existimavit ; et ad hunc prosternendum quotquot potuit, vires armavit, atque totius invidiæ facibus etiam mundi principes inflammavit.

Cur hoc, nisi ut dum ili eum qui super se esset, elisum cernerent, ipsi (utpote minoris auctoritatis) pro veritate loqui penitus non auderent, et tanto jam sublimioribus personis prave agentibus,minus audenter ex adverso se opponerent, et tanto minus pro domo Domini murum licenter conscenderent, quanto in potiorem suum talia perpetrari conspicerent. Sed tu, imperator, qui plus religione quam brachio carnis hostes Ecclesiæ vincis, vince versutias ejus et omnia molimina ipsius subverte : exaudi nos, si libet ;sin autem vel protectorem tuum exaudi, et verba quæ ad Jeremiam locutus est, ad te delata cognosce. Ait enim : *Ecce constitui te hodie super gentes, et regna, ut evellas. et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes* (*Jer.* I). Evellas videlicet, et destruas, et disperdas,et dissipes, juxta competens imperio vestro ministerium, omnes argumentationes diabolicas, et omnia membrorum ejus machinamenta, et præcipue illa quæ per Photium orta sunt, male pullulentia germina: ædifices autem et plantes cunctarum virtutum mœnia, et honestorum odoriflua morum aromata:imo quæcunque per vos de fratris et coepiscopi nostri

(a) Pro *connivisse*, ut in epistola 104. *Cohibendi* verbo pro *connivendi* sæpe abutuntur veteres libri· HARD.

Ignatii sunt dignitate destructa, et de his quæ ad officium patriarchale pertinent, a persona qualibet irreverenter evulsa.

Jam vero si vel peccatis impedientibus, vel perversis hominibus suadentibus, missis imminentibus nostris, quod suadere vobis etiam ad imperii vestri felicitatem nitimur, non ducitis, quod gementes dicimus, adimplendum, et dilationibus, proh dolor! solum decernitis fore studendum; scire volumus excellentiam vestram quoniam de persona Ignatii atque Photii, de quorum agitur controversia, nihil discretius atque mitius, necnon et salubrius arbitramur quam ut uterque ad Romam ad renovandum examen, quod tamen secundum indulgentiam promittimus, tenore ac ordine quo jam vobis per Michaelem protospatharium significavimus, vestro favore veniat, ita ut Ignatius, qui omni est humano destitutus auxilio, quemadmodum venire valeat vestro pro Christi amore collato sibi fulciat juvamine. Jam vero si epistolæ per eumdem legatum vestrum, a quo vobis modo delata non est, tenorem vel ordinem quo diximus prænominatas personas Romam fore venturas scire cupitis, a præsentibus missis nostris exigite, et hunc nosse plene valebitis. Siquidem illis exemplaria epistolarum quas magnitudini vestræ, necnon Photio per Rhadoaldum et Zachariam tunc episcopos direximus, scripta pro collatione cum authenticis facienda tradidimus: cum quibus etiam exemplaria epistolarum, quas vobis et Photio per Leonem a secretis misimus, et hujus, quam per Michaelem protospatharium nos destinasse prædiximus, secum nihilominus deferendum contulimus.

Juxta ergo tenorem et ordinem quo præfatas personas ad iterandum judicium huc venire decrevimus, latius sagax industria vestra reperiet, quem nos in hac fastidium prolixitatis declinantes, replicare refugimus. His igitur, inspirante Deo, ita vestræ serenitatis auribus intimatis, sciat a Domino redimitum imperium vestrum missos sibi a præsulatu nostro, Deo auctore destinatos, Donatum videlicet reverendissimum et sanctissimum sanctæ Ecclesiæ Ostiensis episcopum, et religiosos ac venerabiles sanctæ Romanæ Ecclesiæ Leonem tituli sancti Christi martyris Laurentii, qui appellatur Damasi, presbyterum, atque Marinum apostolicæ nostræ sedis diaconem, quos benigne clementia vestra suscipiens, utpote Christianæ religionis cultrix, in omnibue pie traetet, et intactos quandiu vos penes remorantur, et indemnes prorsus manere decernat: quin et aditum simulque locum quæ injuncta sunt sibi, vobis licenter exponendi congruum eis ac sufficientem impartiri dignetur. Sicque demum in quibus Deus annuerit, et cordi vestro impetraverit, ordinatis, illæsos ad nos protinus eos et absque qualibet impediente molestia redire sinat.

Sed quoniam in Dei omnipotentis servitio diriguntur, per ipsius terribile nomen, quod Trinitas est inseparabilis; et per horrendum divinum judicium, in quo ante pavendum Christi Dei nostri tribunal omnes astabimus, et districtam reddituri summs pro meritis rationem, vos adjuramus, et totis præcordiis obsecramus, ut eisdem missis nostris apud vos positis nullam lesionem, vel cum reverti inde voluerint, obstaculum inferatis, neque inferre alium quemlibet permittatis: quin potius a cunctis insidiatorum molitionibus eos intrepidos et securos reddatis. Quatenus illis ad nos, etsi vestram vobis salutem suadere possunt, efficacibus redeuntibus, cunctis gentibus pateat quantum Deum coronatorem vestrum, pro cujus Ecclesiæ pace atque correctione legatione perfuncti sunt, honoretis: et quantam reverentiam principum apostolorum, a quorum sede profecti sunt, præ oculis habeatis. Siquidem nos, o tranquillissime imperator, illos non ad synodum celebrandam destinavimus, non ad lites et contentiones excitandas direximus. Scimus enim quod docente Apostolo, *servum Domini non oporteat litigare* (*II Tim.* II); sed hoc totum est pro quo misimus, videlicet ut, servata apostolicæ sedis auctoritatis reverentia, restaurationem Ecclesia Constantinopolitana status recipiat, et pax et unanimitas sanctis Ecclesiis et imperio vestro reddatur, atque perpetuis, Deo propitia, temporibus custodiatur; necnon et nomen vestrum diutinis ac prosperis crescat successibus. Et quemadmodum piorum præcedentium Augustorum miris hic post funus præconiis attollatur, et in cœlis æterni regni beatitudine perfruatur. Alioquin secundum Apostolum, *verbum Dei non est alligatum* (*II Tim.* II); qui rursus ait: *Vivus enim est Dei sermo et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus; compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis* (*Hebr.* IV); quo usi nec inobedientes, nec adversantes Ecclesiæ Dei, nec molestiam inferentes famulis ejus dimittere quoquo modo poterimus impunitos. *Qui habet aures audiendi audiat* (*Matth.* XI). Quæ nos omnia, licet strictim, idcirco dicimus et satagimus, necnon et diligenter exsequimur, ut plurima commemorare prætermittamus. Primo, ut ne nos de talenti acceptione, quam in privilegiorum quantitate percepimus districtam, si pigri reperiamur, coram summo judice cogamur, reddere rationem. Secundo, ne in irregulari dejectione Ignatii, consacerdotis nostri et fratris, vel in promotione Photii quoquo modo consensisse putemur. Tertio, ne sacerdotalis ordo tam ignominiose vilescat, ut Domini nostri et sacrum corpus ejus tractantes, atque Sancti sanctorum ejus velamina penetrantes, et præcipue summum in diœcesi sua locum retinentes, tam facile de cætero impellantur, et a vulgaribus quibusque ac inferioribus suis, necnon et laicis prosternantur, et absque ullo examine aut comprobato crimine gradu proprio et Ecclesia sua priventur. Quarto, quoniam manifestum est qualiter, sede apostolica in Gregorii Syracusani et sociorum ejus damnatione non consentiente, ipsi modo quem prædiximus ad hæc exci-

tanda surrexerint : et nunc nisi nos hæc corrigamus vel puniamus, veremur ne nobis deputetur in culpam. Nimirum qui successores sumus eorum quorum ipsi benignitate abusi, licet nobis inconsultis, ad ista prolapsi sunt. Quinto, ne ipsum quoque imperium vestrum, vel successorum vestrorum tam leviter adversus Ecclesias Dei vel præsules eorum perverse suggestionis flatibus commoveantur.

Unde pietatem vestram obsecramus, et coram Deo et sanctis angelis ejus contestamur, ut obediatis nobis, et nos in hac vita potius audire curetis hortantes atque rogantes, quam beatum Petrum cœlestis regni clavigerum in futuro sentiatis accusantem, atque damnantem. Nam si nobis non obedieritis, ipse contemnitur, cujus vices gestamus et auctoritate clamamus. Porro si illum contemnitis, ipsi jam considerate qui de vobis erit, vel quam in terribili judicio Dei rationem dabitis, qui in tanta sublimitate positi, per exemplum vestrum cunctis subjectis vestris ultimi exitus præcipitium demonstretis : non solum autem in præsenti tempore, verum etiam in futuro, imperatoribus videlicet et cunctis mundi principibus, necnon et omnibus omnino fidelibus.

Exhorrescite igitur tot hominum exemplo vestro pietatem destruere; formidate tantarum animarum operari periculum; pertimescite fidelibus, ad salutem forte tendentibus, tantam perniciem præparare, et pro his omnibus coram districto judice sine quibuslibet excusationis ambagibus de omnibus rationem omnimodam dare. Quoniam quot exemplo vestro ad talia fuerint devoluti, de tot animarum dispendio eritis prorsus obnoxii; et tot procul dubio, quod non optamus, pœnas luetis, quot noxiæ actionis vestræ forma in inobedientiæ chaos demergitis. Quæ omnia, pietate vestra nobis obediente, avertat Dominus, nam ista nos pro salute vestra prosequimur et exigimus. (*Ex ep. Gelasii papæ ad Anast. imp.*) Unde ne irascaris si te tantum diligimus ut temporale regnum quod assecutus es, te velimus habere perenne; et qui imperas nunc hominibus, regnes cum Christo; et qui cras moriturus es, vitam percipias et gloriam æternam [*cod. Vatic.*, sempiternam]. Data Idibus Novembris, indictione xv.

XCIX.

AD PHOTIUM.

(Anno 866.)

Exprobrat Photio multa crimina, quæ in occupanda Ignatii sede commisit; probat illum et divinum et humanum jus violasse; nuntiat ipsum depositum fuisse, ei si non paret sententiæ, minatur illi perpetuam usque ad obitum excommunicationem.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, viro Photio.

Innumerabilium reperiris prævaricationum obnoxius, et venerandorum canonum, atque paternarum diffinitionum, quinimo et divinorum mandatorum contumeliiis multipliciter ac impudenter elatus : siquidem et ex schismaticorum; sed et cum venerabilis frater et coepiscopus noster Ignatius Constantinopolitanam regeret Ecclesiam, a sanctæ communionis participatione contra regulas avertentium parte fuisse dignosceris, et ex sæculari administratione atque militia, et ex foro subito tonsuratus, a Gregorio Syracusano dudum episcopo a synodo damnato et ab apostolica sede convicto episcopus ordinari et nuncupari passus, etiam vivente ac superstite Ignatio patriarcha sedem ipsius invasisti; et sponsam, quam a Christo sponso immaculatam custodiendam, veluti amicus sponsi perceperat, non per ostium, quod Christus est, sed aliunde ex adverso in ovile Dominicum more furis, vel latronis irrumpens, ac violentus, rapax et scelestus adulter subripuisti. Et præter, imo adversus apostolicos canones, sæcularibus potestatibus usus, ecclesiam per eos obtinuisti. Deinde cum damnatis et anathematizatis; atque cum his, qui ne sacerdotale officium ante audientiam præsumerent, et a decessore meo sanctæ recordationis Benedicto papa fuerant obligati, quotidie ac indifferenter communicans, et conversans contra fidem promissam, contraque tuam professionem, qua pollicitus es, te adversus jam fatum patriarcham nullum sinistrum consilium esse facturum, congregasti concilium, et cum sequentibus tuis depositis et damnatis et excommunicatis, et anathematizatis, et aliis sine Ecclesiis, atque cum his, a quibus vel tu irregulariter ac illicite provectus fueras, vel quos ipse temere ac indebite promoveras contra eumdem fratrem et comministrum nostrum depositionem facere, et anathema dicere ausus es. Deinde apostolicæ sedis missos, quos pro causa sacrarum imaginum, et pro inquirenda, et nobis renuntianda jam fati patriarchæ dejectione, et ob inveniendum modum promotionis tuæ destinaveramus : quibus potuisti argumentis a nostris mandatis avertere, more Acacii quondam Constantinopolitani hæretici patriarchæ, præsumpsisti, et ad processionem, quæ tibi cum comparibus tuis habebatur : sicuti eorum professione patefactum est, et sancto Spiritu revelante venerandæ synodo, quæ a nobis collecta est, claruit, ad damnatorum et schismaticorum, tuamque confusionem contempta legatione, quæ vel gentilium more servari debuit, pertransisti [*pro* pertraxisti. Hard.], et in illusionem beati Petri aspstoli, cujus a sede profecti fuerunt, non solum inefficaces redire fecisti, sed etiam impugnatores omnium, quæ sibi fuerant imperata, monstrasti. Postremo episcopos, qui tibi tanquam adultero, et pervasori communicare noluerunt, exsilio relegasti, et ipsis jubentibus contra canones tui sceleris complices in eorum subrogare locis non timuisti. Et usque in præsens Ecclesiam Dei diversis persecutionibus impugnare non desinis. Ita ut fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium sanctissimum patriarcham inauditis pœnis et horribilibus tormentis afficere non quiescis : sed et omnes quotquot pro veritate, et fide commode persistere deprehendis, quibus prævales modis perdere imprætermisse moliris.

Quamobrem in his et hujuscemodi te cognoscentes contra evangelicas, apostolicas, et propheticas, atque canonicas institutiones efferre dolemus, et nimiis mæroribus affecti, necessario te præsentibus apicibus admonemus, hortamur et obsecramus, ut in tanta gloria non decipiaris, et æterna bona pro his brevibus non amittas. Pensa quam pauca sunt omnia, quæ hic mulctent [mulcent], quamlibet multa esse videantur. Perpende, quæso, quam multiplex sit, et quam prolixa pœna gehennæ, et hanc incidere pertimesce, hanc tibi acquirere medullitus exhorresce. Nam, secundum Evangelium, *Quid prodest homini si lucretur totum mundum, animæ vero suæ detrimentum patiatnr? (Marc.* VIII.) Scimus quoniam sapientia prædilus, et scientia ditatus haberis. Sed audi quid propheta de quibusdam sapientibus dicat : *Sapientes,* inquit, *sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt* (*Jer.* IV). Porro de scientia egregius Apostolus ait : *Scientia inflat, charitas vero ædificat* (*I Cor.* VIII), Ergo quantum non prosit, imo quantum obsit, non ad bona sed ad mala facienda habentibus sapientiam animadverte : et noli gloriari si habes scientiam sine charitate, quoniam, teste Apostolo, illa inflat, ista ædificat, (*I Cor.* IV). Et certe absurdum ac indecens est, ut eam, quæ inflat, virtutem habeas, illa vero quæ ædificat, careas. Quam autem habuisti charitatem, quando videbas fratrem et comministrum nostrum Ignatium ab ecclesia sua pelli, impeti, et adversus eum conjurationes et conspirationes præparari? Et non solum minime illum, cum posses, utpote ad sæculum clarus et honorabilis adjuvisti, verum etiam cum factiosis concurristi, et cum machinantibus adversus eum, et varias malignitatis argumentationes excitantibus concertasti. Quin potius horum omnium peccatum, quod generat mortem, in te proprie consummatum est, nimirum qui cunctarum prævaricationum in illum commissarum tu auctor factus es. Nam et si te homicidam dicimus, non mentimur. Joanne apostolo clamante, qui ait : *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* II) : si ergo qui odit fratrem homicida est, quanto potius is, qui patrem non solum odit, sed et quantum in se est, mactat? insuper etiam si, ut Achab, quæ illius sunt rapit, et possidet, homicida dicendus est, et non solum qualiscunque homicida, verum etiam et parricida? Pater enim tuus erat Ignatius, et tu filius ejus, qui tantum a te præ naturali patre debuerat venerari, quantum spiritus, quo relativa hæc nomina mutuo possidetis, præferendus est carni.

Porro si te viperam appellamus, non fallimur, siquitudem tu, nonnisi parente perempto, proficere credidisti. Jam vero si te tam [*leg.* Cham : *quod et sequentia plus nimio confirment*] similem asserimus, nec sic erramus : ipse quippe adeo in irrisionem et contumeliam patris prorupisti, ut de cathedra sacerdotali eum projiceres, et ad illudendum mimis, et scenicis inverecunde proderes. Extremo, si te Judæis comparamus, fortasse non modicum quidem a vero discedimus : nam ipse non solum super magistrum tuum contra Evangelium factus es, verum etiam ordinationi Dei resistens adversus eum dentes tui, arma et sagittæ, et lingua tua machæra acuta effecta est. Quandoquidem non, sicut sanctus David, mittere manum in christum Domini formidasti, sed sicut principes latronum non habentes bona regem suum trucidantes, insurgere contra rectorem tuum versutis insidiis magnopere procurasti. Quos idem sanctus David, sicut et illum qui se christum Domini (Saulem videlicet peremisse nuntiaverat, tanquam homines impios, et principem suum trucidantes, tradere morti laudabiliter jussit (*II Reg.* I). Quanquam etiam si nihil in his reprehensionis admitteres, cum pridie laicus fueris et sæculo militaveris, nequaquam tam repente debueras ad summi sacerdotii pervenire fastigium : quandoquidem nec monachorum poteras subito secundum probabilium Patrum traditionem, perfectionem consequi, Gelasio, Gregorio et Adriano magnis, et vere sanctis sedis Romanæ præsulibus id ipsum, quod serenissimo Augusto, atque tibi jam scripsimus, multipliciter inhibentibus. Sane si horum tanquam ignotorum, sanctitatis insignia non agnoscebas (licet cujus fidei, cujus studii fuerint, per eorum nosse scripta sufficeret) saltem Cœlestini, atque Leonis, ejusdemque sedis pontificum reverentiam præ oculis habuisses : quorum sententiæ tota per mundum diffusa inclinatur Ecclesia : quorumque doctrinam (sicut in sacratissimis tertia et quarta synodis videre est) Christiana veneratur apprime religio. Quinimo et quorum virtutum decus, et eloquentiæ niterem, necnon et morum probitatem ac exhortationum suavitatem non solum fideles reges, verum etiam infideles ac tyranni, barbarique principes, reverentia, vel pavore non modico mansuefacti vehementer amplexati sunt et sectati. Quod si magnos sanctosque fuisse non negas (quia nec vales : alioquin pugnabit pro eis orbis terræ contra insensatos) oportet ut in cunctis Ecclesiæ dogmatibus, et disciplinis eos solerter attendas, et veneranter admittas. Nam si in cæteris nostræ religionis negotiis eorum assertionibus cesseris, et in his eos, in quibus tuæ promotioni contradicunt, contempleris, apparet te minus saluti communi, quam sorti privatæ intendere, ac per hoc, non quæ Jesu Christi, sed quæ tua sunt, quærere. Aut illæ bonæ arbores fuerunt, et bonos fructus fecerunt, aut malæ (quod absit) et fructus eorum mali : et si quidem boni fuerunt et fructus eorum boni, oportuit eos tanquam bonos sequi : *Non enim potest* (Evangelio testante) *bona arbor malos fructus facere* (*Matth.* VII). Porro si de eisdem non cum tota Christi Ecclesia sapis, necesse est qualiter vel ipsi, vel fructus eorum mali fuerint, plurimis adhibitis ex omni Ecclesia testibus comprobes et affirmes : quoniam tibi soli super hoc negotio contraria suadenti non creditur.

Jam vero si dixeris, Bona et grata sunt, atque salubria, quæ prædicaverunt, vel statuerunt, sed

non omnia, nam horum quædam dulcia, quædam amara fuere, Jacobus tibi pro eis respondet apostolus, dicens, *Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam?* (*Jac.* III.) quoniam sicut idem iterum ait : *Neque salsa dulcem potest facere aquam* (*ibid.*) :Spiritus enim sanctus quorum vasa isti fuerunt, non potest nisi dulcia per hos, quos repleverit,eructare. Præterea si profiteris omnia eorum decreta salutifera quidem fore, sed hæc vos hactenus ignorasse,nec sic profecto excusabiles eritis.Nisi enim ignorantiæ peccata essent, nequaquam Psalmista pro his Dominum precaretur, dicens : *Delicta juventutis et ignorantiæ meæ ne memineris* (*Psal.* XXIV) : qui rursus denique dicit : *Noluit intelligere,ut bene ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo* (*Psal.* XXXV). Qui enim non ait, Non intellexit,sed *Noluit intelligere,ut beue ageret*, profecto monstravit, quia sæpe proposito voluntatis ignorantia procuratur.Idcirco de ignorantia cuncta ad securitatem auferes,si apostoli formidolosa verba consideraveris,quibus ait: *Siquis autem ignorat, ignorabitur* (*I Cor.* XIV) : quia profecto, docente sancto Gregorio papa, qui ea quæ sunt Domini nesciunt,a Domino nesciuntur.Sed dicis : Hæc non in lege suscipimus,et prevaricatores,qui signifieantius Græce παράνομοι dicuntur, non sunt, nisi qui præter legem acceptam aliquid pravitatis committunt,sicut Apostolus ait : *Ubi non est lex, nec prævaricatio* (*Rom.* IV). Sed audi,et expavesce quod rursus idem dicit Apostolus : *Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (*Rom.* II). Alioquin gentes, quæ legem non acceperunt, excusabiles fateberis. Verum ego universos qui inique agunt transgressores dixerim, psalmographi habens auctoritatem, qui canit : *Prævaricantes*,inquiens, *reputavi omnes peccatores terræ* (*Psal.* CXVIII.) Dicens ergo, *prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*,etiam gentes, quæ legem non acceperunt,comprehendit.Quoniam etsi legem per Moysen datam non acceperunt, acceperunt tamen legem naturæ, quæ nisi corrupta fuisset,lex Mosaica data non esset : quam videlicet legem naturalem nunc a te non inconvenienter exigimus,qui gloriaris sanctorum tantorum pontificum edicta nullatenus accepisse.

Denique hanc sibi datam, si volumen cordis tui conscientia scrutata fuerit, procul dubio non negabit.Ibi quippe scriptum reperies, lege naturæ dicente,a nemine velle lædi,a nemine velle tua prorsus auferri. Quapropter apte præcipitur : *Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris* (*Luc.* III), et Domino dicente : *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (*Matth.* VII). Ideoque non poteris hanc te legem non accepisse negare,cum eam etiam ipsa natura doceat,et propria uniuscujusque voluntas edere [*forte*,ea de re. HARD.] jugiter innotescat. Quod si hanc datam tibi fuisse denegas,profecto sedis apostolicæ præsulum decreta te accepisse demonstras. Quid enim illa nisi quod tibi non vis fieri,aliis ne feceris, dicunt, quando præcipiunt ne subito factus clericus clericis dominetur, qui per singula stipendia militaverunt,et omnem in Dominicis castris ætatem egerunt. Quid, inquam, illa, nisi omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis, jubent, quando præcipiunt, ne prioris ordinis sui quislibet saltu præpropero in alienum honorem ambiat immoderata cupiditate transcendere, vel pro suo libitu jura studeat aliena pervadere. Et certe si tu per singula stipendia in Ecclesia Constantinopolitana militasses, et omnem in Dominicis castris ætatem egisses,et quilibet prioris professionis saltu præpropero in honorem tuum ambiret,et immoderata cupiditate transcenderet, et pro libitu studeret tua pervadere, mox in vocem prorumperes,et adversus hunc querelas exponeres. Et quia præceptum est : *Non concupisces rem proximi tui, neque omnia quæ illius sunt* (*Exod.* X); et rursus : *Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris* (*Luc.* III), sufficientibus scriptis palam cunctis ostenderes, et quod Joannes Baptista militibus,ut neminem concuterent, neque calumniam facerent, et contenti essent stipendiis suis, præcepit, intentissime commemorans, et ait : Noli me concutere,noli mihi calumniam facere : sed esto tu, qui miles sæculi hactenus fuisti, stipendiis tuis contentus, quia sic tibi præcursor Domini dicit, et excelsis vocibus exclamares, et fieres forte singultiens : Ea stipientia, eorum fructus laborum noli concupiscere ; noli subripere, noli de me,vel de meis commilitonibus male sentire : noli modo vincere nos omnes tot curriculis temporum diversis prœliis Domini jam fessos, tot sudoribus et vigiliis pro civitate ipsius jam tabefactos velle saltu quodam ambitionis transcendere,et in nobis ex militia nostra non electus,vel profectus noli ducatum arripere. Igitur cum ea, quæ sedis apostolicæ præsules instituerunt, in litteris sacris invenias, imo vero in temetipso jugi perseverantia relegas : noli, quia decreta ipsorum non susceperis amplius asseverare : cum ipsi nihil,nisi quod naturalis, quod Mosaica, necnon et gratiæ lex jussit,instituant ; et quidquid in Sardicensi sancti Patres concilio statuerunt, custodiendum prorsus definierunt.Inter quos Osius ille famosus, et magnus inventus est Athanasius, quamvis timescimus quid somnians dicas ejusdem concilii canones apud vos non haberi, quod procul a vero multis esse probatur indiciis.

Primum quidem,quoniam quando Zacharias, qui se prætendebat episcopum, ex parte Syracusani Gregorii, et collegarum, ejus apostolicam sedem adiit, eorum deposcens renovari judicium : hos se in appellatione canones, et eos, a quibus missus exstiterat,fuisse secutos aiebat. Deinde nos diligentissime requirentes reperimus ipsos canones eo sensu, et numero non solum in novis,verum etiam in veteribus, atque authenticis codicibus, qui veraciores soliti sunt inveniri, Græce conscriptos, quo cæteris Latinis canonibus inserti esse cernuntur, nimirum qui et a præsulibus provinciarum pene to-

tius orbis definiti sunt, et illis omnibus satis placuisse per eadem exemplaria Græca monstrantur. Quomodo autem non esse penes vos Sardicenses canones tu solus astruere poteris, quando non solum a Latinæ, verum etiam cum aliis a Græcæ linguæ hominibus statuti sunt et promulgati? Qua de re credibile non est, quod illic definitum est, unumquemque ipsorum minime linguæ propriæ tradidisse. Aut quomodo non sunt penes vos (*a*) canones Sardicenses, quando inter quinquaginta titulos, quibus concordia canonum apud vos texitur, ipsi quoque reperiuntur? Jam vero [*forte*, si et canones cum, HARD.] si et habitus tum præfatorum insignium Romanorum pontificum decretalibus institutis, de laicis ad ecclesiasticos gradus non temere provehendis emissis, contemnendos esse putasti, saltem doctorem gentium Paulum apostolum audire consensisses, et quam sancti patres in Sardicensi concilio convenientes in hoc cum eo concordaverint, attendisses. Nam et audenter dicimus, et veraciter profitemur, quoniam qui Sardicense concilium non recepit, nec Paulum apostolum recepit. Quid enim (ut cætera prætermittamus) Sardicense concilium statuit, quando dicit : Si forte aut dives, aut scholasticus de foro, aut ex administratione sæculari episcopus fuerit postulatus, non prius ordinetur, nisi ante et lectoris munere, et officio diaconi, aut presbyteri fuerit perfunctus : et ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen episcopatus? Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique per prolixum tempus, probari qua fide sit, qua modestia, qua gravitate et verecundia, et si dignus fuerit probatus, divino sacerdotio illustretur ; quia conveniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, ut temere et leviter ordinetur aut episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui neophytus est, maxime cum et magister gentium beatus apostolus ne hoc fieret, denuntiasse, et prohibuisse videatur : sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita, et merita fuerint comprobata ; nisi quod Apostolus præcipit dilecto discipulo, dicens : ***Manum cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*** (*I Tim.* v.) Et de diaconibus : ***Hi autem probentur, et sic ministrent*** (*I Tim.* III). Quis autem majorem concordiam quam in his verbis Apostoli, et memorati concilii poterit invenire? Quid vero est, ***dilo***, nisi ante maturitatem ætatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, imo ante exhibitionem subjectionis potius, quam celsitudo prælationis? Jam vero si Apostolus (ut intermisse prædicti concilii mentio differatur) diaconos probari præcepit, et sic ministrare, quanto igne doctus episcopus diutinis est temporum spatiis per omnium exercitia virtutum probandus, et tanquam aurum in fornace diversarum tentationum examinandus? Sicque demum purgatus jam, et [*forte*, exceptis cunctis probris, moribus et virtutibus manifestus, *etc.*, *vel* expiatis cunctis pravis moribus, *etc.*,] expiatis cunctis probis moribus et virtutibus, manifestus ad prælationis fastigium provehendus. Igitur nos quidem de indebita promotione tua summatim hæc scripisse tibi cognosce.

Tu autem qui etiam cogitationum tuarum testis es, quam illicite sis provectus, scire facilius poteris. Qua de re alienum cessa de cætero pervasum locum tenere, nec fias domui Israel in offendiculum iniquitatis, et nec amplius cæcis ducatum præstes erroris. An non (ut multa omittamus) offendiculum domui Israel factus es, qui tantam Domini plebem Ignatium deserendo contra suam subscriptionem, vel professionem agere compulisti? An non ei ducatum erroris prætitisti, quando illi pastorem suum infideliter deserere, et te, cui non pertinebat aliquid de ovibus, sequi callide suasisti? Verum tanti reatus pondere jam fungeres, si veritatis sententiam sollicita cordis aure pensares, quæ ait : ***Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris*** (*Matth.* XVIII). Per molam quippe asinariam sæcularis vitæ circuitus, ac labor exprimitur, et per profundum maris, extrema damnatio figuratur. Melius ergo tibi fuerit, ut sub exteriori habitu te ad mortem sæculi acta constringerent, quam sacra officia ambiendo, et non solum unum, sed etiam cum magistro patre, ac pastore tuo plurimos eorum, qui in Domino credunt scandalizando, in culpa te cæteris imitabilem demonstrares : quia nimirum si solus caderes, ut cunque te tolerabilior inferni pœna cruciaret. Fuge itaque principatum nequiter usurpatum : declina præesse, qui innumeris dignosceris indesinenter obesse. Scriptum legisti quia *Jesus* (qui utique rex verus est) ***cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit*** (*Joan.* VI) : quis enim principari omnibus tam sine culpa potuisset, quam is, qui hos nimirum regeret, quos ipse creaverat? Sed quia idcirco in carne apparuit, ut non solum nos per passionem redimeret, verum etiam per conversationem doceret, exemplum se sequentibus præbens, rex fieri noluit. Ad crucis vero patibulum sponte cum venit, oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit, ut videlicet membra ejus discerent favores mundi fugere terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare.

Igitur tandem aliquando audi nos, quos si audieris, non senties erga te penitus inflexibiles, nec ad misericordiam duriores : quia, ut Leo Magnus apostolicæ sedis antistes beato Flaviano scribit (*epist.* XII, *ad fin.*) : Dominus noster verus et bonus pastor, ***qui animam suam posuit pro ovibus suis, et qui venit animas hominum salvare, non perdere*** (*Joan.* X), imitatores non vult esse pietatis, ut peccantes quidem justitia coerceat, conversos autem misericordia

(*a*) Collectio canonum est Joannis Antiocheni, quæ quinquaginta titulis constat. Hanc Justellus edidit. HARD.

non repellat. Siquidem nunc pro omnibus, quæ sparsim per hujus epistolæ textum te contra omnia jussa divina perpetrasse commemoravimus, Dei omnipotentis et beatorum apostolorum principum Petri ac Pauli, ac omnium simul sanctorum, atque venerandorum sex universalium conciliorum auctoritate, necnon et Spiritus sancti per nos judicio cuncto sacerdotali honore, ac nomine (quod gementes dicimus) alienus, et omni clericatus ex officio prorsus exutus: ita ut si post notitiam hujus sanctionis, quam divina inspiratione depromptam esse credimus, dum unanimitate et concordia sanctæ synodi sit procul dubio promulgata, tentasti in Constantinopolitano throno præsidere, ac sæpe fato venerabili coepiscopo nostro Ignatio, quominus ecclesiam sibi commissam sine quavis inquietudine regere posset impedisti: vel si de ministerio sacro ulterius ausus fuisti aliquid more sacerdotis contingere, juxta præcedentem consuetudinem (quod contra canones est) nullo modo liceat tibi communionis spem, aut locum habere satisfactionis, sed anathematis vinculis innodatus una cum communicatoribus tuis, atque fautoribus perpetuo Dei judicio, ac sententia per mediocritatem nostram existens, sacrum corpus et sanguinem Domini Jesu Christi nonnisi vicino mortis periculo percepturus. Quatenus hæc unusquisqne dicens: nequaquam de cætero temeraria præsumptione ex laicis subito in dominicis castris insperato quodammodo impetu irrepere audeat, et principatus amore ante dux esse velit, quam tironis consummet officium, et ante tentet docere, quam discere, sicut in eadem Constantinopalitana Ecclesia sæpe præsumptum esse comperimus. Et rursus ne contemptis clericis (quorum utpote in tam magna urbe copiosa multitudo est) quisque ab ipsis (ut ita dixerimus) cunabulis, imprætermisso labore in Ecclesia Christi dcsudant; et indesinentia Domino exhibent servitutis obsequia, is qui deforis est, alterius ovilis Christi repente principatum arripiat, et nitatur quos esse suos non recognoscit, discerpere, et grex Dominicus incipiat eum utpote extraneum, et improvisum omnino contemnere, præsertim cum perspiciat nihil sibi stipendia profecisse meritorum, et alienum suorum cernat consumere fructus laborum. Data Idibus Novembris, indictione XV.

C

AD BARDAM CÆSAREM.

(Anno 866.)

Dolet se depulsum fuisse de spe, quam ob multa quæ a principio de ejus pietate audierat, in ipso collocaverat; hortatur eum ut resipiscat, et causam Ignatii apud imperatorem agat, ipsisque legatis sedis apostolicæ faveat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, in Christo diligendo filio BARDÆ inclyto Cæsari.

Postquam Dei omnipotentis in te cœperunt dona miris successibus abundare, eorumque donorum insignia longe lateque gtoriosissime coruscare, necnon et apud aurium nostrarum auditur odorifera crebrescente fama laudabiliter frequentare, cœpimus et nos exinde immensas eidem omnium donarum largitori Domino gratias agere: et ut hæc in te crescere faceret, enixius implorare, qui pro magnæ pietatis suæ, ac ineffabilis misericordiæ multitudine tanto apicem excellentiæ tuæ post sublimius extulit, quanto per te oppressos erigi, et opprimentes comprimi, et exaltantes Ecclesiam suam exaltari, et humiliantes hanc voluit humiliari. Posuit quippe te in Ecclesia sua sicut cedrum, ut sub umbra tua refrigerium cruciati, et protectionem inveniant desolati, ac diversis fatigationibus lacerati. Post hæc autem audivimus in Constantinopolitana urbe dissensiones, contentiones, clamores, conjurationes, conspirationes, factiones, animositates, simultates, et cætera incommoda, seu discrimina, ita ut jam imminere credamus illa tempora, quæ ab apostolo novissimis diebus instatura fore prædicta sunt, et urgere putarentur omnia signa, quæ Redemptor noster finem mundi præventura esse pronuntiavit. Quid autem nequius, imo periculosius, quam ante justam, canonicamque audientiam sola sæculari potentia præsulem a sua sede propelli, atque ecclesia sibi divinitus commissa, consensuque ac subcriptione provincialium sacerdotum, et compatriarcharum communione roborata privari? et eum qui inter Deum et hominem interpres, ab intercessione populorum, nulla monstrata noxa, solo pro libitu uniuscujusque removeri? Quid, inquam, nequius, aut periculosius, quam ut discipuli manu in magistrum injiciant? filii viperas imitantes parentem propriam (quantum in ipsis est) interficiant? eique maledicere, a quo benedicti sunt? eum projicere, a quo ad singulorum graduum honorem profecti sunt? Quid vero præsumptuosius, quam si pulsus aliquem pellere, aut remotus removere, aut ligatus ligare tentet? Quid præterea inconvenientius, vel inordinatius, atque confusius agi potest, quam tanta numerositate Constantinopolitanorum clericorum, tanquam tota vel fidei violatione polluta, vel inscitiæ insipientia enervata, vel diversis criminibus irreta, spreta penitus, ac reprobata, laicum super hanc erigere, et extraneum super eam inducere, et in ea contra sacros canones, imo vero adversus apostolum neophytum ordinare? Jam vero si neophytum nonnisi noviter in fide plantatum dicitis: respondemus, non hoc illud nobis nomen significare: siquidem in illo nomine, quod est neophytus, nihil de fide sonat.

Sed dicitis: Ita hoc sancti Patres nostri interpretantur, videlicet ut neophytus noviter in fide plantatus intelligatur? At nos respondemus, quod postquam in compositione nominis hujus nil de fide sonare scit, non solum in fide, verum etiam in clericali militia noviter insertus neophytus valeat appellari, quemadmodum et sanctus papa Gregorius, et Anglorum gentis apostolus intercessor vester apud Deum, qui et vim nominis istius perspicaciter intel-

lexit, et patres illos forsan, quos dicitis, subtiliter investigavit, inter cætera scribit, dicens : Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui initio in sanctæ fidei erat conversatione plantatus : sic modo neophytus habendus est, qui repente in religionis habitu plantatus ad ambiendos honores sacros irrepserit. Quid rursus perniciosius est, quam cuiquam ex schismaticis intra septa Dominica principatum tribuere, et per damnatos sanctificare,et per depositos ad sacerdotium sublimare, et viventis locum subripere, et alteri Christi sponsam commissam temerare, et in apostasiam multos demergere, et in infidelitatem impellere,et a professione, vel subscriptione sua non paucos avertere,et ecclesiam per exteras potestates accipere, ac per hoc in ovile Dominicum, non per ostium, sed ex adverso, ac aliunde conscendere, et in id more furis atque latronis, seu lupi rapacis irrepere, et primum quidem pastorem necare, deinde vero ovium alias quidem trucidare, alias autem dispergere, conterere, nudare, lacerare, ac diversis modis et machinationibus disperdere? Quid postremo, quæsumus, horribilibus, et exsecrabilius, quam Dominica,seu sanctorum Patrum, necnon et apostolicæ sedis scripta pro religione, pro disciplina, pro correctione missa violare, et quædam quidem eorum fidelibus occultare, quædam vero defraudare, et subtractione, ac commutatione,necnon et additione quædam callide depravare? Missos quoque beati Petri apostolorum principis variis argumentis a sibi commissis avertere, et ad præcessionem [*al.*, processionem], quæ a schismaticis,excommunicatis et damnatis agebatur, pertrahere, illosque contempta legatione, quæ vel gentilium more tractari debuit,nonnullis incommodis subdere,et ad extremum in illusionem beatissimi Petri, a cujus sede profecti fuerant, non solum inefficaces redire facere,verum etiam impugnatores omnium, quæ mandata fuerant, demonstrare? Quæ et his similia, necnon et his pluriora in Constantinopolitana urbe,vel in adjacentibus sibi civitatibus patrari audientes, immenso sumus mœrore repleti, et anxietate nimia perturbati. Sed quia horum omnium auctor tu existere fama divulgante diceris, intolerabili cruciatu mentis afficimur, et doloribus undique coaugustamur. Unde videlicet cum Jeremia in vocem prorumpere, ac libet lamentabiliter mœstitiæ operam dare, flebiliterque exclamare : *Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lacrymarum* (*Jer.* IX), ut plangam, et lugeam tantam et talem perniciem, tantum et tale dispendium? Frustrata est enim spes nostra : confidentia nostra decepit nos.O damnum incomparabile,o exitium nonnisi per te, Domine Jesu, quoquo modo destruendum! Versa sunt dona Dei, quæ olim fuerant tibi collata, in armaturam adversus Ecclesiam ejus, et quæ ille pro salute plurimorum tribuit,in perniciem evidentem sunt commutata multorum. Sed revertere, fili mi, revertere, piissime Cæsar, revertere : quia Dominus noster misericors est, et te revertentem extensis benignitatis brachiis clementer amplectetur. Et non tantum indignatus est pro læsione, quam Ecclesiæ illius operatus es, quantum lætabitur, si quem læsisti adversus Ecclesiam, adjuvare contenderis. Porrigat igitur pietas tua Constantinopolitanæ Ecclesiæ manum, nec patiatur hanc amplius suo jam destitutam rectore subsistere : et mœrentem ac lugentem incedere. Virtutum charismata, quæ tibi Dominus noster Jesus Christus contulit, non contra se, sed pro se, proque sancta Ecclesia sua præparata semper inveniat : teque de beneficiis suis esse melioratum gaudeat,et gratias agere continuis horis, atque momentis reperiat.

Legatos præterea (Donatum videlicet reverendissimum, et sanctissimum sanctæ Ecclesiæ Ostiensis episcopum, et religiosos, ac venerabiles sanctæ Romanæ Ecclesiæ Leonem tituli sancti martyris Christi Laurentii, qui appellatur Damasi, presbyterum, atque Marinum apostolicæ nostræ sedis diaconem) quos Constantinopolim in nomine Domini destinavimus,ita libenter,ita benigne suscipite, atque tractate, quemadmodum orthodoxi principes beati Petri apostoli missos suscipere, necnon tractare soliti fuisse multis apicibus referuntur. Nam et impietatem paganorum transcendere comprobantur, quicunque legatos ecclesiarum quibuslibet putaverint contumeliis impetendos. Apud ipsos enim et si non habetur legatio fortassis accepta, persona tamen legati semper judicatur immunis, præsertim cum legatio præfatorum nihil nisi quæ pacis sunt,satagat et tantum quæ justitia diligit, ipsa verecunde suadere contendat. Scilicet ut ablato mœcho Ecclesiæ Constantinopolitanæ, proprio reddatur episcopo : et si quid huic restituto jam fortassis objicitur,servato ordine audiatur,et judicetur; videlicet ut inferior a potiori judicetur, et non minorum (quod contra omne fas est) sententiæ subjiciatur. Quam præterea fortitudinem ostendetis, si totus indignationis vestræ pondus super duas,vel tres personas inflectitis; et pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona solum calcandos vel conterendos existimatis? Sed videte (quia ejus capitis pedes calcantur, quod olim, ut quid sibi persecutio ingerebatur, pro ipsis e cœlo clamavit) ne verbum alligetis,neque occultetis legationem nostram : quoniam, dicente Apostolo: *Nec verbum Dei est alligatum, nec veritas ullo pacto poterit occultari* (*I Tim.* II); quæ etiam dicit : *Nihil opertum quod non reveletur, et occultum, quod non sciatur* (*Luc.* XII). Si autem talentum acceptum in terra abscondere extremæ damnationis est, quanta pœna mulctandus est,qui alterius talentum volentis hoc ad lucrum Domini sui multiplicare, tollit, et abscondit, vel etiam fraudare non pavescit? Porro de talenti acceptione nullam poteris omnino excusationem prætendere.Accepisti quippe non minimum talenti donum, etiam et antequam ad Cæsareas infulas pervenires, familiaritatis scilicet locum apud Augustum, et impetrandi quod volebas, facillimam gratiam. Si ergo nihil ei pro ecclesiæ proprio rectore

desolatæ detrimentis locutus es, nihil pro his, qui pro fratre et pro coepiscopo nostro Ignatio patriarcha abjecti, vel exsiliati, aut oppressi sunt, pie suadere curasti, pro talenti retentione profecto posituras es rationem. Habens igitur magnificentia tua obtinendi penes Augustum talentum ea, quæ postulant damnationem, pro retento talento timeat, si [*forte*, nisi, HARD.] cum valet apud eum pro reddendo priori Ecclesiæ Constantinopolitanæ præsule, vel pro perdendis nimis oppressis instanter intervenit. Præcipue cum donante divina gratia sublimas vestra non solum impetrandi quod vult apud Augustum munus assecuta sit, verum etiam per Cæsaream excellentiam, quam adepta est, ipse valeat concedere quod rogat, et largiri quod sibi ad lucrum proficiat sempiternum. Tantum quippe ab unoquoque nostrum venturus judex exiget, quantum dedit. Quamobrem valde nobis, charissime, metuendum est, et omnibus modis formidandum, quod Sapientia terribiliter mundi principes admonens: *Discite*, inquit, *judices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est potestas a Domino vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis: horrende, et cito apparebit vobis, quoniam, judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI). Quas voces sedulo tractans et mente revolvens pietas tua paveat, o Cæsar: quoniam secundum Apostolum, *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (*Hebr.* V); et idcirco consilium nostrum audi, et quæ contra fratrem et comministrum nostrum Ignatium, vel adversus complices ejus, vel communicatores egisse te recolis, celeri stude satisfactione corrigere, et quæ per te destructa sunt, indifferenti cura pristino statui reddere: quæ cuncta, Domino auxiliante, facile (sicut credimus) adimplebis, si tranquillitas tua in susceptione et auditione missorum sancti Petri debitum honoris officium exhibuerit. *Testis autem mihi est Deus, quomodo vos cupiam in visceribus Christi* (*Philipp.* I), et hoc ipsum idcirco magnopere postulem, ut et ministerium meum adimpleam, et Ecclesiæ status, et ordo reformetur, et gloria magnificentiæ vestræ, præstante Domino, de corruptibili felicitate ad incorruptam, a mortali vita ad immortalem, et a culmine terreno ad cœleste fastigium, et a temporali atque cito defluenti claritate ad perennem et semper manentem beatitudinem perducatur, et divina visione cum sanctis omnibus et electis angelis perfruatur. Data Idibus Novembris, indictione decima quinta.

—

CI.

AD IGNATIUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM.

(Anno 866).

Certiorem Ignatium facit de omnibus quæ in ejus causa a reditu legatorum Zachariæ et Rhadoaldi acta fuerunt, et qualiter Photius fuerit in concilio depositus et anathematizatus cum suis sectatoribus: ipse vero una cum suis restitutus.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo ac sanctissimo fratri et comministro nostro IGNATIO patriarcha Constantinopolitano.

Dici non potest, frater charissime, quantis mœroribus, vel quantis anxietatibus ob immensitatem tribulationum, et persecutionum in vos illatarum afficiamur, quantisque nos laboribus, et certaminibus fraterna dilectione provocati, jugiter ac indesinenter immisceamur. Nimirum qui et causam vestram reputamus, et onera totius Ecclesiæ bajulamus. Etenim considerato ministerio nostro, quod divinitus per beatum Petrum apostolum ad nos usque derivatum suscepimus, non est pro fratribus nostris silendi facultas, quibus major et honor et onus cunctis Christianæ pietatis, et ecclesiarum correctionis inesse debere sollicitudo dignoscitur. Sustinemus quippe cunctorum qui premuntur gravamina, quin potius sustinet in nobis hæc sanctus Petrus apostolus, qui in omnibus (ut confidimus) administrationis suæ protegit ac tuetur hæredes. Quæ vero de vobis sedis apostolicæ auctoritatem habentes, ac privilegia ipsius vindicantes decrevimus, dilectioni vestræ his intimamus affatibus: quoniam apud nos hoc semper fuistis, quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse : non quod ex voluntate hominum putamini non esse. Igitur, postquam legati nostri (Rhadoaldus scilicet et Zacharias dudum episcopi) quos Constantinopolim pro inquirenda solummodo causa remotionis vestræ a sede Constantinopolitana, inter illa, quæ jussu nostro pro sacris imaginibus erant agenda, miseramus, reversi sunt : et tam eorum relatione, quam scriptis per Leonem imperialem a secretis nobis delatis, comperto, quod ipsi etiam sententiam contra vos dederint, tanta sumus mœstitia, tantoque cruciatu mentis attriti, quanto contraria gesserunt omnibus, quæ sibi fuerant imperata : quantoque per eos visa sunt stabiliri, quæ credebamus penitus exinaniri : quantum etiam subreptum est, atque persuasum omnibus, nos in talibus præstitisse consensum. Quapropter dum apud nos imperatoris missus (id est Leo) adesset, convocata tota, quæ apud nos Ecclesia est, professi sumus coram ipso, sicut et profitemur, pro dejectione vestra et confirmatione Photii nunquam misisse, nunquam missuros esse ; et in depositione vestra, vel promotione Photii nunquam consensisse, nunquam consensuros esse. Et hæc sæpius dicta, et palam annuntiata, atque in apostolatus nostri epistolis taliter inserta, tam excellentissimo impe-

ratori Michaeli, quam Photio destinatis præfato Leoni a secretis decretis deferenda tradidimus.

Deinde vero qualiter ab Ecclesia Christi, cui divina ordinatione præsumus,non habente maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi,hanc sinistram procul faceremus suspicionem (ne videlicet in hac saltem tenuis subsannandi oriretur occasio) cogitare cœpimus, et mente revolvere. Tunc convocato multarum provinciarum occidentalium regionum sanctissimorum episcoporum cœtu, et collecta sancta synodo in Ecclesia Dei,in qua beatus Petrus rejacet : primum quidem (decernente nobiscum sancta synodo) Zacharias depositionis et excommunicationis sententiam pertulit : Rhadoaldi comparis videlicet sui judicio propter absentiam protelato, (*a*) quod tamen se similiter deponens,et communione privatus, et ipse non in finem evasit. Præterea deposuimus Photium, imo Deus deposuit eum,tanquam neophytum et pervasorem, atque adulterum,et omni sacerdotali honore, seu clericatus officio, necnon et patriarchatus nomine prorsus exuimus : et si post notitiam hujus nostræ sanctionis in Constantinopolitano throno præsedit, aut vobis ad recipiendam Ecclesiam impedivit,vel si ausus fuit de ministerio sacro quidquam more sacerdotis contingere, communione et loco satisfactionis omnino privavimus, et una cum communicatoribus et fautoribus suis anathematizavimus pariter et Gregorium,qui Syracusanæ Ecclesiæ, Deo contempto, præest, eo quod a vestra se communione sequestraverit,et Photium irregulariter ordinaverit, et post dispositionem sacrum ministerium tetigerit, sancivimus, atque statuimus omni sacerdotali gradu fore privatum : ita ut si postea præsumpsit in sacro officio more sacerdotis ministrare, anathema sit. Et si contra vos turbas excitavit (vel excitaverit), vel a vestra communione fideles averterit, anathema sit : et omnes communicantes ei ab Ecclesia abjiciantur : sed et ipsi anathema sint.Eos vero, quos Photius ordinavit,quoniam manifestum est eos in omnibus consecratori suo communicasse, omni clericatus officio dispoliavimus.Vos autem auctoritate summi judicis Domini nostri Jesu Christi promulgavimus nunquam fuisse, nec esse depositum, vel anathematizatum, tanquam qui ab imperiali potentia sis absque ulla canonica auctoritate tua pulsus Ecclesia,et tanquam qui ab obligatis nullo possis haberi vinculo colligatus : et ab eis, qui nullam te judicandi potestatem, vel ab apostolica sede auctoritatem habuerint,nullum tui honoris discrimen pati debueris.Itaque vos omni vinculo anathematis per potestatem divina voce beatissimo Petro collatam, et per auctoritatem sacrorum canonum remoto, pristinæ dignitati, sedi, gradui, patriarchio,ac pristinis et pontificalibus infulis, atque officiis restituimus,et confirmavimus : ita ut quicunque in omnibus huic decreto non obedisset, vel se a vestra communione separasset, vel ulterius contra vos aliquod judicium absque sedis apostolicæ consensu protulisset: si quidem clericus esset,ab omni clericatus officio coram Deo et hominibus foret alienus;si vero laicus exstitisset ille,qui (quisquis esset) constitutioni nostræ contraire tentasset,et vos sedem et omnem pristinam dignitatem recipere non permisisset,vel si post receptam denuo vos impellere tentasset, vel per sermonem vestrum [*leg.* vobis] aliquam molestiam irrogasset,omni benedictione paterna privaretur, et maledictione Chanam filii Cham, qui verecundiam patris non cooperuit, sed irrisit, mulctaretur, et cum parricidis æterna pœna (Domino judicante) percelleretur, et nexibus anathematis nonnisi resipiscens penitus erueretur. Eos autem episcopos, seu cujuslibet ordinis clericos, qui post nec dicendam depositionem vestram in exsilio relegati,vel ministerio,aut gradu cessati, ac privati sunt, statuimus, ut exsilio dissoluto proprias ecclesias, atque gradus recipiant: ita ut, si quisquam huic decreto nostro contraire præsumpsit,et ut ecclesias,vel gradus resumant,impedivit, vel impedierit, quousque obtemperet, anathema sit. De his autem, qui ex horum catalogo forte ab aliis criminarentur, decrevimus eos antea quidem proprias ecclesias, et gradum recipere : non autem nisi ab apostolicæ sedis Romano pontifice judicari.Sed si qua præter regulam egisse forte dicerentur, nostro eos decreto judicandos reservari statuimus,juxta quod sacri præcipiunt canones. Hæ sunt, frater charissime, quæ in superius memorata veneranda synodo una cum fratribus et consacerdotibus nostris diversarum provinciarum occidentalium,secuti antecessorum nostrorum auctoritatem egimus,et statuimus.Quæ idcirco beatitudini vestræ nota facere curavimus, ut scire valeat, quæ nostra sit super negotio vestræ fraternitatis intentio, et nemo possit aliter vobis de his suadere quæ gesta sunt.

Nunc autem hortamur, ut spe, quæ in Deo est, erecti,ne deficiatis in tribulationibus, scientes *quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem spes autem non confundit* (*Rom.* v). Nam et nos licet longe positi, ubi pravitatem persequentium vos agnovimus, fraterna sollicitudine nos urente non modico flagramus incendio, licet inter Ecclesias Dei, quæ in unum Christi thalamum undique referuntur, nihil longe sit,nihil habeatur extraneum. Unde, frater charissime, consolatio vestra ex Deo sit, qui dat semper virtutem confidentibus in eum. Habetis exempla sanctorum, qui olim seminantes in lacrymis,in gaudio messuri sunt in futuro. Non amat Dominus noster servum nisi experimentis probatum ; Christianas animas rerum palæstra semper exercet. Nostri nobis bella moverunt (si tamen nostri dicendi sunt), quos ad inimicum transivisse fœdere rupto sentimus. Nulla est tribulatio temporalis,si sit ante oculos præmium sempiternum, cui nihil convenit anteponi. Clamat noster hymnidicus:Si adversus se castra consistant,

(*a*) Locus corruptus.

spe illuminationis ejus sibi penitus non timendum (*Psal.* XXVI).Rogamus ergo quidquid inimicus intulit, ferre patienter. Indixit injurias, indixit contumelias, indixit exsilia; ille in suis hoc passus est, qui pertulisse pro nobis sputa, flagella,mortemque dignoscitur.Patientiæ vobis,atque constantiæ forma Stephanus primus Christi martyr existat. Sed longum est ire per singulos, qui vitam vel moriendo, vel confitendo mercati sunt. Habetis tamen vos,qui Ecclesia estis expulsi,beatæ recordationis Athanasii Alexandrinæ Ecclesiæ prudentissimi sacerdotis exemplum : cui non consolationis sit illius tolerantia,cui non spem faciat ejus exspectata[inexspectata] reversio? Ejicítur Ario persequente, sed revocatur Domino prosequente. Passus est carcerem, passus est angustias; nec mirum,si vir apostolicus ea passus est, quibus Apostolus se gloriatur exercitum : fugatus illinc in nostris partibus roboratus est, et in se hac sede requiem communionis invenit,a qua semper catholicis subvenítur. Verumtamen sensit in tribulationibus lassitudinem,qui factus est in persecutione confessor : unde non debetis temporalem vobis illatam dejectionem dolere, quia sicut credimus)Deo non cecidistis.Photium ergo ne timeamus, ne a regione [*forte*,regno]vivorum dejiciamur : illud est nostrum, illud æternum.Nostrum enim non est unde transitur; sed illa vere nostra sunt quæ spes certissima pollicetur.Sunt autem, dicente Apostolo, *quæ oculos non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se* (*I Cor.*II). Data Idibus Novembris, indictione XV.

CII.

AD THEODORAM AUGUSTAM.

(Anno 866.)

Hortatur Augustam, quam multis laudibus ornat, ad patientiam, et ad collocandum in Deo spem suam. Ostendit se in Ignatii restitutione omnem suam ponere operam.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimæ filiæ THEODORÆ, imperatori quondam terreno, nunc autem spiritualiter cœlesti conjunctæ.

Virtutes vestras, quibus præditæ antecedentium vos Augustarum nulli diebus istis apparuistis secundæ, quibus etiam,et præcipue in causa pietatis, earum nemini estis inferiores inventæ, subtiliter atque sollicite recolentes, Deo cunctipotenti, cujus munere has percepistis, grates immensas referre,et ejus sancto nomini benedicere non cessamus,atque piorum studiorum vestrorum præconia pro imitatione audientium inter fidelium colloquia jugiter enarramus. Tu quippe etiam principe marito tuo contra leges Ecclesiæ sentiente superstite, sana sapere et recta defendere non formidasti.Tu,inquam,in orthodoxa religione perseverans,unicum filium non terreni patris,sed superœlestis iter aggredi docuisti. Quis autem morum insignia,quis correctionum tuarum facta fortia narrare sufficiat? Cum enim sola principabaris, Domino cooperante, non solum ab hoste visibili, verum etiam nullo mare infirmior Ecclesiam Domini ab hoste invisibili (hoc est ab errore)texisti : et perversorum dogmatum nebulam, tanquam solis radius ab Ecclesiæ facie depulisti. Senserunt in te hæretici virile pectus,et mirantes insuperabile robur, quod femina fueris ambiguum habuerunt. Cur hoc,nisi quia sedis apostolicæ dogmata sequebaris, et Constantinopolitani monita pontificis,cui Romana Ecclesia communicabat, amplectebaris? Sic enim devoti filii paternum venerantur affectum : et in nullo prorsus ingrati circa parentes suos consentiunt inveniri ; sed inimici quid agunt? apprehendunt, ejiciunt,et quid plura? omni dehonestati subjiciunt. Sed exempla patientiæ,quibus ista contemnere : et illa, quæ sunt æterni imperii, docearis appetere, o Christianissima filia, satis abundant. Nam legifer Moyses et Aaron sanctus Domini murmur et duras contumelias, atque seditionem patiuntur ab iis,quos velut filios in sinu portabat, et adeo diligebat, ut Domino volenti eos perdere,et facere eum in gentem magnam,diceret : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti* (*Exod.* XXXII). Sic beatus Samuel ab his quibuo multa præstiterat beneficia,de principatu propellitur; sic propheta Zacharias ab eo, cui pater suus regnum vindicaverat, et ipse viam salutis ostendebat,lapidibus impetitur.Sed quid per hominum genus diutius immoremur? quando ipse mediator Dei et hominum Dominus noster Jesus Christus ab his,quibus cæcos illuminavit,languidos plurimos pristinæ sanitati restituit, mortuos excitavit, probra, sputa, flagella et mortem crucis sustinuit? Devenimus quippe,heu! in ea quæ beatus apostolus prædixit periculosa tempora Paulus,cum scriberet: *Et in novissimis temporibus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes, cupidi* (*II Tim.* III); ubi et interposuit : *Parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pacc.* Imo devenimus in eos lugendos et deplorandos dies, in quibus proh dolor! juxta quod et Dominus in Evangelio dicit : *Tradet frater fratrem in mortem, et insurgent filii in parentes* (*Marc.* XIII). Sed hæc facientes et sævientes hostes quid agunt? dum cupiunt abesse, prosunt, et cum lædere moliuntur, plurimum præstant; privant tyrrannice regno temporali, sed donant (licet nolendo) imperium sempiternum; auferunt terrenam gloriam,sed conferunt cœlestem beatitudinem. Commulatur enim eorum argumentum iniquitatis in artificium æquitatis : et arma perniciei seu tyrannidis versa sunt in instrumenta salutis et pietatis. Quoniam quantumlibet sæviant æmuli, quantumlibet hostes insaniant,*diligentibus* tamen *Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII) : nimirum quia *non est sapientia, non est scientia,non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI).Ergo,charissima filia,confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus,et in adversitatibus unicum Domini solum adite refugium:statuentes etiam

pedes vestros in petra,super quam Dominus principaliter suam construere delegit Ecclesiam : et ab ejus communionis soliditate,sicut nec hactenus,ita quoque usque in finem nullis procellæ alienamini flatibus. Nos vero,qui ejusdem immeriti sumus vicarii, tam circa statum Ecclesiæ Constantinopolitanæ,quamque circa recuperationem fratris et coepiscopi nostri Ignatii, juxta ministerium nobis creditum, segnes inveniri vel desides nullo pacto confidite. Quomodo autem erga vos, vel erga dilectas filias vestras agatur, vel si forte qui cordi est, per præsentes missos nostros, quibus suffragari vos in opportunitatibus petimus,fida mente nobis,et indubitabili conscientia, quæsumus intimate. Data Idibus Novembris, indictione XV.

CII.

AD EUDOXIAM AUGUSTAM.

(Anno 865).

Rogat ut agat partes Ignatii apud imperatorem.

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei,dilectæ filiæ Eudoxiæ gloriosæ [*in cod.Vatic. deest* gloriosæ] Augustæ.

Nihil in regia sublimitate justitiæ dilectione decentius, nihil in infirmitate muliebri fortudine mentis honestius. Quid autem laudabilius vel robustius, quam si femina virile pectus induat,et adhuc in causa pietatis virorum studia superet? Qua de re principio litteris alloquentes,hortamur,et vehementissime deprecamur, ut Deum omnipotentem affectu, quo decet,et cultu quo convenit, diligatis : et præcipua sollicitudine circa statum Ecclesiæ ipsius invigiletis: ita ut apud dilectissimum filium nostrum a Deo protectum Michaelem tranquillissimum imperatorem conjugem vestrum summa instantia impetrare procuretis,et femineæ infirmitatis oblitæ viriliter agere studeatis : quatenus invasore Constantinopolitanæ Ecclesiæ, seu mœcho, atque neophyto Photio remoto, fratri et coepiscopo nostro Ignatio eadem ecclesia permissione ipsius,atque favore reddatur ; quoniam contra omnem regulam, et præter omnem ordinem,illa præfatus reverendus antistes dispoliatus, atque privatus est. Verum adeo imperium vestrum pro hac eadem re noverit, præfato a Deo conservando Augusto desiderabilissimo filio nostro missos,et litteras apostolatus nostri competibiles destinasse; quibus vestram quoque pietatem sociantes petimus,ut tantum legationem eorum adjuvetis, et eis in omnibus suffragemini, quantum beatum Petrum apostolum et cœlestis regni clavigerum culmini vestro semper adesse benignum medullitus exoptatis. Non enim frustra nobilitatem vestram Christus Deus noster imperii conjugis vestri fecit consortem, nec posuit vos nisi ut Ecclesiam ejus adjuvetis, erga statum ejus vigiletis, famulis ipsius auxiliemini,mœrentes consolemini,oppressos et elisos erigatis, pulsos et exsiliatos revocetis, et cuncta depravata,confusa,inordinata,atque destructa, vigori pristino reformetis : verum etiam, ut tanquam fortis virago et insignis adjutrix viro vestro ad multa intendenti, et innumera disponenti, adjutorium impendatis : et ne inter tot varietates a justitiæ culmine decidat, manum solatii quodammodo porrigatis.Sic Dominus in principio conditionis humanæ protoplasto mulieris adjutorium sibi simile tribuit (*Gen.* I), ne videlicet vir solitarius alterius forte consilio destitutus,facilius ad ima decideret, difficiliusque post casum resurgeret, juxta quod scriptum est : *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem* (*Eccle*, IV) : quamvis ipsi dispensationem divinam in contrarium verterint,et concessa liberi arbitrii dignitate,seu ditissima potestate petulanter abusi sint.Porro si vos nunc cooperanti collegæ vestro prospera vel amica Ecclesiæ suggeritis: si,ut mœchum repellat,et legitimum Ecclesiæ Constantinopolitanæ reddat,suadetis,si penes eum, ut ea,quæ in plurimis occupatus pariter,et intentus minus recte patravit, in priorem ordinem reducat obtinetis : quid vos, nisi salutiferum ejus dicemus adjutorium, et laudabile vestrum prædicabimus contubernium? Nam (nobis credite) non minus his temporibus venerabilis Ignatii repulsio,seu temeratoris Photii promotio imperio vestro, quam Evæ suggestio nocuit. At vero si econtra, salubri vestro nomine [*forte*, molimine], seu certamine, quæ callide sunt suasa,vel charissimo filio nostro suggesta, dissolvantur, et quæ nos pro salute communi decrevimus, adimpleantur, profecto in imperii vestri orbe quasi per alteram Evam(id est per obedientem) cuncta quæ destructa sunt, restaurabuntur. Ille namque priscus serpens et antiquus adversarius non cessat Ecclesiam Domini,quæ de utroque sexu componitur, diversis versare machinamentis. Unde et Apostolus ne sensus quorumdam(*a*)corrumperentur a castitate Christi,memor seductiouis Evæ valide formidabat. Quamobrem necesse est ut cum forte calcaneo vestro (id est perfectioni bonæ operationis vestræ), per vasa sua, id est per malos operarios tentaverit insidiari, caput ejus protinus conteratis, id est in ipso mox initio pravæ suggestionis deprehensas serpentis, et ministrorum ejus venenosas suasiones quasi conculcantes,ad nihilum redigatis. In calcaneo namque finis est corporis, quo non inconvenienter consummata virtus exprimitur. Has quippe inimicitias posuit Deus inter serpentem et mulierem, videlicet ut ipse coluber ab ea,quam deceperat, non spatio quolibet interposito, sed confestim in ipso virulentæ suggestionis articulo conteratur : nec ei diutinus venena sua spargendi aditus concedatur : quæ velut cancer serpant, et ad cor usque penetrando perveniant.Quæ autem sint, quæ dicimus,præstantissima sapientia vestra (credimus) jam advertit.Nolumus enim vos a quoquam decipi :

(*a*) Id est, *corruerent*. Sed suspicio est deesse aliquid : quod palam fiet ex secundæ ad Corinthios capite undecimo : quem locum vide.

nolumus vos a charitate Christi quibuslibet subverti versutiis : nolumus quorum vis vipereis adversus Ecclesiam Dei commoveri suasi onibus, qui magis volumus et optamus, et pium fastigium vestrum enixius imploramus, ut vos in integritate fidei, et in trámite rectitudinis populo Dei, qui est Ecclesia, more sanctæ illius Esther reginæ perseverantes, virum quoque vestrum circa Dei timorem, amoremque succendatis : et erga sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ recuperationem, prudenter inflammetis : quatenus a Photii mœchi, neophyti, ac invasoris, ac per hoc damnati, et anathematizati, communione se muniens, quidquid in fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium molestiæ intulit, et sibi commissam regere permittens Ecclesiam corrigat : salutique suæ, atque imperii sui consulat, et Dominum sibi, suisque omnibus propitium faciat. Quod vos cum virtute summi regis, in cujus manu corda regum sunt, obtinere posse procul dubio credimus : et excusationem de impossibilitate nullam habere (si voluntas affuerit) omnimodis arbitramur. *Siquidem per mulierem fidelem*, secundum Apostolum, *etiam infidelis vir salvabitur* (*I Cor.* VII). Quando Photius [*leg.* Quando potius, *etc.* dignoscitur?] per fidelissimam feminam vir potuerit salvari, qui, Deo gratias, non solum infidelis non est, absit, verum etiam Christianissimus et religiosissimus esse dignoscitur.

Deponite ergo cunctam muliebrem infirmitatem, et ergo eum, ea, quæ pia sunt, quæ sanctæ Ecclesiæ congruunt, impetrare satagite : nec deficiatis, neque tardetis, ut nostris obediat precibus, nostras exaudiat tanquam spiritalis patris sui petitiones, indesinentibus apud eum suggestionibus, atque supplicationibus agere ; necnon et quasi virili fortitudine circumcinctæ in constantia continua decertare. Quoniam (ut prætulimus) non vos Dominus frustra imperii conjugis vestri fecit esse consortem, et nisi pro populo ejus legitime laboraveritis, in districto divino judicio districtam procul dubio dabitis rationem. Aggredimini ergo, et induimini fortitudine, et pro statu, ac ordine Ecclesiæ Dei et erectione afflictorum, et oppressorum certamen assumite, imitantes videlicet superius memoratam beatam reginam Esther, quæ pro populo Dei etiam in mortem dedit animam suam, et quousque hunc liberavit [*forte*, liberavit a ruina. HARD.], anima ferias nullas suo certamini tribuit : cui Mardochæus ille laudabilis patruus ejus (quemadmodum nos nunc vobis) inter cætera ita suggesserat : *Ne putes*, inquiens, *quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Judæis : Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Judæi, et tu et domus patris tui peribitis. Et quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tempore tali parareris?* (*Esth.* IV.) Quantum autem piæ imperatrices, quarum vos imitatrices esse volumus, sedi beati principis apostolorum Petri devotæ fuerint : et hanc præ cunctis sedibus honoraverint, qualiterque sublimissimos principes circa reverentiam Romani pontificis inflammaverint, ex epistola Gallæ Placidiæ, quam Theodosio Augusto scripsit, potestis agnoscere : quam idcirco solam commemoramus, quoniam epistolarem excedere locutionem vitamus. Ait ergo : Non modicum detrimentum est ex his quæ gesta sunt, ut fides, quæ tantis temporibus regulariter custodita est, a sacratissimo patre nostro Constantino, qui primus in imperio [*leg.* splenduit Christianus nuper, *etc.* HARD.] splenduit, Christianitas nuper turbata sit. Ad arbitrium unius hominis es, qui in synodo Ephesinæ civitatis odium et contentiones potius exercuisse narratur, militum præsentia, et metu appetens Constantinopolitanæ civitatis episcopum Flavianum : eo quod libellum ad apostolicam sedem emiserit, et ad omnes episcopos harum partium per eos, qui directi fuerant in concilio a reverendissimo episcopo Romæ, qui secundum diffinitiones Nicæni concilii consueti sunt interesse, domine sacratissime fili venerabilis imperator. Hac itaque gratia, tua mansuetudo tantis turbis resistens, veritatem immaculatam fidei catholicæ religionis salvari præcipiat, ut secundum formam et diffinitionem apostolicæ sedis, quam etiam nos tanquam præcellentem similiter veneramur, in statu sacerdotii ille, remanente per omnia Flaviano, ad concilii et apostolicæ sedis judicium transmittatur ; in qua primus ille, qui cœlestes claves dignus fuit accipere, principatum episcopatus ordinavit : quando scilicet decet nos huic maximæ civitati, quæ domina omnium est, tuam in omnibus reverentiam conservare. Diligentius autem etiam in hoc providete, ne quod priscis temporibus nostra generatio custodivit, sub nobis imminui videatur, et per præsens exemplum similia gerantur [schismata generentur] in episcopos, ac sanctas ecclesias. Videte igitur, charissima filia, qualiter hæc Dei cultrix Augusta, ut priscam fidem servet, satagat : et quod Constantinopolitanus episcopus sæcularium metu fuerit appetitus, doleat : qualiter eum libellum ad sedem apostolicam misisse commemoret ; qualiter sedem apostolicam, tanquam præcellentem veneretur : qualiter secundum formam et diffinitionem ejus Flavianus submitti ad judicium sedis ipsius (quemadmodum et nos de Ignatio et Photio statuimus) hortetur : qualiter in sede Romana illum primum qui cœlestes claves dignus fuit accipere, principatum episcopatus ordinasse recolat : qualiter etiam diligenter providendum esse censeat, ne quod priscis temporibus custoditum fuerat, imminui videatur, et per præsens exemplum similia gerantur in episcopos, ac sanctas Ecclesias. Quæ cuncta, filia charissima, diligenter attendentes, et per hujus piæ Augustæ vestigia gradientes, hujusmodi reverentiam, hujusmodi cultum circa sedem beati Petri, et exhibete, et exhiberi a Christianissimo conjuge vestro strenue suadete. Quatenus imperium, quod temporaliter assecutæ estis, cum illis Dei cultricibus, et honorem sancti Petri sedi exhibentibus imperatricibus, percipiatis æternum, et gloriam incorruptibilem eodem intercedente apostolorum eximio, cui vos

in legatis, et in legatione ipsius reverentiam per obedientiam impendere cohortamur, in cœlesti palatio incorruptibilem et immarcessibilem largiente rege regum Domino consequamini. Data Idibus Novembris, indictione xv.

CIV.

AD CLERUM CONSTANTINOPOLITANUM.

(Anno 866.)

Percenset omnia quæ a die quo Constantinopolim missi sunt Rhadoaldus et Zacharias, fuerunt acta. Item commemorat concilii Romani decreta, repetitque omnia quæ in superiori epistola dicta sunt de promotione Photii, et de Gregorio Syracusano, qui Photium consecravit, et de epistola imperatoris, quam comburi jubet.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis metropolitanis, et episcopis Constantinopolitanæ sedi subjacentibus, atque universo venerabili clero Constantinopolitanorum Ecclesiæ.

Ea quæ nuper apud Constantinopolim gesta sunt hactenusque geruntur, sanctitatem vestram non credimus ignorare ; sed qualiter zelo zelati pro domo Domini, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis, more decessorum meorum sollicitudinem omnium Ecclesiarum Dei circumferentes, nos de his egerimus vel disposuerimus, vobis non tam breviter quam veraciter intimamus. Igitur postquam audivimus quod quidam vestrum invidiæ facibus accensi, et superbiæ fastu arroganter elati, more Judæorum contra pastorem et magistrum suum, fratrem videlicet comministrum nostrum Ignatium, Ecclesiæ præfatæ sanctissimum patriarcham, insurrexerint : quidam vero instar viperarum ac parricidarum parentem proprium, eumdem scilicet beatissimum virum, ferinis dentibus impetierint, et ab Ecclesia ipsa, cui jure præsidebat, tyrannidis suæ cornu penitus removerint, acerrimis doloribus angustiati atque mœroribus vehementibus cruciati, cœpimus qualiter erga eum viscera benignitatis, utpote circa fratrem, ostenderemus, sedula meditatione tractare. Scriptum quippe est : *Qui viderit fratrem necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo ?* (*I Joan.* III.) Maxime cum schisma in jam dicta urbe, et in adjacentibus sibi civitatibus, propter quemdam Photium, ex foro et sæculari militia et habitu atque a palatinis ædibus eductum, ac subito tonsuratum, et in eadem ecclesia contra sacros canones promotum, non modicum audiremus obortum. Aliis videlicet Photii promotionem defendentibus, aliis autem hanc, tanquam inconvicto et superstite Ignatio factam, merito detestantibus.

Sed dum quod hinc a nobis fieri deberet, vel qualiter tanti rumoris certitudinem nosse possemus, incessanter et anxie cogitaremus, ecce repente cum epistola regia quidam episcoporum, quorum unus erat Gangrensium metropolitanus, cum Arsa, viro glorioso spathario, Augustalem ferentes legationem, ad sedem apostolicam pervenerunt, accusationes quasdam in scriptis adversus jam fatum consacerdotem nostrum Ignatium, et in verbis excusationes pro Photio deferentes, et ut a sede apostolica missos daremus, qui scandala illa sedarent et schismata dissiparent, magnopere postulantes. Quibus rite susceptis, et legationibus injunctæ sibi seu epistolæ delatæ imperialis inspecto tenore, mœstitiam quam prius rumor solus in corde nostro pepererat, casuum evidenter ostensorum certior confestim relatio multiplicavit. (*a*) Quapropter quia, sicut divinitus inspirata sapientia vestra novit, cunctarum Christi ovium cura constringimur, cum vices illius per abundantiam cœlestis gratiæ geramus, cui specialiter a Deo dicitur : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI) ; et rursus : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII), non potuimus dissimulare aut negligere quominus visitaremus oves dispersas et dissipatas, vel quominus confirmaremus in fide et moribus bonis fratres nostros et proximos.

Et quia inter cætera quæ de schismate jam fatæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ, hi qui missi fuerant testabantur, maxime eamdem Ecclesiam ab Iconomachis, recidivam contemptionem excitantibus, asserebant vexari, Christumque per singula conventicula blasphemari : idcirco duos episcopos qui nobiscum erant, quique ad hoc tantum perficiendum opus idonei nobis esse videbantur, Rhadoaldum scilicet et Zachariam, una cum Ecclesia quæ apud nos est, datis litteris tam ad Augustum quam ad Photium scriptis, Constantinopolim, idem nimirum piaculum exsecrantes, e latere nostro direximus, nihil eis penitus injungentes nisi ut tantummodo causas Ignatii patriarchæ, qui antea de Ecclesia pulsus quam ab aliquo accusatus exstiterat, diligenter investigarent, et sedi apostolicæ plenis et veracibus referrent indiciis, quemadmodum Job beatissimus edocens : *Causam*, inquit, *quam nesciebam, diligentissime investigabam* (*Job* XXIX) : Photii vero consecrationem non solum minime interim admittendam esse credidimus, verum etiam ipsis legatis nostris, ne cum illo nisi quæ cum laico usque ad notitiam nostram communicarent, frequenti ac omnimoda jussione præcepimus. Quoniam sicut magniloquus Leo papa scribens ad sanctum Flavianum dicit antistitem (*epist.* 10) : Nos qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium diffinire, priusquam universa quæ gesta sunt veraciter audiamus. Tantum eis de venerabilibus Domini nostri Jesu Christi, ejusdemque genitricis semper virginis Mariæ, ac sanctorum ipsius imaginibus, quidquid quæstio afferret, juste ac pie diffinire licentiam dantes, quæ cuncta ita esse ut dicimus litteræ nostræ, quas Augustæ mansuetudini necnon et Photio per eosdem missos nostros destinaveramus, si ita sunt apud vos quemadmodum a nobis fuere transmissæ, patenter poterunt indicare. Nam si nos

(*a*) Hic ingens lacinia ex ep. 1 Nicolai.

pro diffinienda controversia fratris nostri Ignatii tunc legatis nostris quidquam præcepimns,vel eum damnationi subjici decrevimus, ut quid nec sententiam diffinitivam suscipere, licet non digne nec legitime decertaverint, attamen quantumcunque et quomodocunque contradixisse, ac ne deponeretur restitisse,probantur ; siquidem,ut cætera nunc commemorare differamus, in epistola imperiali didicimus quomodo illi non solum consensum noluerunt ipsius præbere damnationi, verum etiam qualiter ne tantum piaculum committeretur interdixerunt : cui profecto et ipsi minime contradicerent, si ut depositioni ejus interessent,nos sibi mandatum tribuisse recolerent; et charissimus filius noster pius Augustus, nisi illos præter jussionem nostram egisse claresceret,eos et nobis commendare et super hujuscemodi noxa transgressionis excusare nullo modo studeret. Jam vero si dicitis quamobrem illos deposuerimus, cum eos in damnatione sæpe fati patriarchæ consentire noluisse tam sciatis manifeste,respondemus quia nihil illis bonum profuit inchoasse et in bonitate minime perdurasse, quoniam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Quid enim proderit alicui pro veritate primum quidem impetum dare, et post paululum aut suasionibus, aut terroribus, aut aliquolibet vitio a veritatis tramite declinare? Porro si Vitalis et Misenus a beato Felice papa honore pariter et communione privati sunt, qui olim ad talia, quemadmodum isti nunc, vel impulsi vel dilapsi sunt; quanto potius isti pari debent ultioni succumbere,qui parem quidem prævaricationem, sed non pares, imo Constantinopoli nullas pœnas, sicut illi quondam perpessi sunt? Porro si nos ideo missos nostros destinassemus, ut vice nostra Ignatii essent negotii judices, quemadmodum imperatoria perhibebat epistola per Leonem a secretis missa, quæ latrocinale illud concilium,in quo Ignatius deponi putatus est,judicium nostrum fuisse non veraciter asserebat : profecto ante totius litis motionem atque omnis initium controversiæ, sedem ei propriam restitui procul dubio censuissemus, ut legitime nimirum reciperet quod nulla lege dictante perdiderat ; atque per ecclesiasticum canonem resumeret quod illi potentia sæcularis ademerat, quatenus sic deinde sede propria necnon et omnibus suis ante receptis, viribusque resumptis,vestitus jam et armatus, cum accusatoribus suis certaminis campum et litigii conflictum posset arripere. Quod cum in mundanis negotiis legibus fieri censeatur, multo magis ut in ecclesiasticis atque divinis observaretur debuit prævideri.

Præterea quando præfatos missos a nobis direximus,epistolam quam eis mansuetissimo imperatori, sicut prætulimus, dandam tribuimus, in tribus voluminibus, uno eodemque tenore ac eisdem syllabis scribi præcepimus. Et unum quidem ex hic apud nos pro futuro testimonio retinuimus,suspecti videlicet jam de fraudanda epistola, quod postea probavimus. Aliud vero, ut præmissum est, jam memorato pio Augusto eis dedimus offerendum. Porro tertium eisdem legatis nostris præbuimus, injungentes ut hoc sibi ad instructionem suam tanquam speculum præ oculis jugiter habitum reservarent,et cum Constantinopoli conventus fieret sacerdotum, in quo a legatis nostris comminister noster Ignatius fuerat audiendus,si præfatus Augustus nollet ibidem sibi missum recitari epistolæ nostræ volumen, ipsi hoc quod illis apud se retinendum dederamus,quodque unius formæ per omnia cum cæteris duobus quorum jam mentionem fecimus, erat, in ipso conventu legerent et ad notitiam omnium vestrum quomodocunque perferrent. At illi pervenientes Constantinopolim,minis imperatoriæ potestatis,sicut ipsi postea fatebantur, deterriti,spretis monitis nostris, ac epistolis sibi a nobis coram tota Ecclesia nostra datis, imo postposito timore Dei, sicuti postea claruit, in contrarium vertere omnia quæ sibi fuerant imperata. Denique et cum Photio adultero, Ecclesiæ invasore atque neophyto, quod sibi multipliciter prohibitum fuerat, inter sacrosancta mysteria communicaverunt, et Ignatium virum senem et sanctum, ac per duodecim annos innocenter Ecclesiam Dei regentem, et nobiscum et vobiscum atque cum universali et orthodoxa Ecclesia communicantem, Constantinopolitanorum factioni perniciosissime concinentes, damnaverunt, et sacerdotalibus infulis exspoliatum ab Ecclesiæ regimine modis omnibus expulerunt. Quem non ita justificamus, ut nihil hunc reprehensione dignum admisisse dicamus,pro quo fortasse merito poterat, legitima discussione facta, quodlibet canonicæ jaculum pati sententiæ, cum scriptum in apostolicis litteris confiteamur, dicentes : *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III) ; et rursus : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). Sed ita volumus et ita decernimus istiusmodi pontificem digna pro factis recipere,ut sacerdotale decus penitus non vilescat,nec tam facile pontificalis apex terra tenus incurvetur. Ita, inquam, volumus, et ita decernimus hunc, imo quemcunque pontificem,justæ subdi sententiæ, ut non a sæcularibus quibuscunque judicetur, non tyrannice propellatur, non ante audientiam Ecclesia sua privetur, non ab inferioribus sed a majoris auctoritatis persona recti calculi sententiam consequatur.

Ita denique volumus et ita decernimus istius,imo vero cunctorum sacerdotum causas examinare culpasve punire, ut paternos terminos non transgrediamur, sacros canones non conculcemus, nec decretalia sedis apostolicæ constituta, quibus Ecclesia tota fulcitur atque munitur,quoquomodo violemus.

Ad extremum ita volumus et ita decernimus pontificem, qualiscunque sit, judicari, ut Ecclesiæ cui præest jura nulla temeritate, nulla præsumptione frangantur. Nullum quippe poterit Ecclesiæ jus dignum servari, si præsul ejus a quibuslibet vel quandolibet, et quomodolibet impetatur, et pro libito cujusque tanta facilitate pellatur. Quod cum ita

sit, non possumus interim fratrem nostrum Ignatium, qualiscunque sit, non inter sanctissimos et beatissimos patriarchas connumerare; qui licet apud vos si tot opprobriis, tot persecutionibus fatigatus, attamen non nisi qualis a decessoribus meis est habitus, creditus et veneratus, habetur, creditur et veneratur, nullo quippe nostro examine alicujus criminis reus, nullo est nostro speciali judicio repertus obnoxius, ac per hoc nulla est nostra sententia condemnandus, aut a nostris Ecclesiæque nostræ communione collegii sequestrandus, aut aliquibus nisi honorabilibus vocabulis appellandus; sed ad narrationis ordinem redeamus. Missi præterea nostri, tandem reversi, nihil aliud renuntiavere nisi depositum Ignatium et Photium in sede Constantinopolitana firmatum. Post duos vero dies legatus a nobis imperialis nomine Leo a secretis susceptus, duo volumina obtulit, quorum unum depositionis Ignatii gesta continebat, alterum autem de sanctis habebat imaginibus acta; per quæ videlicet cognovimus quia nec imperator epistolam nostram, qua fratrem et coepiscopum nostrum ad solam audientiam ante conspectum missorum nostrorum accersiri decreveramus, in depositione ipsius consacerdotis nostri, quæ prius, sicut putatur, facta est, ostendit : nec iidem missi nostri parilem, ejus ac per omnia consimilem, quam eis in episcoporum conventu recitare jusseramus, demonstrare curaverunt. Sed nec, quantum in eisdem voluminibus in Latinum sermonem ex Græco translatis reperitur, ordo legitimus, et a sanctis Patribus usitatus in lectione ipsius epistolæ exstitit observatus. Quamvis et in his quæ in conventu qui posterius pro sacris imaginibus collectus est, ex ea lecta sunt, nonnulla addita, multa mutata, plura subtracta reperiantur, et per omnia talis effecta sit ut aut nihil aut parum aliquid nos per eam de crebro dicti comministri nostri Ignatii disposuisse causa videremur. Quidquid enim de ipsius recessu vel præjudicio, quidquid de sententia non a Romano pontifice secundum morem in eum prolata, quidquid de violatis paternis diffinitionibus, quidquid de Photii scripseramus irregulari promotione, saltu quodam calliditatis trancendentibus [*f.* transcendentes], etiam sanctorum Patrum instituta, quæ sancti Spiritus afflatu sunt edita, ne ad concilii pervenirent notitiam, more suo falsidici transcenderunt, et cum divinitus attributa talenta fuerint, velut in quodam silentii sudario ligata sub terra penitus absconderunt, Quo comperto, moleste tulimus, et quid sine missis nostris actum fuerit confestim intelleximus, qui talia [*f.*, qui qualia] cum missis nostris perpetrata fuissent, patenter agnovimus. Aut enim justa fuerunt quæ misimus, sicque consequenter oportuit ea servari, aut si justæ putata non sunt, in quo justa non fuerint per aliud saltem scriptum exponi, et nobis referri, et summa ratione debuerunt patenter ostendi. In nullo tamen oportuit ea vel Ecclesiæ quæ apud vos est cognitione privari, vel aliqua falsitatis depravatione fraudari. Detulit præterea idem Leo imperialis legatus augustales litteras, deprecantes quatenus et in depositione Ignatii et in confirmatione Photii consensum præberemus et subscriberemus. At nos, divina docente gratia, dum idem adesset missus, convocata tota quæ apud nos est Ecclesia, decrevimus, et statuimus, atque professi sumus coram ipso et coram eadem sancta Ecclesia, sicuti et [*edit. Rom.*, est] nunc per eamdem ac per vos profitemur coram universali sancta Christi Ecclesia, pro dejectione Ignatii vel consecratione Photii nunquam misisse, nunquam missuros esse, et in depositione Ignatii et promotione Photii nunquam consensisse, nunquam consensuros esse. Ex his sæpius dictis et palam annuntiatis, atque in apostolatus nostri epistolis taliter insertis, et eidem Leoni a secretis tam imperatori quam Photio ad defendendum datis, hunc a nobis remisimus.

Igitur cum hæc gerebantur, nondum Rhadoaldus et Zacharias episcopi, quos, ut præmissum est, Constantinopolim miseramus, confessione propria vel synodali examine convicti erant, aut patenter ostensi quod ipsi deposuissent Ignatium, vel communicassent adultero Photio : quamvis hoc et illa concilia, quæ imminentibus illis Constantinopoli celebrata sunt, videlicet tam id quod adversus patriarcham Ignatium, quam id quod pro sacris imaginibus collectum est, patenter innuerint, et imperialis epistola clare denuntiaverit, atque præfatus Leo a secretis regius, his negantibus, in facie sæpissime atque constantissime coram nobis et primoribus Ecclesiæ nostræ jam dixerit. Sed procedente tempore, murmur multorum ab aliis [illis] partibus Romam venientium, quinimo persecutiones a fautoribus Photii commotas fugientium, sensim eosdem cœpit episcopos muneribus fuisse corruptos diffamare, et quod communicassent Photio, et deposuissent Ignatium, divulgare. Quo audito, nimio mœrore repleti, qualiter ab Ecclesia Christi, cui divina dignatione præsumus, non habente maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sinistram procul faceremus suspicionem, videlicet ne in hanc saltem tenuis subsannandi oriretur occasio, cogitare cœpimus et mente revolvere. Tunc convocato multarum provinciarum Occidentalium regionum sanctissimorum episcoporum cœtu, et collecta sancta synodo in Ecclesia Dei in qua beatus Petrus apostolorum princeps corpore redolet et virtutibus emicat, deinde propter frigidiorem locum in ecclesia Salvatoris quæ ab auctore appellatur Constantiniana et quæ prima in toto terrarum orbe constructa est; ibique recitatis omnibus scripturis de Græco sermone in Latinum conversis, tam videlicet nefanda synodo quæ per jam fatum Leonem a secretis apostolicæ sedi delata est, quam etiam imperiali epistola : in quibus omnibus existimata depositio Ignatii continebatur, et deductus in medium Zacharias tunc episcopus, quia Rhadoaldus propter absentiam haberi ad præsens non poterat, et discussus et diligenter examinatus, inventus est in depositione Ignatii et communione Photii omnino culpa-

bilis, in quo idem Zacharias se obnoxium recognoscens, proprio ore ac proprio scripto se Constantinopolim a sede apostolica directum iisse, et quæ sibi a nobis agenda fuerant injuncta neglexisse, ac quæ sibi fuerant prohibita peregisse confessus est : Ignatium scilicet sine jussione apostolicæ sedis deponendo, et Photio contra nostri apostolatus præceptionem communicando. Tunc decernente sancta nobiscum synodo, depositionis et excommunicationis suæ sententiam præfatus Zacharias accipiens, foveam quam aliis præparavit incidit.

Alterius, id est Rhadoaldi, examinatione propter absentiam usque ad aliam synodum protelata, ad quam canonice sæpe invitatus, qui occurrit depositionis et excommunicationis sententiam, quam complex ejus promeruit : insuper, et anathematis, si cum Photio de cætero communicasset, obligamentum merito non evasit. Dignum quippe fuit ut par iniquitas par gigneret utrique judicium, et æqualitas esset in retributione quibus parilitas exstitit in transgressione. Nam quia idem Rhadoaldus objecta non diluit, vera esse quæ de illo dicebantur, etiamsi alia nulla constarent indicia, examen subterfugiens omnino firmavit. Et idcirco jure illi non profuit absentia, quam ipse non casu accedente, sed voluntate propria ministrante, quemadmodum Nestorius quondam, et Dioscorus, sibi procurasse probatum est. Nam, ut sanctus papa Bonifacius in decretali sua docet (*epist.* 1, *ad episcopos Galliæ*), manifestum est confiteri eum de crimine, qui, indulto et toties delegato judicio, purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cum ipsam quoque pro confessione procuratam toties constet absentiam.

Hinc etiam egregius sedis apostolicæ præsul et magnus Ecclesiæ propugnator scribit Hormisda (*epist.* 2, *ad episcopos Galliæ*) : Sali, inquiens, declinant examen conscientiæ, quæ jussa sunt non tenentes. Sed utquid multa prosequamur, cum juxta quod Dominus dicit ; ***Judicio, quo judicavcrunt, jupicatum sit eis; et in qua mensura mensi sunt, remensum sit eis*** (*Matth.* 11). Contigit enim illis quemadmodum Vitali quondam et Miseno episcopis, qui sicut isti Constantinopolim missi, eorum pro quibus destinati sunt, adversæ parti communicando, non exsecutores, sed impugnatores inventi sunt. De quibus beatus Felix apostolicæ sedis antistes, et Alexandrini Petri seu Constantinopolitani Acacii præsulum damnator, imperatori Zenoni scribens, inter cætera (*in ep.* 9, *ad Zenonem imp.*) : Vitalem, ait, atque Misenum, cur vel impulsi ad ista consenserint, honore simul et communione apostolica censura privavit, quoniam factum est, sicut ipse Cyrillo abbati Acymetensi [*al.*, Acrinctensi, *forte* Acœmetensi] scribit, ut eorum prævaricatione deciperetur populus Christianus : qui rursus de eis mentionem faciens, ad jam fatum principem de eorum transgressione dicit : Plebi suasum est Christianæ nos talibus præbuisse consensum. Quos mox [*F.* quos mox ubi, HARD.] regressi sunt, prævaricatio impune non habuit. Nam eos apud beatum Petrum apostolum sancta mecum synodus residens, dum convicti plura mentirentur, ordine et communione nudavit, ne eorum incorrecta perfidia securitas proveniret inimicis. Porro quæ in superius memorata venerabili et sancta synodo unanimiter ac consonanter de Photio usurpatore ac invasore Constantinopolitanorum Ecclesiæ, atque fautoribus ejus, seu de fratre ac consacerdote nostro Ignatio patriarcha, vel de his qui ex parte ipsius sunt, necnon et de sacris imaginibus canonice, rationabiliter catholiceque statuerimus et promulgaverimus, subter annexis capitulis declaratur.

I.

Photii damnatio.

Photius qui ex schismaticorum et se a sanctæ communionis participatione avertentium parte esse dignoscitur, et ex sæculari ministratione atque militia et ex foro subito tonsuratus, a Gregorio Syracusano dudum episcopo, a synodo damnato et ab apostolica sede convicto, episcopus ordinatus est, et vivente ac superstite consacerdote nostro Ignatio, sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ patriarcha, sedem ipsius invasit, et in sponsam quam a Christo sponso immaculatam custodiendam veluti amicus sponsi perceperat, non per ostium, quod Christus est, sed aliunde ex adverso in ovile Dominicum more furis atque latronis ingrediens, ac si violentus, rapax et scelestus adulter, irrupit. Deinde cum damnatis et anathematizatis, atque cum his qui ne sacerdotale officium ante audientiam præsumerent, a decessore meo sanctæ memoriæ Benedicto papa fuerant obligati, quotidie ac indifferenter communicans et conversans contra fidem promissam, contraque suam professionem, qua pollicitus est se adversus jam fatum patriarcham nullum sinistrum consilium esse facturum, congregavit concilium, et una cum sequacibus suis depositis et damnatis, excommunicatis et anathematizatis, et aliis sine sedibus, atque cum his a quibus vel ille irregulariter et illicite provectus fuerat, vel quos ipse temere ac indebite provexerat, contra eumdem fratrem et comministrum nostrum Ignatium depositionem facere et anathema dicere ausus est. Deinde apostolicæ sedis missos, quos, pro causa sacrarum imaginum, et pro inquirenda et nobis renuntianda jam fati patriarchæ dejectione, et ob inveniendum modum promotionis hujus neophyti destinaveramus, quibus potuit argumentis a nostris mandatis avertere more Acacii quondam Constantinopolitani hæretici patriarchæ (*Ut in ep.* 6 *Felicis P., ad Acacium C P.*), præsumpsit, et ad processionem quæ et cum comparibus suis habebatur, sicuti eorum professione patefactum est, et sancto Spiritu revelante venerandæ synodo quæ a nobis collecta est ; claruit, ad damnatorum et schismaticorum communionem contempta legatione, quæ vel gentilium more servari debuit. pertraxit, et in illusionem [*in ep. Felicis*, læsionem] beati Petri apostoli, a cujus sede profecti fuerant, non solum inefficaces redire fecit, sed etiam impu-

gnatores omnium quæ fuerant mandata monstravit. Postremo episcopos qui ei tanquam adultero et pervasori communicare noluerunt, exsilio relegavit, et sui sceleris complices in eorum subrogare locis non timuit. Et usque hodie Ecclesiam Dei diversis persecutionibus impugnare non desinit, ita ut fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium sanctissimum patriarcham inauditis pœnis et horribilibus tormentis afficere non quiescat. Sed et omnes quotquot pro veritate et fide cum eodem persistere comprehenderit quibus prævalet modis perdere imprætermisse moliatur.

Hæc [*f.*, Per hæc, HATD.] et his similia contra evangelica, apostolica, prophetica atque canonica instituta se efferens, sit Dei omnipotentis, et beatorum apostolorum principum Petri et Pauli, ac omnium simul sanctorum atque venerandorum sex universalium conciliorum auctoritate, necnon et Spiritus sancti per nos judicio, omni sacerdotali honore et nomine alienus, et omni clericatus officio prorsus exutus ; ita ut si post notitiam hujus sanctionis, quam divina inspiratione depromptam esse credimus cum unanimitate et concordia sanctæ synodi sit procul dubio promulgata, tentaverit in Constantinopolitano throno præsidere, aut sæpe fatum venerabilem coepiscopum nostrum Ignatium, quominus Ecclesiam sibi commissam sine quavis inquietudine regere possit, impedierit, vel si ulterius ausus fuerit aliquid de sacro ministerio more sacerdotis contingere ; juxta præcedentem consuetudinem, nullo modo liceat ei communionis spem aut locum habere satisfactionis, sed anathematis vinculis innodatus, una cum communicatoribus suis atque fautoribus suis perpetuo Dei per nostram mediocritatem judicio ac sententia sacrum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, non nisi vicino mortis periculo, omnino percipiat : ut hæc unusquisque dicens, nequaquam de cætero temeraria præsumptione ex laicis subito in Dominicis castris insperato quodammodo impetu irrepere audeat, et principatus amore ante ducatum præstare velit, quam tironis consummet officium, et ante tentet docere quam discere, sicut in eadem Constantinopolitana Ecclesia sæpe præsumptum esse comperimus. Et rursus ne contemptis clericis, quorum utpote in tam magna urbe copiosa multitudo est, quippe ab ipsis, ut ita dixerimus, incunabulis imprætermisso labore in Ecclesia Christi desudant, et indesinentia Domino exhibent servitutis obsequia, is qui de foris est, alterius ovilis Christi repente principatum arripiat, et nitatur quos esse suos non recognoscit, discerpere ; et grex Dominicus incipiat eum, utpote extraneum et improvisum, omnino contemnere, præsertim cum perspiciat nil sibi stipendia profuisse meritorum, et alienum suorum cernat consumere fructus laborum.

II.

Gregorii episcopi Syracusani iterata damnatio.

Gregorium sane, qui Syracusanæ Ecclesiæ irregulariter atque Deo contempto præest, eo quod et ipse ex parte schismaticorum sit, et postquam a synodo episcopatus officio privatus, et a decessore meo sanctæ memoriæ papa Benedicto obligatus est, et Photium laicum subito consecrare in episcopum non formidavit, et de sacro ministerio ausus est multa contingere : juxta præcedentem consuetudinem sancimus, et juxta canonicam deliberationem apostolica auctoritate diffinimus atque statuimus omni sacerdotali carere atque privatum fore ministerio, ita ut nullo modo liceat ei in qualibet synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis. Quod si de reliquo præsumpserit in sacro officio more sacerdotis quovis tempore ministrare, anathema sit. Sed et si contra fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium turbas excitaverit, vel ab ejus communione fideles averterit, anathema sit, et omnes communicantes ei ab Ecclesia abjiciantur ; sed et ipsi anathema sint.

III.

Eorum privatio quos Photius ordinaverat.

Eos vero quos Photius neophytus et Constantinopolitanæ sedis invasor in quolibet ecclesiastico ordine provexit, quoniam manifestum est eos in omnibus consecratoris sui pravitatibus consensisse, atque ei post invasionem communicasse, omni clericali officio privamus, et apostolica atque canonica auctoritate et synodali decreto eos penitus sequestramus.

IV.

Restitutio Ignatii

Reverentissimum et sanctissimum fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium, sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ patriarcham, qui primo quidem imperiali violentia ac terrore proprio throno privatus est, et postea a Photio adultero prævaricatore ac pervasore sedis Constantinopolitanæ, et ab ejus complicibus excommunicatis videlicet et anathematizatis atque damnatis, et sine episcopalibus sedibus, et a decessore meo sanctæ recordationis Benedicto papa obligatis hominibus anathematizatus est : et postremo ab apostolicæ sedis missis contra nostram præceptionem, ut sanctæ synodo Spiritus sanctus revelavit, et Zacharias dudum episcopus, qui unus de eisdem duobus legatis exstitit, propria confessione manifestavit, infulis est sacerdotalibus despoliatus : auctoritate summi judicis Domini nostri Jesu Christi promulgamus, sancimus atque decernimus unquam nec fuisse nec esse depositum vel anathematizatum, tanquam qui ab imperiali potentia sit absque ulla canonica auctoritate pulsus Ecclesia, et tanquam qui ab obligatis nullo possit haberi vinculo colligatus, et ab eis qui nullam eum judicandi potestatem, vel ab apostolica sede auctoritatem habuerint, nullum sui honoris discrimen pati debuerit. Et ideo illum, id est eumdem fratrem et consacerdotem nostrum Ignatium patriarcham, omni vinculo anathematis ab eo remoto, per potestatem divina voce beatissimo Petro collatam, et per auctoritatem sacrorum canonum et decretalium constitutionem more sanctorum Patrum prolatorum, pristino honori, pristinæ dignitati et sedi pristinæ, gradui ac patriarchio, ac pri-

stinis pontificalibus infulis atque officiis restituimus, statuimus ac confirmamus; ita ut quicunque post notitiam hujus apostolicæ atque synodicæ sanctionis, quominus omnia quæ præmisimus insignia pontificatus recipiat, eum impedierit, et non in omnibus huic decreto obedierit, vel se ab ejus communione separaverit, vel ulterius contra eum aliquod judicium proferre tentaverit, absque sedis duntaxat apostolicæ præmisso consensu ; si quidem clericus fuerit, ab omni clericatus officio coram Deo et hominibus sit alienus, atque perenni pœna, tanquam qui magistrum prodit, cum Juda traditore constringatur, et nisi a prava intentione recesserit, perpetuo anathemate maneat condemnatus : si vero laicus exstiterit, ille quisquis est, huic nostræ constitutioni contraire tentans, et eum sedem et omnem pristinam duntaxat dignitatem recipere non permiserit ; vel si post receptam priorem sedem, denuo illum impellere et a patriarchio expellere tentaverit, vel personæ ipsius seu sacerdotali honori aliquam molestiam sine primæ hujus sedis consensu intulerit, omni benedictione paterna privetur, et maledictione Chanaan filii Cham, qui verecundiam patris videns non cooperuit, sed irrisit, mulctetur, et cum parricidis æterna pœna, Domino judicante, percellatur, et nexibus anathematis, non nisi resipiens, penitus eruatur.

V.

Restituuntur episcopi a Photio relegati.

Eos autem episcopos, seu cujuslibet ordinis clericos, qui post injustam dejectionem fratris, et coepiscopi nostri Ignatii, vel in exsilio relegati, vel ministerio, aut gradu invidiose privati sunt, statuimus, ut exsilio dissoluto proprias sedes atque gradus recipiant. Quod si quisquam huic decreto nostro contraire præsumpserit, et ut sedes vel gradus resumant, impedierit, quousque obtemperaverit, anathema sit. Sane si qui ex eis ab aliis criminantur, decernimus eos antea sedes quidem et proprios gradus recipere ; judicari autem nisi a sede Romana non patimur : sed si qua præter regulam forte egisse dicuntur, nostro eos decreto judicandos reservari statuimus : juxta quod et sacri præcipiunt canones.

VI.

De sacris imaginibus.

Quoniam oportet nos majorum nostrorum statuta, immoto mentis intuitu conservare, et in omnibus sanctorum Patrum semper dogmata venerari ; diffinimus de sacris et reverendis imaginibus Domini nostri Jesu Christi, ejusque semper Virginis genitricis Mariæ, et omnium sanctorum, qui Deo ab Abel justo placuisse creduntur, quæ Ecclesia sancta in universo orbe diffusa antiquitus accepit, quæque sedis apostolicæ præsules pro eis decreverunt, ac statuerunt illibata persistere, atque intemerata manere. Quapropter Joannem quondam Constantinopolitanum antistitem, et sequaces ipsius, qui eas frangendas atque calcandas esse ore polluto asseverant, A quam diu de his nobiscum non senserint, et juxta sanctorum pontificum Romanorum decreta, et aliorum catholicorum Patrum instituta non sapuerint, sancimus eos a Christo, et ab Ecclesia catholica atque apostolica esse anathema. Hæc sunt, quæ de his sedes apostolica statuit : hæc sunt, quæ synodice regulariterque decrevit : hæc sunt, quæ vos tanto studiosius oportet amplecti, tanto sollicitius observare, quanto satius nostis, quæ ab ea statuta fuerint, hæc universalem semper Ecclesiam tenuisse, ita ut contra singulos errores in Ecclesia exortos prior hæc secundum primatus sui auctoritatem sententiæ terminum dederit. Et ita demum universalis Ecclesia, licet aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quæ illa tamen probavit, quandoque probaverit, et quæ illa refutavit, ipsa refutaverit. Verum vos quomodocunque obedieritis, vel non obedieritis divinis institutis, vel paternis canonibus ; nos tamen in Ignatii fratris et coepiscopi nostri quocunque discrimine, priusquam a nobis specialiter ad iterationem ejus perducatur negotium, quia nec hactenus consensimus, aliquando. Deo nos confirmante, nullo modo consentiemus. Sed nec in Photii sacerdotali provectui præstando favore, vota condescensionis nostræ modo quolibet inclinabimus, sed omnibus viribus nostris, atque conatibus pro coactæ justitiæ provectione, pro restaurando videlicet legitimo et repellendo mœcho (quandiu vivam) occurrere ; et quod nostrum est agere, nullatenus actore Deo cessabimus, et nunc obsecrando, nunc hortando, nunc increpando, nunc etiam regulariter admonendo : insuper et auctoritate apostolica eos, qui contumaces sunt, feriendo, nunc verbis, nunc litteris, quod rectum et justum, atque inchoatum est, die ac nocte cum virtute summi opificis consummare studebimus (*a*) Ergo fraternitas vestra litterarum saltem nunc tenore cognoscat, sedem beati Petri apostoli, neophyto, et mœcho, et Constantinopolitanorum Ecclesiæ invasori Photio olim, justeque damnato, ac nihilominus præsentia synodali nuper elisо, vel fautoribus ejus, nisi a prævaricatione cessaverint, communionis nunquam præbituram esse consensum. Qui (ut cætera nunc omittamus) a Gregorio Syracusano, vel cæteris schismaticis instructus, imo destructus, contra omne fas nulli præsidere potest Ecclesiæ. Nam merito destructus esse creditur, qui a destructo ædificari sperans, etiam si qua alia bona fortassis habuit, nimiæ præsumptionis ejus temeritati communicans perdidit. Nam Gregorius quomodo quemquam ædificare poterat, qui multipliciter jam noscebatur elisus? quomodo quemquam in aliquo ecclesiastico poterat ordine stabilire, qui Ecclesiæ unitatem scindens, ipse jam videbatur omnino dejectus ? Sicut enim ligatus ligare, et dejectus dejicere non potuit, sit destructus construere et elisus quemquam ordinare nequivit. In summo quippe status sui oportet eum vigore consistere, et firmis inniti per omnia basibus qui alterum, vel

(*a*) Ingens hic lacinia, qualis in ep. ejusdem Nicolai.

prosternere, vel conatur statuere. Gregorius ergo, qui canonice, ac synodice depositus, et anathematizatus erat, quemadmodum posset quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet. Igitnr nihil Photius ex Gregorio percepit, nisi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit: per eorum quippe, ut legitur, manus impositionem et invocationem dabatur Spiritus sanctus, qui noverant mundas ad Dominum levare manus. Cæterum Gregorius, qui transgressor factus est legis, ad iracundiam sui magis, quam ad consecrationem alicujus Spiritum sanctum per impositionem suæ manus sine dubio provocavit, etiamsi is, qui ordinandus erat, nullas alias haberet sibi regulas obviantes. Hinc enim scriptum est: *Qui obturat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis* (*Prov.* XXI): si exsecrabilis, utique non audibilis: si non audibilis, ergo inefficax: si inefficax, profecto Photio nihil præstans: nimirum qui vulneratum caput per illam manus impositionem potius habere dignoscitur.

Porro si prætendit injuste ab Ignatio fuisse depositum, quid de omnibus, qui in synodo illo tempore convenerunt, sententiamque in eum protulerunt, perhibebit? Quod si et illos injuste fecisse dicere præsumit, quare cum eis nunc communicat, et quosdam eorum sacerdotio dignos existimat? quos tamen recte prius non judicasse reprehendit, et sententiæ, quam protulerunt, eos secundum se debere succumbere, non nescit? Sed videamus quorum judicio, vel quorum auctoritate Gregorius post depositionem et anathema, honorem episcopatus resumpsit, vel officium pristinum recepit. Omnes enim illum et depositum norunt, et anathematis vinculis obligatum, ac per hoc totius Ecclesiæ communione privatum. Jam vero si dixeritis quia ipse sibi Gregorius et honorem resumpsit, et pristinum officium recepit; audite quid Apostolus dicat: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron: sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret* (*Hebr.* v). Sed et venerabiles Antiocheni canones præcipiunt (*cap.* 4): Si quis episcopus damnatus a synodo, vel presbyter, aut diaconus a suo episcopo, ausi fuerint de sacro ministerio contingere, sive episcopus juxta præcedentem consuetudinem, sive presbyter aut diaconus, nullo modo liceat ei, nec in alia synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis: sed et communicantes omnes abjici de Ecclesia, et maxime si postquam didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverint. Carthaginenses quoque regulæ excommunicatum, qui ante audientiam communicare præsumpserit, ipsum in se damnationem protulisse manifeste denuntiant. Si ergo, secundum Apostolum, *nemo sibi honorem accipit, et Christus non se clarificavit ut pontifex fieret*, qui omnes cum Patre et Spiritu sancto glorificantes se glorificat. et ipse est pontifex, de quo rursus idem dicit Apostolus: *Talem decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus*, etc. (*Hebr.* VII.)

Et si episcopus qui damnatus a synodo est juxta sacros canones, ausus fuerit aliquid de sacro ministerio juxta præcedentem consuetudinem contingere, et ante audientiam communicare, ipse in se damnationem protulit, ita ut nullo modo liceat ei nec in alia synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis; sed et communicantes ei omnes abjici de Ecclesia: quanta putas Gregorius pœna mulctandus est, qui post damnationem sive anathema, hæc omnia commisisse probatur, id est et super Christum se extulit, et quod ipse non fecit, iste et honorem sibi resumpsit: ut et pontifex esset, se arrogantissime clarificavit, et ante audientiam excommunicatus communicare et vetita usurpare præsumpsit, et damnatus de sacro ministerio, non solum aliquid, verum etiam multa, juxta priorem consuetudinem tetigit: quod certe Gregorius agere omnino non debuit, etiamsi nulla commissa existerent, pro quibus damnari potuissent. Quia prælati judicium semper inferioribus formidandum est, si ei non obedierint, licet ab eo fortassis injuste ligentur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa, id est inobedientia, mereantur. Igitur prælatos damnare indifferenter oportet horrescere. Quicunque vero minores sunt, damnari sollicite caveant, nec majorum suorum sententiam transgrediantur: Alioquin licet injuste nonnunquam damnati sunt, ex ipsa temeraria prævaricatione, culpa quæ nondum forte perpetrata fuerat, et ultio quam culpa necdum merebatur, procul dubio subsequentur. Nihil quippe lignum vetitum in se mortiferum habuit; sed qui inobedienter ex eo comedit, mortem sibi et posteris propinavit: non quia lignum malum, cum Deus, quod fecit, totum fecerit bonum; sed quod mala sit transgressio, et nolentis subjici, per eam merito sit orta damnatio. Porro si dicitis Gregorium ab imperatore, et ab antistitibus fuisse receptum, percontari libet, o sapientissimi fratres, quibus hoc documentis, quibus canonibus jubentibus agi rite potest, ut hi qui abjiciuntur, ab aliis recipiantur. Id etiam veneranda universali synodo Nicæna de utraque professione luce clarius inhibente (*cap.* 8). Nam a sæculari potestate nec ligari, nec solvi sacerdotem posse manifestum est: et idcirco affatim approbatur Syracusanum Gregorium per imperialem tantummodo sententiam nullo modo valuisse reconciliari: ubi si pontificum quoque sociatur assensus, quærimus utrum præcesserit, an fuerit subsecutus: si subsecutus est, nihilominus ad id reditur, ut absolutio a sæculari potestate percepta valere non possit; pontificumque secutus assensus adulationis, vel terroris fuerit potius, quam legitimæ sanctionis; si præcessit, doceatur a quibus et ubi ille sit gestus, si secundum Ecclesiæ regulam celebratus, si paterna traditione profectus, si majorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus, si ad majoris auctoritatis sedem, quam illa est, a qua Gregorius damnatione tenebatur obstrictus, secundum Ecclesiæ regulam est relatum, si ipse præsul, qui ligavit,

absolvit. Si hæc gesta non sunt, quo more, quo ritu Syracusanus Gregorius se gloriatur absolutum, cum nec a pontificibus ordine debito, nec ecclesiasticis legibus fuerit expeditus, nec a mundana potestate potuerit præter Ecclesiæ tramitem prorsus absolvi? Jam vero si dicitis : Non imperator absolvit, sed a pontificibus ut solveretur postulavit. Econtra, illi multo magis ab Augusto postulare debuerunt, ut si eum vellet absolvi, legitima ecclesiastici tenoris absolutio proveniret, et hæc omnia, quæ superius dicta sunt, secundum Ecclesiæ tramitem servarentur, præcipue cum non ab inferiori, vel pari, sed a majori persona, et sicut ex apostolicis canonibus edocemur, solum ab eo, qui eum sequestravit, aut certe a prima sede, jure possit absolvi. Inferior quippe, vel compar antelatum, vel comparem, non annuente majori, absolvere non potest : sola igitur potior inferiorem convenienter absolvit. Proinde inferioris loci pontifices eos, quos potior suus obligaverat, sine prima sede absolvere non potuerunt. Verumtamen licet contra Nicænos sacros canones præfatum Gregorium, qui abjectus fuerat, receperint : nunquam tamen eum a vinculo damnationis et anathematis exuerunt. Quem absolutione prævaricatoria potius nexuerunt, et dum hunc solvere nisi sunt, nodis majoribus dediderunt. Quinimo dum sententiam majoris contemnentes transgressi sunt, vel etiam suam tergiversatori consilio, lenique sensu sibimet facti contrarii destruere sunt moliti pari prævaricatione habentur innexi, et simili pœna, secundum apostolicos et nonnullos alios canones tenentur obstricti : ita ut communicantes ei, pelli de ecclesia jubeantur. Ac per hoc reus reum justificare constat minime potuisse, nec ligatos ligatum solvere modo quolibet valuisse. Ecce a quibus, o beatissimi Christi ministri, Photius est institutus : ecce qualis est Gregorius qui Dormitantius convenientius poterat dici.

Quamobrem cogitate, fratres charissimi, tractate, et vobiscum sedula meditatione perquirite, si stare Photius possit, etiamsi miris virtutibus polleat, etiamsi omni scientia fulgeat, quando qui hunc statuisse tentavit, dudum jam cecidit, et volens erigi cum conantibus se erigere nunquam recuperaturus denuo ruit. Consideret ergo vestra divinitus inspirata prudentia quomodo Photius, etiamsi nihil aliud sibi jure valeat impedire, queat in sacerdotali gradu persistere : quandoquidem institutor suus cum hic ordinaretur, non solum sacerdotio, verum et ipso carebat Christiano vocabulo. Et sicut etiam exposuimus, nec damnatus justificare, nec depositus erigere, nec ligatus potest quemquam per impositionem manus provehere. Impossibile est enim horum aliquid fieri. Quapropter attendite, charissimc, non solum hæc, verum etiam paternos canones et præcipue apostolorum, Antiochenos, atque Carthaginenses, et quid de damnatis et excommunicatis, atque de his præcipiant, qui merito facinorum suorum ab ecclesia pulsi sunt, diligentissime considerate, ac studiose recolite : nam nos quod decrevimus, quod statuimus de his, quos recepimus et ereximus, vel de his, quos abjecimus et a sacerdotio vel, communione pepulimus, vestræ in Christo fraternitati notum facere canonice procuravimus ; juxta quod et magni venerandique Nicæni concilii regulis admonetur (*cap.* 10), quatenus de his, qui communione quandoque privantur, seu ex clero, seu ex laico ordine episcopis, per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur ab aliis non recipiantur. Ergo nos quod debuimus fecimus ; ea videlicet vos scire volentes, quæ, Deo teste, non nisi zelo rectitudinis egimus, et affectu conservandæ paternæ constitutionis exsecuti sumus : vestrum autem est obedire : alioquin eamdem cum eis sententiam jure meritoque subire, Antiochenis canonibus secundo capitulo præcipientibus ta : Si quis de episcopis, aut presbyteris, aut diaconis seu quilibet ex clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iste communione privetur, tanquam qui regulam confundat Ecclesiæ. Et rursus capitulo quarto, quod etiam superius commemoravimus : quid idem dicat antiquitus acceptum, concilium, studiose recolite. Cavete ergo, dilectissimi ne cum his commisceamini, qui sanctis fuerunt inobedientes institutionibus, ne par sententia involvat, quos uno communionis glutino invenerint irretitos.

Videte præterea quia de ignorantia nullum jam potestis excusationis habere præsidium, qui et canonum, Deo inspirante, memores, et nostris edocti jam nunc estis epistolis. Nolite communicare itaque peccatis alienis, nolite nobis inobedientes esse, quoniam inobedientia protoplastum de paradiso expulit. Inobedientia, idololatria merito nuncupatur, sicut sanctus Samuel ad Saulem loquitur, dicens : *Quasi peccatum hariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* xv). Perpendite ergo quantum sit exsecrabile repugnare, quantum detestandum acquiescere nolle quod hariolandi peccato, scelerique idololatriæ comparatur. Clamat apostolorum princeps : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* iv) : et coapostolus ejus Paulus : *Qui resistit*, inquit, *potestati Dei ordinationi resistit* (*Rom.* xiii). Judicate ergo cui potius obediendum sit, Deo an hominibus : Judicate cui potius resistendum sit, potestati, quam in Petro Deus omnipotens ordinavit, quamque super cuncta Ecclesia extulit, an ordinationi Gregorii Syracusani, cui merito malitiæ suæ dicendum est : Væ homini, videlicet per quem in Ecclesia Christi tot scandala venerunt ; quique olim, sicut ipsi scitis, et nos supra retulimus, a fratre et comministro Ignatio et a synodo, quæ sub eo erat, depositus est, et ut apostolica sedes in ejus damnatione consentiret, ab ipso consacerdote nostro postulata est. Sed decessores mei beatæ memoriæ Leo et Benedictus sedis apostolicæ moderamina servantes, noluerunt sic unam partem audire, ut aliæ parti nihil penitus reservarent : unius quippe mediator non est. Quam-

obrem interim depositio ipsius a sede apostolica non A suscepta remansit infirma. Cumque idem Gregorius per legatum suæ partis Zachariam nomine sedem agnovisset apostolicam in sua depositione nullatenus consensisse, non gratias egit, non a cœptis in jam dictum fratrem nostrum sævientibus contumeliis conquievit, sed benignitate Dei, et patientia sedis apostolicæ in superbiam abutens, in ipsum videlicet Ignatium patriarcham suum rediviva jacula impietatis irreverenter exacuit, et eo superstite neophytum in Constantinopolitana Ecclesia consecravit : quin potius et adversus sedis istius decreta contumax esse non destitit, qui pro se, non contra se, ipsius ab ea decreta paulo ante data tanquam ingratus non recolit, et velut tergiversator arma præparat adversus arma sibi tutelam salutis non modice conferentia et murum destruere nititur, qui ne ipse destrueretur, fortissime custodivit. Et agit nunc quantum in se est, ut ea statuta prorsus habeantur invalida : quæ, cum his ipse egeret, supplex petebat : et ut fortiora essent adamante submissus optabat, atque ut sibi auxiliarentur humiliter implorabat, necnon et contra ea repugnantes, forsitan tyrannos et sacrilegos judicabat : nisi enim sedes apostolica ei parceret, ille quomodo contra reverendissimum Ignatium posset exercere brachium, non haberet. At ille usus est sedis apostolicæ bonitate in malignitatem [*al.*, malignitate], et beneficium in patris sui convertit exitium.

Dicite igitur, obsecro, fratres, cum ita sit, quomodo non debeamus nos Ignatium adjuvare, aut usque ad audientiam (quantum in nobis est) indemnem non penitus conservare? vel quomodo non possimus C Gregorium, et hos qui ex parte ipsius sunt, merito condemnare? quando Ignatius, nisi a nobis esset impeditus, sic illos canonice forsitan sterneret, ut eum nullo conamine potuissent impellere. Isti qui non nobis hæsere, quos in ajutorium suum habere promptissimos meruerunt, nec a nobis consilium acceperunt, uti cum patriarcha suo vel pacificari, vel canonice judicari potuissent : sed vires suas a nobis ne frangerentur servatas, adversus eum protinus præpararunt. Unde, quæso, perpendite, quantum nos nunc Ignatio debitores simus, qui sibi obstaculum, et inimicis ejus facti sumus defensionis umbraculum, Quamvis non ideo judicium istorum distulerimus, ut ei nocendi jacula præpararent, sed ut sic sententia in hos prolata, valetudinem haberet, D ut a nobis examinatio præcederet. Et rursus sic ab istis in eûm objecta penitus coram nobis admitterentur, ut partis Ignatii persona vocata, nec convicta [*al.*, vel convicta, HARD.] nostræ præsentiæ non deesset. Quamobrem dilato parumper judicio, et interim infirmata sententia, missum est utrique parti sedis aposlolicæ præsulis præsentandum obtutibus, ac ejus (ut par est) subjiciendum diffinitionibus. Sed dum pars Ignatii properandi disponit iter, hostibus ejus viribus resumptis, non jam sedem apostolicam petentibus, non Petri memoriam facere dignantibus, Ignatius trahitur, impellitur, et innumeris malis affectus ab Ecclesiæ regimine sequestratur. Et hoc totum factum est, eo quod prædicti pontifices utrique parti æquitatem servantes, et utriusque partis audientiam præstolantes, Ignatii non firmando sententiam imo vero interim infirmando, inimicis ejus quodammodo manum porrexerint, dum nimirum sententiam in eos prolatam non interim auctoritate sedis apostolicæ revocaverint, sed usque in præsentiam ejusdem apostolicæ sedis deferri decreverint.

Quamobrem, charissimi, quia quasi per nos inventa est Ignatii dejectioni materia, idcirco præter id quod frater adjuvari debet a fratre, præter id etiam quod Petro, cujus in terris licet indigni vicem gerimus, Christi oraculo peculiariter dicitur : *Confirma fratres tuos*, etiam pro hoc specialiter eum non solum adjuvare et confirmare, verum etiam B (sicut ipsi potestis advertere) totis nos pro illo viribus oportet per omnia decertare, ut videlicet totum in illo funditus aboleatur, quod per nos lædendi fomitem adversariis ejus reperientibus ei violentiam inferre monstratur, totumque recipiat, Christo propitio, quod dum nos moderate, ac regulariter egimus, ipse præjudicialiter amisisse dignoscitur. Quoniam et præfati decessores nostri (Leo scilicet et Benedictus beatæ recordationis pontifices) si tale quid diebus eorum Gregorius vel comptices ejus patrassent, videlicet ut abusi tanto compassionis, et patientiæ sedis apostolicæ circa se beneficio in Ignatium manus suas injecissent : aut adversus eum ipsis sanctis præsulibus inconsultis linguas suas taliter exacuissent profecto eos tanquam magistros inquietûdinis, et ipsos se sole clarius obnoxios ostendentes, sine quavis retractatione protinus condemnassent : et tantum piaculum impietatis eorum destruere ardentissime studuissent. Sed quia illa divina vocatione ab hac convalle lacrymarum subducti sunt hanc tyrannidem nondum intuentes, nos debemus in eorum labore succedere, qui successimus in honore, in cujus tempore crudelitas, quæ diebus ipsorum cœpit radices emittere, consummata perparuit. Proinde nos primo, quia sedis apostolicæ de tota Ecclesia fas habentis judicare moderamina retinemus : secundo quoniam fratribus injuriam passis subvenire debemus : postremo, quoniam (sicut jam diximus) oportet nos in eorum labore succedere, in quorum successimus pontificatus honore; quemadmodum ipsi decessorum suorum exempla secuti sunt, et operis eorum strenui cultores inventi sunt, quod ipsi profecto agerent, adjuvante Domino, habentes quemadmodum illi eumdem zelum justitiæ, seu privilegium dignitatis studiose perficere procuravimus. Nimirum quod omittere procul dubio (sicut nosse cunctis clare tribuitur) non valemus sane quia Gregorium neophytum consecrasse diximus, ne Photium quidem neophytum quando quasi in sacerdotem consecratus est, negent; sancti papæ Gregorii, et Anglorum amplissimæ, ac fidelissimæ gentis apostoli (nam signaculum apostolatus ejus ipsi sunt in Domino) verba comme-

moremus, qui ait : Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui initio in sanctæ fidei erat conversatione plantatus, sic modo neophytus habendus est, qui repente in religionis habitu plantatus et ambiendos honores sacros irrepserit.

Præterea non omittendum esse credimus, nos commemorare præterito anno per indictionem videlicet tertiam decimam, epistolam sub nomine principis conscriptam, per Michaelem imperialem protospatharium suscepisse, quæ tantis erat verbis contumeliosis, imo blasphemiis respersa, ut scriptor ejus non nisi in gutture colubri calamum tinxisse putetur, et dictatoris labia pro dictionibus venena fudisse videantur, adeo ut si cujuspiam simplicium cor penetrent (non enim hæc aures prudentium suscipiunt) et hos continuo necent ; nimirum tanto miserabilius, quanto mors animæ magis, quam corporis per illum virulentum haustum admittitur. De cujus immanitate piaculi licet Augusto per jam fatum legatum jam nos scripsisse recolamus, eadem tamen nunc scribere vestræ beatitudini ratum duximus. Denique opinati sumus, et adhuc nihilominus opinamur, quod pietas ejus tandem aliquando resipiscat, et de Ecclesiæ Constantinopolitanæ restaurando statu nobis salubria sudentibus acquiescat : sicque demum omnia scripta, quæ male sunt compilata, non solum adversus nos et hanc sanctam Ecclesiam, verum etiam contra fratrem nostrum et comministrum Ignatium, coram universa imperii sui multitudine igni tradenda decernat. Alioquin jam cunctis Ecclesiæ fidelibus quæ foret apostolicæ sedis auctoritas, vel quæ fabricatoribus mendacii, seu inventoribus perversorum dogmatum immineret ultio, profecto patesceret. Impossibile est enim (quanquam nostras nos speciales injurias curare floccipendamus) ut tantorum ac talium sanctorum Patrum et propugnatorum catholicæ Ecclesiæ, ac destructorum diversarum hæreseon atque defensorum orthodoxæ fidei blasphemias æquanimiter sustineamus vel etiam tantæ sedis, sive tam excellentis Ecclesiæ Romanæ, cui Deo deservimus auctore, contumelias perferamus.

Verum, quamvis et de nobis humiliter sentiamus, non tamen, conscientia dictante, vera esse quæ de nobis perhibuit, asseveramus : sed (ut diximus) ea postponentes, illa potius quæ Jesu Christi sunt, investigamus, et si qua male congesta adversus ejus famulos, adversus ejus ordinationes, adversus ejus dispositiones stabilita privilegia reperiuntur nulla patientia toleramus, et non solum hæc destruere totis viribus anhelamus, verum etiam conflatoribus tantæ perversitatis dignam vicissitudinem reddere necessario meditamur. Nimirum ne hos qui impunitos intuens, aut nunc, aut futuro tempore deinceps talia præsumat præstigia falsitatis componere, vel commenta blasphemiarum hujuscemodi figmentis contrahere.

Quapropter eidem imperatori sublimissimo per epistolam præsulatus nostri cohortando direximus, in qua etiam vos ad votum nostrum laborare summopere convenit : quatenus diligenter inquirat atque scrutans si sua illam non fuisse præceptione tam cœnosam invenerit confectam, imo toxicatis syllabis infectam epistolam, ut interim de tot præstigia texentium pœna taceamus, quæ illos se zelo veritatis flagrantes involvere convenit ; saltem hujus socia accepta et palam cunctis igne succensa per Augustales suos tam nobis quam omnibus, ad quorum notitiam pervenit, destinatos apices competenti satisfactione a tam perverso sensu, et tam profanis adinventionibus, quod a sensu suo non fuerit commentis tradita, se exhibeat prorsus immunem. Jam vero si sibi in multis hujusmodi sollicitudinibus occupato subreptum est, ut talia scribere mandaret, ne pigeat clementiam ejus etiam hoc ipsum humiliter confiteri, et legibus suis, ut hujusmodi scripta nullius habeantur momenti, decernere : ita ut penes quem reperta fuerint, impunito non evadente, ipsius quoque sæpe memoratæ, ac semper exsecrandæ epistolæ vel exemplaris ejus apices, intemeratis pro reverentia manentibus sacris dictionibus, flammeo dedantur igni voranda. Et ut sinistræ opinionis nævo, quod ex blasphemis scriptis incurreret, carere valeat, et ingratus filius circa matrem suam, ex qua imperandi fastigium ipse et patres sui ordine cœlitus dispositio percepit, nullatenus appareat. Sin autem, scitote, quoniam postquam in hac eum pertinacia persistere fine tenus velle comperimus : primum quidem congregatis cunctarum occidentalium regionum venerabilibus sacerdotibus dictatores et dispositores, atque præceptores tantæ fallaciæ, seu crudelissimæ derogationis sanctarum, vel paternarum traditionum ab omni Christiana compage remotos, apostolica freti auctoritate, duris anathematis vinculis innodabimus : necnon et Patrum, ac prædecessorum meorum secuti vestigia, qui soliti sunt etiam numerosorum concilia nequiter celebrata cassare pontificum, si qua socia sunt crebro dictæ vel exemplaria fortassis epistolæ : quin potius non solum hæc, sed et omnia scripta, quæ vel adversus fratrem et coepiscopum nostrum Ignatium inique confecta, vel adversus non causam illius canonice prosequentes, furiose depromota sunt, perenni damnationi mandabimus.

Deinde vero decernentibus nobiscum, et simul considerantibus eisdem sanctissimis fratribus et coepiscopis nostris, ipsam epistolam in stipite videntibus cunctis suspensam, vasto supposito foco, ad vituperium imperialis apicis coram omnibus nationibus, quæ penes memoriam sancti Petri multiplices inveniuntur, extremæ perditioni donabimus : quatenus his rite paratis, discat pius quod amet, et crudelis quod timeat. Nam tot et talia blasphemiarum commenta, quin potius veracium litterarum depravationes, audisse et tacuisse, connivisse est.

Quamobrem, venerabiles fratres, valde mihi (sicut ipsi comprehendere poteritis) cavendum est ne, si nos præstigiorum figmentis minus celeriter obviaverimus, tanquam vera recognita vel compro-

bata, hæc admisisse fallaciter apud stolidos existimemur.Nec possumus in Ecclesia Dei dissimulando tam spuria relinquere germina, quæ antecessorum nostrorum beatissimorum pontificum tempore aut nunquam exorta,aut certe,si undecumque vel quomodocumque exorta sunt,eorum judicii ligone,antequam proficerent,radicitus extirpata sunt. Destruat ergo etiam vobis hortantibus ipse et dissipet illa : alioquin a nobis fore destruenda,seu funditus dissipanda,modo quem prædiximus,antenoscite : quamvis antequam nos ista vobis scriberemus,pro quibus nunc sublimitatem ejus hortamur,hoc ipsum sponte facturum esse putaremus. Sed quia quod putatum est, nullum effectum hactenus habuit : idcirco nos salutem ipsius illæsam manere volentes,ut hoc nunc saltem agat, affectu paterno monuimus : alioquin (ut jam præfati sumus) sic Deo favente, de cætero vigilabimus,et studiis quibus possumus insistemus, ut inter exanimes computentur, qui auctoritatem Petri non consenserint, imo Dei hanc ordinantis in Petro non intellexerint : ita ut nec ista,quæ perniciose compilata sunt, defendere, nec his similia, ut non dicam scripto tradere, vel in mente volvere qui ulterius audeat. Non enim figmenta, quæ ordinationi Dei resistunt,quæ evangelicis vocibus contradicunt quæ sanctorum Patrum diffinitionibus obviant quæ synodicis constitutionibus adversantur,quæ (si sic dimittantur) innumera possunt fidelibus auxilia Petri quærentibus inferre dispendia,incolumia sine discrimine nostro valemus deserere: et existimationi nostræ, vel nunc,vet post discessum nostrum, tantum, quod absit, nævum ad destructionem simplicium, et mutilationem sedis apostolicæ privilegiorum, relinquere.

Cæterum ut charitas unanimitatis veslræ de fratris et comministri nostri Ignatii sanctissimi patriarchæ dejectione nobiscum doleat,quæ prævalent ei solamina nobiscum exhibeat. Nam si juxta Apostolum *quod patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (*I Cor.* XII) ; quanto potius compatiendum est illi,quod inter cætera membra præcipuum tenuisse locum dignoscitur ? Unde si non pro unius et specialis personæ prælati fratris nostri repulsione, vel certe pro summi sacerdotis conculcatione dolere, gemere, flere, currere, ac decertare debetis.Nam si licitum fuerit sæculari potestati de Ecclesiæ Domini præsulibus taliter judicare, vel si rursus fas exstiterit inferioribus de prælatis sibi jam temere ista patrare, perpendite, ne ad perniciem vestram, imo totius Ecclesiæ nunc et futuris temporibus præsumptio talis prævaleat : quod si attenditis, ecce jam cernitis. Nam impietas tantum caput extulit, ut ecclesiarum præsulibus postpositis, et ordine canonico conculcato, laici nunc ecclesiastica moderamina teneant, et pro libitu proprio modo istos removeant,modo illos in locum eorum promoveant,et rursus quos nunc approbant, post modicum mentis victi levitate repellant. Ut enim sæculares, ac laici homines quælibet scelera valeant licenter committere, et pro his a nullo pontificum,qui ex clero promotus hæc summa poterat auctoritate compescere, libere redarguantur. Nec de clericorum catalogo permittunt ad sacros ordines provehi, qui vitam eorum tanto audacius, quanto diutius, ac familiarius sub Christo duce forti militantes fortius comprimere possent : sed ex seipsis eligunt, qui facta eorum tanto minus præsumant arguere, quanto se paulo ante de horum cœtu, favore ipsorum promotos meminerint : quod illis partibus tanto familiarius agitur (ista præsumptio videlicet, ut ex laicis subito tondeantur, et in episcopos consecrentur) quanto ex consuetudine hac inolevisse testantur, quam nos econtra tanto studiosius ex Ecclesia Dei eradicare volumus,quanto nimium noxæ jam esse clericis,et omni religiosæ plebi supra docuimus : quantoque scimus ex sacris canonibus,quod non minus consuetudo [mala consuetudo], quam perniciosa corruptela vitanda sit : et scimus quod paulatim crescens.jam suæ pestiferæ nequitiæ gramine multos invaserit, adeo ut temeritas hæc tantum excreverit,ut jam minime clericis egeant,dum contra sacros canones ex seipsis subito tonsuratum, quem voluerint, eligant, et ad labores clericorum mentis oculos non inflectant.Ac per hoc fit, ut alienus comedat ipsorum fructus laborum ; et stipendia meritorum extraneus hostis insperatus subripiat, ita ut nihil proficiat clericis in castris Dominicis militasse,vel gradatim per singulos ecclesiasticos ordines ascendisse, dum alter saltu hos omnes transcendit,et repente principatur in eis,qui inter eos nec contra spiritales hostes arma sustulit, nec diversis Ecclesiæ adversariis pro veritate prælians aliquando restitit.

Quantum autem ne de laicis temere quislibet ad episcopatum eligatur, sacri canones, cum aliis prohibeant, Sardicenses ostendunt, Osio episcopo capite decimo tertio dicente : Et hoc necessarium arbitror, ut diligentissime tractetis, si forte aut dives,aut scholasticus de fori administratione episcopus fuerit postulatus, ut non prius ordinetur, nisi ante et lectoris munere, et officio diaconi, aut presbyteri fuerit perfunctus,et ita per singulos gradus, si dignus fuerit, ascendat ad culmen episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari qua fide sit, qua modestia, qua gravitate et verecundia, et si dignus fuerit probatus, divino sacerdotio illustretur : quia conveniens non est,nec ratio,vel disciplina patitur, ut temere et leviter ordinetur, aut episcopus, aut presbyter,aut diaconus,qui neophytus est : maxime cum et magister gentium beatus Apostolus, ne hoc fieret,denuntiasse,et prohibuisse videatur (*I Tim.* v) : sed hi, quorum per longum tempus examinata sit vita,et merita fuerint comprobata.Contuemini ergo, et futura,ime urgentia mala conspicite : medici estis, imminentes morbos per præcedentia signa prævidete : episcopi estis, exsurgens in Ecclesia Christi horrendum exitium prospicite : speculatores estis,

in altam mentis arcem conscendite, et in gregem Dominicum feram pessimam irruere cupientem a longe contemplamini. *Quasi tuba exaltate vocem vestram, et annuntiate populo Dei scelera eorum : super montem excelsum*, id est altitudinem virtutum, *ascendite. Qui evangelizatis Sion, state in fortitudine, potestatibus hujus sæculi ex adverso ascendite, et murum pro domo Dei opponite, ac quibuslibet potestatibus inique agentibus contraite* (*Isa.* LII) : sicque fiet, ut nec sicut canes muti de taciturnitate argui valeatis, nec de talenti occultatione districtam Domino rationem reddere compellamini, vosque episcopos et consacerdotes nostros, imo Ecclesiam Christi illis in partibus constitutam ab ingenti pernicie, ac noxia labe ipso juvante laudabiliter eruatis, mirabiliterque regatis.

Verum nos de ipsis hæc vobis scripsisse sufficiat Pax autem Dei, *quæ exsuperat omnem sensum* (*Philip.* IV), prærordiorum vestrorum intima penetret : et quam de salute omnium vestrum solliciti simus, vobis Deus omnipotens clementer aperiat ; et quomodo vos cupiamus in visceribus Christi, et in Ecclesiæ gremio continere, quæ diffusa in toto orbe terrarum, quasi unius Christi thalamus est, atque in sancta communione una vobiscum persistere, ut unum sapiamus omnes, et non sint in nobis schismata (*I Cor.* I), illuminationis suæ gratia revelare dignetur : ita ut de corruptione fidelium congaudentes, et congratulantes, uno animo, et uno ore glorificemus et collaudemus Deum Patrem videlicet, et Filium, et Spiritum sanctum per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Quisquis autem hanc epistolam nostram Constantinopoli legerit, et eorum notioni [*Cod. Vatic.*, notitionibus, qui], quibus missam intellexerit, quidquam ex his, quæ in ea sunt occultaverit, si locum potest invenire sufficientem, anathema sit. Quisquis etiam interpretatus eam fuerit, et ex ea quidquam mutaverit, vel subtraxerit, aut superaddiderit præter illud, quod idioma Græcæ dictionis exigit, vel interpretanti scientiam intelligendi non tribuit, anathema sit.

CV.

(*a*) AD SENATORES CONSTANTINOPOLITANOS.

(Anno 866.)

Ut faveant causæ Ignatii, et abstineant a communione Photii.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, singulis quibusdam senatoribus Constantinopoleos a paribus.

Fidelium relatione, qui ad sanctorum apostolorum limina orationis gratia veniunt, agnovimus gloriam tuam in Dei esse timore pariter et amore semper intentam, et in ejus famulatu summa, jugique devotione sollicitam. Quapropter Deo gratias agimus : et ut bono studio quod cœpisti, perseverantiam det, atque in futuro dignam vicissitudinem tribuat, ejus misericordiam suppliciter exoramus : præcipue quoniam diceris miseriæ Constantinopolitanorum Ecclesiæ compati, et ejus perturbationem, atque detrimentum molestissime ferre : ita ut fratri et coepiscopo nostro Ignatio ejusdem Ecclesiæ patriarchæ, ejusque dejectionis condoleas et congemiscas : licet (sicut oportebat) libere pene nullum ei auxilium præstes. Nam perfectorum virorum est, non solum justitiam et veritatem quæ Christus est, coram cunctis mundi principibus confiteri, verum etiam, si necesse sit, usque ad mortem tota virtute defendere. Quis enim filiorum, nisi ingratus, nisi impius, non doleat, non usque ad mortem satagat pro spiritali patre suo tam furiose dejecto, et a commissa sibi divinitus cura pastorali tam temere sequestrato, et in locum ejus adultero subrogato? Quis, inquam, filiorum, nisi ingratus, nisi impius, non doleat, non usque ad mortem satagat pro sancta Ecclesia matre sua, quam tantis viderit quotidie perturbationibus agitari, et tam irregulariter suo rectore privari, et invasori ac neophyto pro libitu uniuscujusque contradi? Curre igitur, dilectissime, et si est perfectus in te Domini timor, nulli potestati veritatem abscondе, Redemptorem audiens dicentem : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere : sed potius eum timete, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam* (*Matth.* X). Porro si tanta libertas in te spiritus non est, nec te tantum amor Christi succendit, ut mundi potestatibus, quod prave fecerunt, non corrigentibus libere contradicas : saltem a fratris, et coepiscopi nostri Ignatii, et communicatorum ejus (quod tamen secundum indulgentiam dicimus) te quacunque læsione coerce : et a communione invasoris, neophyti, ac adulteri Photii omnino suspende ; sciens quia nos apostolica, canonica, necnon et rationabili censura juste hunc, et synodice, atque secundum privilegiorum apostolicæ sedis auctoritatem jure deposuimus, et pro tot prævaricationibus et præsumptionibus suis una cum multarum provinciarum occidentalium regionum antistitibus, eum consonanter anathematizavimus. Proinde provideat, et precaveat prudentia tua, charissime, ne communicet peccatis alienis, ac per hoc alterius irretiatur nexibus vinculorum : quin potius si potest Ecclesiæ Dei subveniens pro repellendo mœcho et revocando legitimo dare operam, bene : sin autem vel salvans salvet animam suam, et secundum illud propheticum : *Exite de medio eorum, et pollutum nolite tangere* (*Isa.* LII). Legatos præterea, quos Constantinopolim misimus, pro ejus amore, a cujus sede profecti sunt, in quo se occasio præbuerit, benigne subsequi charitas tua contendat : videlicet ut propitio Christo et legatio eorum efficax habeatur, et ipsi sine læsione qualibet ad nos revertantur.

Deus omnipotens et pietatem, atque dilectionem, quam te circa sanctæ Ecclesiæ statum fama frequens habere testatur, in prærordiis tuis per amplius, et perfectius augeat : et te, quæ diximus, sollicite pro-

(*a*) Citatur in concilio VIII, sed Græce non exstat. Inscripta ibi dicitur πρὸς τοὺς συγκλητικούς. HARD.

sequentem hic diu præsentis felicitatis munere perfrui faciat, et futuræ beatitudinis præmia sine fine concedat.

CVI.

AD UNIVERSOS CATHOLICOS.

(Anno 866.)

Acta (a) Ignatii et Photii demonstrat, et ordinem temporum epistolarum prescribit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus sanctæ catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, omnibus veræ religionis ministris, ac universis orthodoxis fidei cultoribus, sanctissimis videlicet et reverendissimis patriarchis, metropolitis, et reliquis episcopis, atque cunctis fidelibus catholicam duntaxat cum sede beati Petri pietatem sectantibus, sanamque doctrinam nobiscum defendentibus, per Asiam scilicet et Libyam constitutis.

Quæ apud Constantinopolitanam urbem paulo ante gesta sint, vel etiam nunc gerantur, sanctitatem, seu religionem vestram, non credimus ignorare; sed qualiter zelo zelati pro domo Dei sollicitudinem omnium Ecclesiarum secundum Apostolum circumferentes (*II Cor.* xi), nos de his disposueramus, breviter charitati vestræ his nostri apostolatus litteris intimamus. Et ne aliter sinceræ vestræ menti suaderi tentetur, vel aliter quod egimus vobis suggeratur, veraci relatione et præsentibus vos litteris edocemus. Igitur postquam quidam invidiæ facibus accensi, et superbiæ fastu arroganter elati, more Judæorum contra pastorem proprium insurrexerunt, et patriarcham suum (commiuistrum videlicet nostrum Ignatium sanctissimæ præfatæ urbis antistitem) ab ecclesia ipsa, cui jure præsidebat tyrannice projecerunt: ac Photium quemdam ex foro, ac sæculari militia, et habitu, atque a palatinis ædibus eductum ac subito tonsuratum eidem contra sacros canones Ecclesiæ præfecerunt. Tunc cœpit scandalum et schisma in jam dicta urbe, et in adjacentibus sibi civitatibus, non modicum oboriri: aliis quidem Photii promotionem defendentibus, aliis autem hanc tanquam inconvicto et superstite Ignatio factam merito detestantibus. Tunc inito consilio imperator Michael, qui et ipse Bordæ patricii versutiis suasus Photii parti favebat, ad apostolatum nostrum legatis cum epistolis destinatis, accusationes quasdam adversus Ignatium deferentibus, petiit ut a sede apostolica missos daremus, qui scandala illa sedarent, et schismata dissiparent. Quo audito, quoniam (sicut a Deo inspirata vestra novit prudentia) cunctarum Christi ovium cura constringimur, cum vices ipsius gerimus, qui specialiter divinitus dicitur: *Pasce oves meas* (*Joan.* xxi). Et iterum: *Tu*, inquit, *aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* xxii): non potuimus dissimulare, non potuimus negligere, quominus visitaremus oves, dispersas et dissipatas, vel quominus confirmaremus in fide et bonis moribus fratres nostros et proximos. Et quia inter cætera, quæ de schismate jam facto Constantinopolitanæ Ecclesiæ, hi qui missi fuerant testabantur, maxime eamdem Ecclesiam ab Iconomachis redivivam contentionem excitantibus asserebant vexari, Christumque per singula conventicula blasphemari: duos episcoporum qui nobiscum erant, quique ad hoc tantum faciendum opus idonei nobis esse videbantur (Rodoaldum scilicet et Zachariam) una cum Ecclesia, quæ apud nos est, datis litteris Constantinopolim, tantum nimirum piaculum execrantes, e latere nostro direximus: nihil eis injungentes, nisi ut tantummodo causas Ignatii, qui ante de Ecclesia pulsus, quam ab aliquo accusatus exstiterat, diligenter investigarent: et sedi apostolicæ plena et veraci relatione referrent. Photii vero consecrationem non solum minime admittendam esse decrevimus, verum etiam ipsis legatis nostris, ne cum illo, nisi quasi cum laico, usque ad notitiam nostram communicarent frequenti ac omnimoda jussione præcipimus: solum scilicet eisdem venerabilibus Domini nostri Jesu Christi, ejusque genitricis semper virginis Mariæ, ac sanctorum ipsius imaginibus quidquid quæstio afferret, juste ac pie diffinire licentiam dantes. At illi cuntes, spretis monitis nostris, contemptis epistolis sibi a nobis coram tota Ecclesia nostra datis, imo postposito timore Dei, sicuti postea claruit, in contrarium verterunt omnia, quæ sibi fuerant imperata. Denique et cum Photio adultero, ac Ecclesiæ invasore, atque neophyto, quod sibi multipliciter prohibitum fuerat, in sacrosancta mysteria communicaverunt, et Ignatium virum senem, et sanctum, ac per duodecim annos innocenter Ecclesiam Dei regentem, et nobiscum et vobiscum, atque cum universali et orthodoxa Ecclesia communicantem, Græcorum factioni perniciosissimæ concinnantes damnaverunt, et sacerdotalibus infulis exspoliatum ab Ecclesiæ regimine modis omnibus expulerunt. Quæ sanctæ vestræ in Christo fraternitati, et piæ generalitati, quia contra nostram fuerint gesta dispositionem jamdudum significavimus. Porro præfati missi nostri tandem reversi, nil aliud renuntiavere, nisi depositum Ignatium et Photium in sede Constantinopolitana firmatum. Post duos vero dies legatus a nobis imperialis, nomine Leo, a secretis susceptus, duo volumina obtulit: quorum unum depositionis Ignatii gesta continebat, alterum autem de sanctis habebat imaginibus acta. Detulit præterea idem Leo imperiales litteras deprecantes, quatenus et in depositione Ignatii, et in confirmatione Photii, consensum præberemus et subscriberemus. At nos divina docente gratia, dum idem adesset legatus, convocata tota quæ apud nos est Ecclesia, decrevimus et statuimus, atque professi sumus coram ipso, et coram Ecclesia Dei, sicut et

(a) Hæc epistola insertis litterarum aliarum exemplis disjuncta est in tres partes; quarum *prima* hæc est in ordine nostro CVI edita; *secunda* quæ Michaeli imperatori perperam inscripta est, XLVII legitur in nostra editione et incipit his verbis: *Iis ita se habentibus; tertia* invenitur sub fine LXXXVII ad hæc verba: *hæc quidem*, usque ad illa, *fore prævidimus*. Quæ sunt ultima hujus epistolæ. Edit. Post Jaffe in *Regestis Pontificum Romanorum*.

profitemur non pro dejectione Ignatii, vel consecratione Photii, nunquam misisse, nunquam missuros esse : et in depositione Ignatii, et promotione Photii nunquam consensisse, nunquam consensuros esse. Et his sæpius dictis, et palam annuntiatis, atque in apostolatus nostri epistolis taliter insertis, et eidem Leoni a secretis imperatori Michaeli, vel Photio ad deferendum datis, hunc a nobis absolvimus. His ita vestræ sinceræ religioni ostensis, quæ scripta per singula tempora pro hac re miserimus, singillatim huic scripto inferius annexa demonstrantur. Primo etenim loco nostri apostolatus habentur epistolæ ad Michaelem piissimum imperatorem, et ad Photium Ecclesiæ Constantinopoleos invasorem per Rodoaldum et Zachariam transmissæ. Secundo loco continetur satisfactio nostra, cujus textum vestræ a Deo conservandæ generalitati dudum transmisimus. Sed ignorantes utrum ad vos usque fuerit delata, idcirco hanc vobis denuo mittendam existimavimus; qua nosse valeatis quæ fuerit super hoc negotio nostra voluntas. Tertio loco posita est epistola, quam per Leonem a secretis imperialem videlicet legatum, de quo superius diximus, post reversionem missorum nostrorum sæpefato Michaeli Augusto direximus, et ad Photium alteram. Præterea quæ subsequuntur, eo sunt ordine huic inserta volumini, quo per singula tempora gesta vel missa fuisse noscuntur.

CVII.

AD EPISCOPOS SYNODI SUESSIONICÆ.

(Anno 866.)

Hincmarum graviter perstringit, quod in causa clericorum dejectorum callide ac dissimulanter egerit, quodque Benedicti papæ litteras mutilas et corruptas proferre ausus sit. Quare episcopos iterum covenire, et clericorum historiam accurate rerscribere, clericos vero interim suis gradibus restitui jubet. Non probat autem quod Wlfadum ante plenam restitutionem ad episcopatum promoverint.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis et episcopis, qui per gratiam Dei et decretum nostrum apud Suessonicam urbem convenerunt.

Reverentissimum fratrem et coepiscopum nostrum Egilonem de vestro sacro collegio ad apostolicam pervenientem sedem, magna cum exsultatione suscepimus, et de agnita per eum omnium vestrum status incolumitate lætiores effecti, auctori grates immensas rependimus. Illud præcipue bonum atque jucundum arbitrantes, quoniam vos, fratres, sicut corpore, ita et mente in unum cohabitasse comperimus, et in dejectorum fratrum revelatione unum cor et unam animam una cum spiritu nostro possedisse cognovimus. Spiritus quippe sancti præsentiam testatur congregatio sacerdotum, et in medio sui Dominum habere se monstrant, qui in ipsius nomine conveniunt in idipsum. Nos etenim clamorem eorumdem dejectorum spernere clericorum ratio nulla sivit, et ad vociferationes eorum ad sedem apostolicam etiam sub decessoribus meis frequenter emissas, aures obturare paterna charitas non permisit. Portamus quippe onera omnium qui gravantur, quinimo hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit ac tuetur hæredes. Verum cum nonnulla scripta sedi apostolicæ diversis temporibus delata, vel etiam ab ea data, ob hujus reperiendam rei certitudinem diligenter investigaremus : accidit ut etiam, Deo revelante, acta concilii, quod auctore fratre et coepiscopo nostro Hincmaro præfatos viros segregasse dignoscitur, ab eodem venerabili antistite nobis dudum transmissa, cum actionibus pro Rothado venerabili episcopo venirent ad manus. In quibus quanta reprehensionum inveniatur congeries, si voluerimus exhibere per singula, facilius chartæ quam verba deficient. Ibi namque falsitas in ipso mox actionum invenitur principio. An non falsitas, cum sponte pervenisse dejecti illi ad ecclesiæ januas pro sua necessitate scribuntur, qui venisse probantur inviti? Præcipue cum Wlfadus ibidem non fuerit, cujus nomen inter petentium nomina fallaciter exstitit recitatum? Ibi ante tempus examinis, jam judicatum, et ante legitimum judicium, condemnatum fuisse dignoscitur. Ibi ante audientiam, et ante certum numerum collectorum episcoporum, presbyteri diaconique privationi ministeriorum suorum subduntur. Ibi metropolitanus antistes modo sua jura deponit, modo resumit : modo subest synodo, modo præest, modo quasi accusatus, modo accusator, modo judex accedit : et pro libitu propria vicibus alternantibus cuncta disponens, more cujusdam animantis, non semper unius ejusdemque coloris apparet. Ibi inquam nolentes proclamare, proclamare coguntur, et tanquam accusatores libellum proclamationis porrigere compelluntur : licet tenorem libelli juxta morem gestis frater noster Hincmarus non inseruerit, cum eisdem nonnulla minus etiam necessaria probetur inseruisse. Ibi absens, et ut illic habetur, ægrotus addicitur, et dolor super dolorem apponitur, dum absens Wlfadus libello quasi præsens ascribitur, et in lecto jacens, nunquamque reclamans, societatem habere cum præsentibus reclamatoribus falso prætenditur. In quo considerandum est quia si leges sæculi etiam de rebus pecuniariis, quæ extra nos sunt, ægrotum respondere non cogunt, quanto minus a Domini sacerdotibus infirmus quilibet compelli ad querimoniam debuit de negotio, quod in eumdem ipsum conflari dignoscebatur, et quod hunc ad depositionis casum impellere probatur? quo dolore in hac vita major ubi quæso est? Et ut strictim per omnia complectamur, ibi sola obedientia subditorum, quam Apostolus præpositis exhibere jubet, reputatur in culpam; et qui prælati judicio temere non restiterunt, sed humiliter colla supposuerunt, severissime puniuntur. Ibi qui nulla propria noxa deliquerunt, hæreticorum damnationem tanquam hæretici inciderunt, et qui misericordiam petivere, nec justum judicium percipere meruerunt. Sed quid mirum, si textus et finis ejusdem concilii accepti non sunt, quando in nomine Domini juxta morem inchoatum non est? Nam cum

Apostolo, omne quodcunque fecerimus in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu facienda præcipiente (*Col.* III), ritus ecclesiasticus in colligendis conciliis id observet, et in hoc duntaxat, abdito permittente divino judicio, fuerit prætermiss m : constat procul dubio, non eos in nomine Domini congregatos exstitisse, ac per hoc eum minime in sui medio habuisse, qui tale concilium imo conventicula sua de sanguinibus contra psalmistam congregaverunt (*Psal.* XIII), et quoddam animal imitati, nonnisi exstinctis propriis filiis posse subsistere putaverunt.

Jam vero, si idem concilium ab apostolica sede fuisse prætenditur approbatum, quemadmodum id versuta fuerit cavillatione ab apostolica sede perceptum, fraternitati vestræ breviter intimamus. Denique frater et coepiscopus noster Hincmarus, de memoratis clericis, Wlado scilicet et collegis ipsius, quod sibi visum est, consummato mox præcessori meo beatæ recordationis Leoni præsuli non semel supplices litteras misit, quatenus idem concilium approbans auctoritate apostolica roboraret. Quod ille non solum minime annuit, verum etiam agere sollicite tenuit, dicens idcirco se petitiones ejus pro confirmanda synodo, in qua depositi præfati viri fuerant, suspendisse, eo quod per aliquos ex his episcopis, qui synodo resederant, ut dubitatio foret radicitus evulsa, statuta ejusdem synodi destinare debuisset : præcipue cum ibidem legati sedis apostolicæ præsentes non fuerint. Postremo eo quod hi, quos ille auctoritate synodi affirmabat depositos, per proprias litteras sedem apostolicam appellaverint, et vellent sua se apostolica audiri præsentia, et tunc, si culpabiles invenirentur, non abnuerent canonicam sustinere censuram. Sed venerabilis Hincmarus, sciens utique concilium illud, ut supra ostensum est, reprehensionibus non paucis respersum, acta quidem illius per neminem episcoporum, qui his interfuerunt, destinavit : ut tamen firmarentur, denuo precibus agere non cessavit. Sed dejectorum iterato clamore crebescente clericorum, nec sic quod petebatur laudabilis præsul indulsit. Præcepit autem per alteram suæ sanctionis epistolam, ut idem frater Hincmarus ad concilium cum illis occurreret, ad quod suum ipse legatum, Petrum videlicet episcopum Spoletanum, e latere suo direxerat, ad renovandum videlicet judicium vice sua, et congregatis rursus, episcopis ad depositorum reclamantium, auxiliante Domino, trutinandum ac sopiendum negotium. Ita ut si eisdem dejectis clericis contigisset, ut in ipsa debuissent depositione persistere, et obedire renuissent, sedemque apostolicam iterum expetissent, ne sedis apostolicæ dissolveretur privilegium, illis ad eam veniendi non negaretur licentia. Cum quibus præcepit ut frater Hincmarus, vel missus ejus veniret : quatenus cum fratribus suis episcopis æquum de his judicium conferre potuissent, et utraque parte conveniente causas eorum eadem sedes sancta canonice definisset. Verum ille, qui prius episcopus, legatum videlicet concilii sui, sedis apostolicæ visioni subtraxerat, etiam suam audientiæ ab eo designatæ præsentiam subducens, probavit de se illa quæ dicta sunt : videlicet quod tale concilium statuerit, quale superius strictim monstratum est. Interea eo voti effectu frustrato, apostolicæ sedis pontifex Leo, qui fratris Hincmari propositum noverat, ab hac luce subtractus est. Cumque sanctæ memoriæ Benedictus, vir apostolicus, ei successisset in ordine pontificatus, rursus reverendus Hincmarus arma præparat, et eidem summo præsuli, tanquam suarum inexperto versutiarum, latenter subripit et in ipso consecrationis ejus principio suadet, ut concilium quidem ad votum unius hominis congregatum firmaret : non tamen ei ullo modo subripi aut suaderi potuit, ut a justæ diffinitionis et discretissimæ moderationis tramite vel aliquantulum declinaret : verumtamen, sicut videre est, et ipsi jam forsitan agnovistis, ita per quoddam ei privilegium concessum illius concilii roboravit institutum, ut auctoritatis summam sedi apostolicæ reservaret, et ut vobis jam scripsimus, ita tribuit honorem alteri, ut sibi quod tribuebat non demeret. Unde actum est, ut quod male petitum fuerat, Spiritu, docente Dei, bene sapiens præsul concederet, et nihil proficeret humana subreptio, ubi pectus tanti pontificis divina replebat infusio : nec obesset cujusdam suasio, ubi antistitis sancti prudens obviavit et providentissima moderatio : dum in ipso privilegio tenorem præmiserit, quod sic decretum est ab eo manenda inconvulsa quæ petebantur, si ita essent per omnia, quæ de illa synodo sibi a fratre nostro Hincmaro referebantur. Interposuit enim ancipitem in eo sententiam dicens : Si ita est nostroque ut scriptis præsulatui intimasti, et gestorum serie demonstrasti, ratas easdem, quin diffinitiones, apostolica promulgamus fore auctoritate. Licet ipse hujus tenoris circumstantiam de collati privilegii textu excipiens, et nostræ visioni subduxerit, et aliorum notioni subtraxerit. Interserens insuper quæ idem summus pontifex aut nunquam, aut aliter sanxerat. Ipse namque de memoratis diffinitionibus dixit : Ratas easdem apostolica promulgamus fore auctoritatem, semperque manere statuimus, et sequenti, quæ ipse quidem aliter posuit, frater vere Hincmarus quædam addens, plura subtrahens, vel commutans, aliter prosecutus est. Sed adhuc et in alio mira fratris Hincmari rursus accedit astutia, et soli proprio voto favens se immiscet prudentia. Denique cum apostolicæ et reverendæ memoriæ decessor noster papa Benedictus ei privilegium, de quo nunc diximus, contulisset, ita quæ in eo continentur firmavit, ut suspensam sententiam his jungeret, et ut per omnia sedi apostolicæ sua privilegia, sicut jam fati sumus, et auctoritatis propriæ jura (quem in hoc et nos quoque secuti sumus) inviolabilia reservaret : interponens præterea nodos anathematis in eos, quibus prohibendum censuit, ne quilibet contra eadem canonica constituta, et decreta pontificum Romanorum pertinaciter ob-

viasset : id est, ne quis vel contra illa, quæ fratri Hincmaro concesserat, vel quæ sedi propriæ reservarat, agere tentavissset. Sed ille, quæ horum suo libitui favere conspexit, omnium notitiæ patefecit : quæ autem sedis sunt apostolicæ reservata juri, cunctorum notioni subduxit. Testantur hoc exemplaria ejusdem privilegii, quæ ab eo sunt ad sedem apostolicam diverso tempore missa. Quantum vero talis scriptorum depravatio ac mutilatio noceat, ipsi jam potuistis advertere, qui in concilio videntes quædam ipsius constituti, sicuti vestro relatu didicimus, quædam vero non videntes, cœptum circa oppressos pium laborem deterriti minus perfectum deseruisse nunc dignosceremini, nisi nostris instructi monitis, et nostris ibidem confortati litteris inveniremini. Miserat enim sæpe memoratus antistes, egregiæ recordationis decessori meo per scripta sua, quod iidem clerici ad vicinos episcopos provocaverint, contra se libellum proclamationis dederint, judices sibi ipsi elegerint, et cætera, quæ longum est numerare, significans. At ille divinitus inspiratus, ei rescribens : Si, inquit, ita est, nostroque ut scriptis præsulatui intimasti, et gestorum serie demonstrasti (quod frater Hicmarus de textu penitus erasit), ratas easdem (subauditur diffinitiones) apostolica promulgamus, non in omnibus, ut ipse addidit, fore auctoritate, semperque manere statuimus. Deinde subjunctum est, quod ipse longe aliter mutavit scribens, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur. Nunc autem cum ita non fuisse, tam a nobis, quam a sancto concilio vestro exstiterit comprobatum, quod suggesserat merito in irritum ductum est, quod contra dejectos non simpliciter impetraverat. Sed ad propositum redeamus. Igitur tandem aliquando clericis sæpe memoratis, qui semper ad apostolicam sedem appellaverunt, etiam nobis litteris suis pro dejectione sua querimoniam exponentibus, non fuit dissimulandi, non fuit nobis tacendi libertas, quibus major cunctis Christianæ religionis zelus incumbit. Ac ideo primum quidem fratri et coepiscopo nostro Hincmaro misimus, uti commemoratos viros, Wlfadum scilicet, collegasque ipsius, clementi animo studeret ad se revocare, depositaque omni funditus animositate, de restitutione ipsorum secum fraterne tractaret, atque misericorditer consummare contenderet, alioquin ad concilium vobiscum, quibus et nos quoque pro hoc ipso scripsimus, simul occurreret ; quatenus omnes in unum convenientes, causas eorumdem clericorum examinaretis, et non aliqua emergente disceptatione, Deo præ oculis habito, diffiniretis : si vero quælibet inter partes disceptatio proveniret, ad sedem apostolicam nostrum suscepturæ speciale judicium personæ vices tenentes utriusque lateris convenirent. Quo Dei gratiæ juvamine peracto, suscepimus nunc litteras amplectendæ dilectionis omnium vestrum, manifestissime significantes, crebro memoratos clericos a totius consona voce concilii dignos graduum suorum receptione pronuntiatos ; ubi nulla, sicut eisdem litteris vestris reperimus, disceptatio provenit : nulla, sicut putatum fuerat, varietas alia atque alia defendentium accidit : nullus accusator, nullus condemnator repertus est : sed cunctorum una eademque sententia, atque in restitutione ipsorum diffinitio claruit, eisdem innoxiis a cunctorum unanimitate modis omnibus approbatis. Quanquam vos nos egeritis solemniter, minime secundum quod nos decreveramus, sedi apostolicæ plena relatione actionum seriem reserantes : adeo ut propemodum ipsius vestri concilii gestis incognitis, ad diffiniendum quid de sæpe dictorum clericorum statu pene retraheremur, nisi labor prædecessorum nostrorum, apud nos in rerum gestarum scripturis inventus, nos ad se tandem perficiendum pleniter animasset. Debuistis enim, quidquid de Ebbonis dejectione, relevatione, horum clericorum promotione, et ipsius Ebbonis iterata repulsione, ad aliamque ecclesiam migratione, vel undecunque ibi quippiam ventilatum est, nobis scripto unanimiter, pleniter, ac fideliter intimare : non solum autem nobis intimare, verum etiam monumentis insertum ad pleniorem penes nos notitiam et certitudinem reservare. Sed quia hoc negligentia prætermissum est, saltem nunc omni diligentia procurate, ut quæcunque super hac re scripta, tam a nobis prius et nunc, quam a vobis edita reperiuntur, et quid hinc coepiscopus Hincmarus, et illi dejecti clerici sedi apostolicæ suggesserint atque retulerint, in volumen unum ordine quo missa sunt redigantur, et apostolicæ sedi, ut competens est, vobis eorum exemplaribus reservatis, summo studio dirigantur. Quod cum diligenter actum fuerit, tunc profecto plene scire possumus cuncta vos in concilio strenue peregisse : et quod hactenus omissum est, hoc ordine Christo juvante recuperabitur. In quo tamen agendo venerabilem Wlfadum præ cæteris abundantiorem convenit curam arripere. Deinde vero volumus vos esse sollicitos, ut si de cætero tale quid forte contigerit evenire, pro quo conventum in regionibus vestris fieri sacerdotum præcipiamus, hoc inter cætera nulli penitus oblivioni tradatis : sed post omnia id agere majorum more studiosissime satagatis. Arridet autem huic unanimitatis vestræ sententiæ atque diffinitioni etiam fratris et coepiscopi nostri Hincmari professio : quia non solum eosdem fratres, et antea se minime ab officio suspendisse, vel judicasse, aut a gradibus ejecisse, sive in repulsione ipsorum subscripsisse ; verum etiam et nunc ad synodum, sicut nos præcepimus, convenisse, et his quæ de restitutione illorum cæteri antistites consenserunt, paratissime annuisse, et obtemperare curasse testatur, cujus etiam nomen in epistola synodica (sicut nostra relatio indicat), una cum nominibus vestris, qui simul convenisse dignoscimini, pariter ascriptum inventum est. Illud tamen ridere libuit, quod idem antistes crebro memoratos clericos ab officio se minime suspendisse, vel judicasse, aut a gradibus ejecisse fatetur : præsertim cum hæc non

veritate fulta multis esse probatur indiciis, quæ superius summatim tetigimus, et nunc ea vel plura commemorare studio brevitatis omittimus. Nam nisi ille eos, etiam ante omnem audientiam, et adhuc cum ad se non accusantes, sed misericordiam postulantes accesserint, ab officio suspendit: quid est quod in actis concilii sui, quod ipse ad sedem apostolicam misit, ab eo suspensi ab officio fuisse memorantur? quibus cum tacens nihil ipse responderit, quid aliud, nisi vera eos prosecutos, silentio suo tribuit patenter intelligi? Et e diverso illi super quo querelas suas crebro dicto sanctæ memoriæ Leoni papæ mittebant? vel quem, nisi eum, suum impulsorem a gradibus propriis, et infestum sibi, quem circa se veluti patrem benignum debebant cognoscere, frequenti relatione pandebant? Postremo nisi ille in dejectione ipsorum subscripsit, imo nisi totius depositionis eorum seriem ipse scripsit, quid est quod ei in subinde memorato privilegio, quod sibi ab apostolica sede roborari petiit, beatæ memoriæ decessor meus ad eum loquens, quod ipse diffinitiones illas in synodo cum cæteris episcopis collecta, juxta relationem utique suam propriis digitis roboraverit, manifestat? Quod si dicit, nunquam se in illa synodo subscripsisse, ergo nec decessor noster aliquam ei synodum privilegio suo firmavit? quippe cum ipse eam, quam auctoritate apostolica stabilivit, propriis digitis ipsius roboratam specialiter fuisse commemoret. Igitur fratres charissimi, nos in præfatorum clericorum restitutione gradus, omnibus hactenus argumentis rite collectis, et omnium vestrum hortatu generatis incitante consensus, omnimodam conniventiam præbere potuisse cognoscite. Sed quoniam non secundum decretum nostrum eorum examinatio mera et perfecta discussio provenit, nec promotio vel abjectio ipsorum in synodali conventu qualis fuerit, liquido reperta est, nec apostolicæ sedi sufficienti relatu monstrata: idcirco paululum a consummanda restitutione ipsorum interim deliberativum consensum nostrum coercere necessarium duximus. Verum quia in decernendo et in judicando quod canonice deliberatum est, ac in restituendis sæpe dictis clericis, atque in omnibus, Deo præduce, sicut decuit et ordo poposcit, nostra præcessit auctoritas; conveniens ac honestum est, ut juxta postulationem vestram, nostræ firmationis perfecta subsequatur integritas, eo duntaxat ordine, ut frequentius intimati clerici, qui evidentissime irregulariter ab officio graduum suorum suspensi fuisse noscuntur, et hinc sedem apostolicam sæpissime provocasse nonnullis indiciis comprobantur, ante omnia pristinis gradibus et officiis reformati consistant, ita ut prioribus redditi gradibus et ordinibus, et quodammodo suis omnibus revestiti, vires adversus impetentes se integras habeant. Non enim inermis cum armato rite conflictum inire poterit. Quibus videlicet gradibus ac officiis fruentibus eis, fratri et coepiscopo nostro Hincmaro licentia sit, intra totius hujus capedinem anni, sæpe dictos exhibere clericos ab ordinibus suis canonice fuisse dejectos; ita ut quidquid habet calumniarum, prosequendi et exsequendi sibi sit omnino facultas. Quod si totius hujus anni circuitu dilapso, contra eos nullam justam apud sedem apostolicam querimoniam composuerit, nec illos appetere de quocunque vel cujuscunque reatu, vel excessu, seu damnatione studuerit; ipsis quidem deinceps in ordinibus permanentibus, nos profecto nulli corpori dabimus operam, nec ullo pacto a summa cessabimus diligentia, donec aut ipse nunc illos juste comprobet restitutos, aut juste per se quondam ostendat remotos. Alioquin nos subsequenter exhibere procul dubio convenit, non solum sæpe fatos clericos præjudicialiter absque canone ab officio sequestratos, verum etiam ordinatorem eorum inconvenienter, ac sine consequentia ecclesiastica, regimine præsulari privatum. Quod plane præter eum nullus, ut remur, omnino dubitat, nullus profecto non prædicat, quandoquidem et nobis ita claret, quantum autumare possumus, quemadmodum his qui in illo tempore præsto fuisse memorantur.

Illud tamen, charissimi, prætereundum inter cætera fore non duximus, quod quantum relationis vestræ series innuit, minus caute quam sanximus regularia constituti nostri exsecuti sitis edicta. Nos quippe, etsi appellantium sedem apostolicam clericorum, et ad judicium ejus provocantium causam, propter amovendum a vobis prolixioris laborem itineris, illic audiri, vel etiam diffiniri statuimus: non tamen quemquam eorum promovendum, vel ad eminentiorem ordinem provehendum indulsimus, quemadmodum nunc factum esse vestro favore per scripta vestra didicimus. Miramur insuper et quærimus, quænam illa sit summa rei, quam vos nostræ auctoritati reservasse prætenditis, et hanc invenire non possumus. Quam enim nobis summam reservastis negotii, cujus adeo finem perducere maturastis, ut nobis inconsultis, etiam pastoralem restitutis conferre sollicitudinem pateremini? et qui ad eos pristino gradui reformandos nostræ auctoritatis eguistis, ad promovendum responsum nostrum nequaquam præstolari duxistis? Quantum autem filius noster Carolus gloriosus rex id a nobis exegit; sed nos vestram charitatem et honorificentiam, quos jam convenire jusseramus, merito conservantes, nullo pacto, priusquam rerum nobis exitus per vos patefieriet, consensum in hoc præbituros semper ei rescripsimus; quod, fratres, saltem ad vicem minime custodientes, laudo vos, sed in hoc non laudo. Porro si quispiam sedem apostolicam, per Sergium sanctæ memoriæ papam, Ebbonem quondam archiepiscopum indignum clericali communione sanxisse perhibet, noverit quoniam talem sedes apostolica debuit Ebbonem, donec synodali ejus examine causa discuteretur, habere, qualem ab aliis habitum non ignorabat. Statutum quippe in magna et veneranda Nicæna synodo legerat, ut de his qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laico ordine, episco-

pis per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur,ab aliis non recipiantur : requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet episcopi vitio,videatur a congregatione seclusus. Donec igitur auctoritate sua hujuscemodi pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet vitio, examinatio vel dijudicatio proveniret, apostolica sedes nihil agere debuit,nisi quod egit; videlicet ut ab aliis abjectum ipsa nequaquam indiscusse susciperet.Præcipue cum prædictus Ebbo non quasi pro depositione sua queritans, et legitime restitui volens examine præcedente sedem apostolicam appellaverit : sed, ut codex episcopalis indicat, a contumacibus suasus, et his junctus, repente et reconciliari ad ea, et pallio decorari quærens,et qnasi episcopus inter episcopos, nulla causæ discussione præveniente, communicari poscens, ad eamdem summam sedem accesserit, a qua jam reprobatus ab aliis merito debuit reprobari, donec supplex ab ea sese eanonice posceret adjuvari. Nam constat, ut sanctus papa scribit Gelasius (*epist. 11 ad Dardanos*), uniuscujusque synodi constitutum,quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exsequi sedem præ cæteris oportere,quam primam,quæ et unamquamque synodum et sua auctoritate confirmat,et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper et retinet.Verumtamen qualiscunque fuerit, vel quæcunque pertulerit Ebbo, a se ordinatis, qui nihil præter humilitatem et obedientiam exhibuerunt, nullum prorsus intulit offendiculum,quoniam et beatissimus Leo ad Mauros scribens,ita de quodam Maximo præcipit dicens (*Epist.* 91) :Maximum quoque, licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista jam non est,et a spiritu schismaticæ pravitatis alienus est,ab episcopali, quam quoquomodo adeptus est, non repellimus dignitate.Et Anastasius ejusdem apostolicæ sedis præsul, quod mali bona ministrando sibi tantummodo noceant, nec ecclesiæ sacramenta commaculent, ad Anastasium principem scribens evidentissima ratione demonstrat. Oramus sanctam fraternitatem vestram in Christo nunc et semper valere. Data VIII Idus Decembris, indictione XV.

CVIII.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 866.)

Ejusdem argumenti cum præcedente. Hincmari enim fraudes aperit circa clericos dejectos, et circa litteras Benedicti papæ. Sub finem etiam arguit quod pallio concessum ultra modum uti diceretur.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro HINCMARO archiepiscopo Rhemensi.

Epistolam beatitudinis tuæ cum epistola synodi missam per legatum ejusdem vestri sacrati collegii, Egilonem videlicet fratrem et coepiscopum nostrum, suscipientes, et tam ex ipsis epistolis, quam ex verbis ejusdem venerabilis viri, devotionem et supplicem parentiam tuam,quam erga sedem apostolicam habes, etiam nunc agnovimus, perpetuamque benevolentiam tuam,quam circa dejectos fratres et filios alacriter exhibuisse te dicis, laudamus,nimirum qui et secundum apostolum flevisse te cum flentibus indicas,et nunc gaudere cum gaudentibus manifestas (*Rom.* XII). Quorum et nos quoque clamorem clericorum spernere ratio nulla sivit, et ad vociferationes eorum ad sedem apostolicam etiam sub decessoribus meis frequenter emissas, aures obturare paterna charitas non permisit. Portamus quippe onera omnium qui gravantur :quinimo hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus,administrationis suæ protegit ac tuetur hæredes. Verum cum nonnulla scripta sedi apostolicæ diversis temporibus delata, vel etiam ab ea data,ob hujus reperiendam rei certitudinem diligenter investigaremus : accidit ut etiam Deo revelante acta concilii, quod auctore te præfatos viros segregasse dignoscitur, a te nobis dudum transmissa cum actionibus pro Rothado venerabili episcopo, venirent ad manus. In quibus quanta reprehensionum inveniatur congeries,si voluerimus exhibere per singula,facilius chartæ quam verba deficient. Ibi namque falsitas in ipso mox actionum invenitur principio. An non falsitas,cum sponte pervenisse dejectos illos ad ecclesiæ januas pro sua necessitate ipse describas,quivenisseprobantur inviti ?præcipue cum Wlfadus ibidem non fuerit, cujus nomen inter petentium nomina fallaciter exstitit recitatum ?Ibi ante tempus examinis jam judicatum, et ante legitimum judicium condemnatum fuisse dignoscitur.Ibi ante audientiam,et ante certum numerum collectorum episcoporum presbyteri diaconique privationi ministeriorum suorum subduntur. Ibi metropolitanus antistes modo sua jura deponit, modo resumit :modo subest synodo,modo præest : modo quasi accusatus, modo accusator : modo judex accedit, et pro libitu proprio vicibus alternantibus cuncta disponens, more cujusdam animantis,non semper unius ejusdemque coloris apparet.Ibi, inquam,nolentes proclamare,proclamare coguntur, et tanquam accusatores libellum proclamationis porrigere compelluntur, licet tenorem libelli juxta morem gestis non inserueris,cum eisdem nonnulla minus etiam necessaria proberis inseruisse. Ibi absens, et ut illic habetur ægrotus addicitur, et dolor super dolorem apponitur; dum absens Wlfadus libello quasi præsens ascribitur, et in lecto jacens nunquamque reclamans, societatem habere cum præsentibus reclamatoribus falso prætenditur. In quo considerandum est, quia si leges sæculi etiam de rebus pecuniariis, quæ extra nos sunt, ægrotum respondere non cogunt, quanto minus a Domini sacerdotibus infirmus quilibet compelli ad querimoniam debuit de negotio, quod in eumdem ipsum conflari dignoscebatur, et quod

nunc ad depositionis casum impellere probabatur, quo dolore in hac vita major ubi quæso est? Et ut strictim pene omnia complectamur, ibi sola obedientia subditorum, quam Apostolus præpositis exhibere jubet (*Hebr.* XIII), reputatur in culpam, et qui prælati judicio temere non restiterunt, sed humiliter colla supposuerunt, severissime puniuntur. Ibi qui nulla propria noxa deliquerunt, hæreticorum damnationem tanquam hæretici inciderunt, et qui misericordiam petiverunt, nec justum judicium percipere meruerunt. Sed quid mirum, si textus et finis ejusdem concillii accepti non sunt, quando in nomine Domini juxta morem inchoatum non est? Nam cum Apostolo, omne quodcunque fecerimus Deo in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu facienda præcipiente (*Col.* I I), ritus ecclesiasticus in colligendis conciliis id observet, et in hoc duntaxat, abdito permittente divino judicio, fuerit prætermissum: constat procul dubio, non eos in nomine Domini congregatos exstitisse, ac per hoc eum minime in sui medio habuisse, qui tale concilium, imo conventicula sua de sanguinibus contra Psalmistam congregaverunt (*Psal.* XV), et quoddam animal imitati, non nisi exstinctis propriis filiis posse subsistere putaverunt. Jam vero si idem concilium ab apostolica sede prætenditur fuisse approbatum, quemadmodum id versuta fuerit cavillatione ab apostolica sede præceptum, fraternitas tua non nescit. Denique de memoratis clericis, Wlfado scilicet et collegis ipsius, quod tibi visum est, consummato, mox præcessori meo beatæ recordationis Leoni præsuli non semel supplices litteras misisti, quatenus idem concilium approbans, auctoritate apostolica roboraret. Quod ille non solum minime annuit, verum etiam agere sollicite renuit, dicens: Idcirco se petitiones tuas pro confirmanda synodo, in qua depositi præfati viri fuerant, suspendisse, eo quod per aliquos ex his episcopis, qui in synodo resederant, ut dubitatio foret radicitus evulsa, statuta ejusdem synodi destinare debuisses, præcipue cum ibidem legati sedis apostolicæ præsentes non fuerint. Postremo quod hi, quos tu auctoritate synodi affirmabas depositos per proprias litteras ad sedem apostolicam appellaverint, et vellent iterum sua se apostolica audiri præsentia, et tunc si culpabiles invenirentur, non abnuerent catholicam sustinere censuram. Sed venerabilitas tua sciens utique concilium istud, ut supra ostensum est, reprehensionibus non paucis respersum, acta quidem illius per neminem episcoporum, qui his interfuerant destinavit: ut tamen firmarentur, denuo precibus agere non cessavit. Sed dejectorum iterato clamore crebrescente clericorum, nec sic quod petebatur laudabilis præsul indulsit. Præcepit autem per alteram suæ sanctionis epistolam, ut ipse ad concilium cum illis occurreres, ad quod suum ipse legatum, Petrum videlicet episcopum Spoletanum, e latere suo direxerat: ad renovandum scilicet judicium vice sua, et congregatis rursus episcopis ad deposi- A torum reclamantium auxiliante Domino trutinandum ac sopiendum negotium. Ita ut sieisdem dejectis clericis contigisset, ut in ipsa debuissent depositione persistere, et obedire renuissent, sedemque apostolicam iterum expetissent, ne ipsius apostolicæ sedis dissolveretur privilegium, illis ad eam veniendi non negaretur licentia. Cum quibus præcepit ut tua fraternitas vel missus ejus veniret: quatenus cum fratribus suis episcopis æquum de his judicium conferre potuisset, et utraque parte conveniente, causas eorum eadem sancta sedes canonice definisset. Verum qui prius episcopum, legatum videlicet concilii tui sedis apostolicæ visioni subtraxeras, etiam tuam audientiæ ab ea designatæ præsentiam subducens, probasti de te illa quæ dicta sunt: videlicet quod tale concilium statueris, quale superius monstratum B est. Interea te voti effectu frustrato, apostolicæ sedis et beatæ recordationis pontifex Leo, qui fraternitatis tuæ propositum noverat, ab hac luce subtractus est. Cumque sanctæ memoriæ Benedictus vir apostolicus ei successisset in ordine pontificatus, rursus reverentia tua arma præparat, et eidem summo præsuli, tanquam suarum inexperto versutiarum, latenter subripit, et in ipso consecrationis ipsius principio suadet, ut concilium quidem ad votum unius hominis congregatum firmaret: non tamen ei nullo modo subripi aut suaderi potuit, uta justæ definitionis et discretissimæ moderationis tramite vel aliquantulum declinaret. Nam sicut videre est, et ipse liquido nosti, qui ejusdem privilegii paginam penes te habere repositam dignosceris, ita C per privilegium tibi concessum illius concilii roboravit institutum, ut auctoritatis summam sedi apostolicæ reservaret. Unde actum est, ut quod male petitum fuerat, Spiritu docente Dei, bene sapiens præsul concederet; et nihil proficeret humana subreptio, ubi pectus tanti pontificis divina repiebat infusio: nec obesset cujusquam suasio, ubi antistitis sancti prudens obviavit et providentissima moderatio; dum in ipso privilegio tenorem præmiserit, quod sic decretum est ab eo manenda inconvulsa quæ petebantur, si ita essent per omnia, quæ de illa synodo sibi a sanctitate tua referebantur. Interposuit enim ancipitem in eo sententiam dicens: Si ita est, nostroque ut scriptis præsulatui intimasti, et gestorum serie demonstrasti, ratas easdem, quin D diffinitiones, apostolica promulgamus fore auctoritate. Licet tu hujus tenoris circumstantiam de collati privilegii textu minus simpliciter excipiens, et nostræ visioni subduxeris, et aliorum notioni subtraxeris: interserens insuper quæ ille aut nunquam, aut aliter sanxerat. Ipse namque de memoratis definitionibus dixit: Ratas easdem apostolica promulgamus fore auctoritate, semperque manere statuimus, et sequentia. Quæ ipse quidem aliter posuit: ut vero addens atque commutans prosecutus es, dicens: Ratas easdem apostolica promulgamus in omnibus fore auctoritate, semperque manere statuimus, ut inde quæstio nullis aliquando temporibus

eriatur.Quod quantum inter se discreperet,videlicet quod ille promulgavit, et quod tu minuisti,vel adjecisti,vel mutasti, ipse perpendis. Sed adhuc et in alio mira fraternitatis tuæ accedit astutia, et soli proprio voto favens se immiscet prudentia.Denique cum apostolicæ sanctitatis atque memoriæ idem decessor noster papa Benedictus tibi privilegium, de quo nunc diximus, contulisset, ita quæ in eo continentur firmavit,ut suspensam sententiam his jungeret,et ut per omnia sedi apostolicæ sua privilegia, sicut jam fati sumus,et auctoritatis propriæ jura (quæ in hoc et nos quoque secuti sumus), inviolabilia reservaret. Interponens præterea nodos anathematisin eos,quibusprohibendum censuit, ne quilibet contra eadem canonica constituta et decreta pontificum Romanorum pertinaciter obviasset, id est, ne quis contra illa quæ tibi concesserat, vel quæ sedi propriæ reservarat, agere tentavisset. Sed tu quæ horum tuo libitui favere conspexisti, omnium notitiæ patefecisti : quæ autem sedis sunt apostolicæ reservata juri, cunctorum notioni subduxisti.Testantur hoc exemplaria ejusdem privilegii,quæ sunt ad sedem apostolicam diverso tempore missa. Quantum vero talis scriptorum depravatio aut mutilatio noceat,ipsejam potuisti cum fratribus et coepiscopis tuis advertere,qui in concilio videntes quædam ipsius constituti, sicut relatu ipsorum didicimus, quædam vero non videntes, cœptum circa oppressos pium laborem deterriti minus perfectum deseruisse nunc dignoscerentur,nisi nostris instructi monitis,et nostris ibidem confortati litteris invenirentur.Quamobrem jure fortassis te fraudis aliquid in talibus committere fateri possemus, nisi reverentiæ tuæ, quod ipse non speras, parcere nostra moderatio studuisset. Siquidem relationum detruncatio, non solum cognitionem ab hominibus subtrahit,verum etiam audientes in errorem inducit. Ecce enim dicimus : Justus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo : unde si una sola syllaba subtrahitur, blasphemia protinus in Deum sine cunctatione committitur.Si ergo unius syllabæ tantum in Deum piaculum gignit ablatio, quantum putas tot potest dictionum recisio ignorantibus generare dispendium?Quamvis sit in hoc facto et aliud quoque subtiliter considerandum. Nam cum anathematis interpositio, non solum illos, qui contra beneficia tibi concessa committunt,verum etiam et hos,qui jura sedis apostolicæ temere dissolvunt, complectendo percellat,et tu ipsam interpositionem anathematis, quæ ad sedis apostolicæ pertinent privilegia tacens, post textum præceptionis tibi coneessæ, in eo duntaxat quod te mulcet commemoraveris, aperte claret te nos hujusmodi argumento callide tetigisse : cum profecto liqueat, sic illud vinculum anathematis decessoris nostri decretum non observantes percellere, ut tamen jus apostolicæ sedis semper maneat illibatum ; et si ita esse quod suggerebatur, foret per omnia comprobatum. Quod ergo nos in causa dejectorum egimus clericorum, a sedis apostolicæ pertinet privilegium, ac per hoc merito inde sumus, immunes.Tu vero violationis ejusdem privilegii haberis obnoxius : qui pulsis illis clericis ad sedem apostolicam provocantibus,manum obicem subdole præparasse cerneris, ac per hoc illatam in eodem constituto anathematis pœnam convenientius incidisse crederis. Videlicet eum talem crebro dicti privilegii textum et tenorem additione, detruncatione,ac mutatione tua cunctis ostenderis,ut merito subinde memoratis clericis metum et desperationem posset incutere, ac eos ab inchoata reclamationis voce prorsus avertere. Nam cum nobis, quos nosti utique prisco Ecclesiæ Romanæ more in regestis exemplaria scriptorum,quæ a sede dantur apostolica,reservare,et quos conjicere potuisti, cum tempore decessoris mei darentur,ea etiam præsentialiter intuitos esse, sic mutilatum et depravatum idem institutum mittere non formidaveris, quam depravatum et defraudatum nullam hujusexperientiam habentibus ad subversionem vim patientium forsitan exhibuisti ?Quam profecto rem magnopere, frater charissime,fugere debuisti : veritus videlicet, ne si non adversus sæpe dictum tibi collatum privilegium, vel contra principale sedis apostolicæ jus agere videreris, saltem ne in aliquo ipse falsarius, quod absit,a sacerdotali verecundia reperireris.Misisti enim egregiæ recordationis decesseri meo per scripta tua,quod iidem clerici ad vicinos episcopos provocaverint, contra te libellum proclamationis dederint, judices sibi ipsi elegerint, et cætera quæ longum est dinumerare significans.At ille divinitus inspiratus tibi rescribens : Si,inquit, ita est, nostroque ut scriptis præsulatui intimasti,et gestorum serie demonstrasti, (quod tu de textu penitus erasisti) ratas easdem (subauditur diffinitiones) apostolica promulgamus,non in omnibus,ut ipse addidisti, fore auctoritate, semperque manere statuimus. Deinde subjunctum est, quod tu longe aliter mutasti scribens,ut inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur. Nunc autem cum ita non fuisse,tam a nobis,quam a sancto concilio vestro fuerit comprobatum,quod dudum suggesseras,merito in irritum ductum est, quod contra dejectos non simpliciter impetraveras. Sed ad propositum redeamus. Igitur tandem aliquando clericis sæpe memoratis,qui semper ad apostolicam sedem appellaverunt,etiam nobis litteris suis pro dejectione suæ querimoniam exponentibus,non fuit dissimulandi,non fuit nobis tacendi libertas, quibus major cunctis Christianæ religionis zelus incumbit. Ac ideo primum tibi misimus, uti commemoratos viros, Wlfadum scilicet, collegasque ipsius, clementi animo studeres ad te revocare,depositaque omni funditus animositate,de restitutione ipsorum tecum fraterne tractares,atque misericorditer consummare contenderes, alioquin ad concilium cum cæteris in illis regionibus constitutis archiepiscopis et episcopis,quibus et nos quoque pro hoc ipso scripsimus, simul occurreres,

quatenus omnes in unum convenientes causas eorumdem clericorum examineretis, et non aliqua emergente disceptatione, Deo præ oculis habito diffiniretis. Si vero quælibet inter partes disceptatio proveniret, ad sedem apostolicam, nostrum suscepturæ speciale judicium personæ vices tenentes utriusque lateris convenirent. Quo Dei gratiæ juvamine peracto, suscepimus nunc litteras amplectendæ dilectionis omnium vestrum, manifestissime significantes, crebro memoratos clericos a totius consona voce concilii dignos graduum suorum receptione pronuntiatos. Uhi nulla, sicut eisdem litteris vestris reperimus, disceptatio provenit, nulla, sicut putatum fuerat, varietas alia atque alia defendentium accidit ; nullus accusator, nullus condemnator repertus est : sed cunctorum una eademque sententia, atque in restitutione ipsorum diffinitio claruit, eisdem innoxiis a cunctorum unanimitate modis omnibus approbatis. Ergo si innoxii sunt illi quondam depositi ab unanimitate omnium approbati qui deposuerant quomodo sunt innoxii jure, nescimus. Arridet autem hujus unanimitatis vestræ sententiæ, atque diffinitioni, etiam tua, quamvis non simplex, submissa tamen professio, qua non solum eosdem fratres, et antea te minime ab officio suspendisse, vel judicasse, aut a gradibus ejecisse sive in repulsione ipsorum subscripsisse, verum etiam et nunc ad synodum, sicut nos præcepimus, convenisse, et his quæ de restitutione illorum cæteri antistites consenserunt, paratissime annuisse, et obtemperare curasse testaris. Cujus etiam nomen in epistola synodica, sicut ejus relatio indicat, una cum convenientium fratrum et consacerdotum nominibus pariter ascriptum inventum est.

Illud tamen ridere libuit, quod fraternitas tua crebro memoratos clericos ab officio se minime suspendisse, vel judicasse, aut a gradibus ejecisse fatetur : præsertim cum hæc non veritate fulta multis etiam probentur indiciis. Sed quamvis superius summatim tetigissemus quæ gesta sunt, nolumus tamen hæc pleniter exaggerare, ne compellamur quæ digna sunt judicare. Nam nisi tu illos, etiam ante omnem audientiam, et adhuc cum ad te non accusantes, sed misericordiam postulantes accesserint, ab officio suspendisti ; quid est quod in actis concilii tui, quod ipse ad sedem apostolicam misisti, a te suspensi ab officio fuisse memorantur? Quibus cum tacens nihil ipse responderis, quid aliud nisi vera eos prosecutos silentio tuo tribuisti patenter intelligi? Et e diverso illi super quo querelas suas crebro dictæ sanctæ memoriæ Leoni papæ mittebant, vel quem nisi te suum impulsorem a gradibus propriis, infestum sibi, quem circa se veluti patrem benignum debebant cognoscere, frequenti relatione pandebant? Postremo, nisi tu in dejectione ipsorum subscripsisti, imo nisi totius depositionis eorum seriem ipse scripsisti ; quid est quod in subinde memorato privilegio, quod tibi ab apostolica sede roborari petisti, beatæ memoriæ decessor meus ad te loquens, quod tu diffinitiones illas in synodo cum cæteris episcopis collecta, juxta relationem utique tuam, propriis digitis roboraveris, manifestat? Quod si dicis, unquam te in illa synodo subscripsisse, ergo nec decessor noster aliquam tibi synodum privilegio suo firmavit. Quippe cum ipse eam, quam auctoritate apostolica stabilivit, propriis digitis tuis te specialiter roborasse commemoret.

Jam vero, quod in epistola tua nobis scripsisti, dicens eorumdem clericorum salubrem ac regularem statum et cupisse te et cupere, et quæsisse et quærere, quis audiens eorum qui cursum negotii vel controversiæ hujus novit, non miretur, et non obstupescat? Porro si cupisti, ubi est certamen, quod pro eorum, ut pote filiorum, recuperatione sumpsisti : Et si quæsisti, ubi apparet? ubi datur saltem intelligi? Verum ostende tu nobis quando statum eorum cupiveris, vel quæsieris, et nos ostendemus tibi prolixitate dimissa breviter, quod non statum, sed casum semper eorum cupiveris et quæsiveris. Nam quid est quod obtinere modo legatis, modo litteris, apud decessores meos, Leonem scilicet et Benedictum beatæ recordationis pontifices te cupere et quærere significas, nisi ut eorum quidem dejectio firmetur, restitutio vero nunquam speretur, casus perpetuo roboretur, status aliquando minime reformetur? Ecce quomodo statum eorum cupivisti, ecce quomodo statum quæsisti. Sed dicis fortasse, te non qualemcunque statum eorum, sed salubrem ac regularem cupivisse atque quæsisse. Verum vel hoc quibusvis exhibe testibus, aut quibus cupis ostende probationibus. Nam tua, nec alia quæ penes nos rejacent, de te tale quid indicant scripta ; cum potius ad omnimodam ruinam ipsorum affectum tuum jugiter intentum fuisse patenter insinuent. Ad extremum, si tu eos non dejecisti, quare non cum tui fuerint erexisti? Jam vero, si et id tua sola auctoritate agere nequivisti, quare pro eis apostolicæ sedis auctoritatem non petivisti? quam sic contra eos utinam non petisses. Si quidem ubi est dolor, quem pro eis, ut pote pro filiis, incurristi? ubi est saltem modicus labor, quem pro restituendis illis clementer arripuisti? Quamvis forte verum sit, quod te dejectioni eorum condoluisse et statui gaudere testaris : hoc duntaxat modo, ut sicut de dejectione ipsorum condoluceras, ita nunc de statu congaudeas, quia videlicet nec tunc casui eorum condoluisti, nec nunc statui fortasse congaudes. Sed inter hæc libet ad epistolæ tuæ verba intuitum mentis inflectere, et quam nobis non simpliciter scripseris, strictim ostendere. Indecens quippe est, licet te non pudeat, sedi apostolicæ subdole scribere, nisi astutiæ tuæ argumenta ipsa valeat comprehendere. In illa namque epistolæ tuæ constantia, nihil de abjectione clericorum eorum commemorasti ; et quam injuste fuerint depositi, nihil penitus demonstrati : cum te oportuerit eosdem profiteri clericos, pro consecratione sibi per Ebbonem collata, nullam sui gradus pati debuisse jacturam. Præsertim cum ipse cum cæ-

teris fratribus et coepiscopis tuis in synodica epistola, quam ad sedem apostolicam communiter misistis, Ebbonem solam [*forte*, solum, HARD.] iram principis in sua qualicunque dicta damnatione incurrisse profitearis. Verum si ita sacros canones intellexisti, cum illos judicasti, saltem hoc ipsum diceres, et quod hinc nos censuissemus, ut pote majoris auctoritatis, amplecti contenderes. Per talem enim confessionem, quam Ebbo fecisse prætenditur, nemo canonicæ damnationi subjicitur. Quod si tu taces, nos silere non possumus, et quod omnes injustum fatentur, ipse justum, quantislibet utaris argumentis, probare non poteris. Quod si formidatum est, ne injusta damnatio eorum in discrimen redundaret auctoris, et ideo quod injuste fuerit prolata taceatur, non congruum initur consilium. Facilius quippe veniam quis veritate, quam exquisitis et minus aptis adinventionibus impetrat. Præsertim cum veritas liberet, mendacium vero perdat, maxime cum non sit timendum, ubi timor non est : nec agnoveris nos talem circa te gestare dilectionis affectum, ut quid te velimus incurrere detrimenti, cum potius tui semper avidi fuerimus augmenti. Nam et Ebbonis causa, et istorum clericorum negotium, quæ prima transierunt, ut tibi cautelam non discrimen tribuant, anhelamus. Regiam quippe viam tenentes, sic illis prodesse decrevimus, ut tuæ sanctitati obesse nullo modo videremur : sicque rursum securitatem tibi super hoc præbemus, ut clericis crebro dictis hanc nullatenus adimamus. Ad ultimum vero, epistola, quæ nobis a te nunc missa dicitur, utrum tua fuerit, convenienter ambigitur; cum nec legatum tuum, qui hanc a te nobis transmissam ediceret, direxeris, nec eam sigillo tuo secundum morem signare studueris. Unde mirandum est, cum in dejectionem ipsorum clericorum etiam volumen non breve composueris, quamobrem in restitutionem saltem unam epistolam simplicem non edideris. In quo apparet, quantum ibi alacritatis, quantum hic desidiæ studium fuerit. Quamvis hæc ne nos arbitreris ad discrimen quodlibet tuæ sanctitatis vel dignitatis exaggerasse, cum meliora esse vulnera diligentis, quam fraudulenta odii oscula non nescias : sed ne adeo in privilegiorum tuorum defensionem vel elationem immoderatius erigaris, ut apostolicæ sedis jura quoquomodo temere tetigisse videaris (dist. 8 : *Mala consuetudo*). Nam mala consuetudo, quæ non minus, quam perniciosa corruptela vitanda est, nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur : et incipiunt prævaricationes et variæ præsumptiones, celerrime non compressæ pro legibus venerari, et privilegiorum more perpetuo celebrari. Igitur nos in præfatorum clericorum restitutione gradus, omnibus hactenus argumentis rite collectis, et omnium vestrum hortatu generalis incitante consensus, omnimodam conniventiam præbere potuisse cognosce. Sed quoniam non secundum decretum nostrum eorum examinatio mera et perfecta discussio provenit, nec promotio vel abjectio ipsorum in synodali conventu qualis fuerit liquido reperta est, nec apostolicæ sedi sufficienti relatu monstrata, idcirco paululum a consummanda restitutione ipsorum interim deliberativum consensum nostrum coercere necessarium duximus. Verum quia in decernendo, et in judicando quod canonice deliberatum est, ac in restituendis sæpe dictis clericis, atque in omnibus, Deo præduce, sicut decuit, et ordo poposcit, nostra præcessit auctoritas : conveniens ac honestum est, ut juxta postulationem vestram, nostræ firmationis perfecta subsequatur integritas : eo duntaxat ordine, ut frequentius intimati clerici, qui evidentissime irregulariter ab officio graduum suorum suspensi fuisse noscuntur, et hinc sedem apostolicam sæpissime provocasse nonnullis indiciis comprobantur; ante omnia pristinis gradibus et officiis reformati consistant : ita ut prioribus redditi gradibus et ordinibus, et quodam modo suis omnibus revestiti, vires adversus impetentes se integras habeant. Non enim inermis cum armato rite conflictum inire potest. Quibus videlicet gradibus ac officiis fruentibus eis fraternitati tuæ licentia sit, intra totius hujus capedinem anni sæpe dictos exhibere clericos ab ordinibus suis canonice fuisse dejectos : ita ut quidquid habes adversus eos calumniarum prosequendi et exsequendi tibi sit omnino facultas. Quod si totius hujus anni circuitu dilapso, contra eos nullam justam apud sedem apostolicam quærimoniam composueris, nec illos appetere de quocunque vel cujuscunque reatu vel excessu seu damnatione studueris, ipsis quidem deinceps suis ordinibus permanentibus, non profecto nulli torpori dabimus operam, nec ullo pacto a summa cessabimus diligentia, donec aut tu juste nunc illos comprobes restitutos, aut juste per te quondam ostendas remotos. Alioquin nos subsequenter exhibere procul dubio convenit, non solum sæpe fatos clericos præjudicialiter absque canone ab officio sequestratos, verum etiam ordinatorem eorum inconvenienter ac sine consequentia ecclesiastica regimine præsulari privatum : quod plane præter te nullus, ut remur, omnino dubitat, nullus profecto non prædicat, quandoquidem et nobis ita claret, quantum autumare possumus, quemadmodum his qui illo in tempore præsto fuisse memorantur. Postremo scire te volumus, nostris auribus intimatum esse, fraternitatem tuam non certis temporibus, et juxta morem aliis metropolitanis antistitibus definitis, pallio a sede apostolica concesso uti. Quod valde displicet, si id a sanctitate tua fuerit elate commissum, ut humilitatis oblita cæteris fratribus suis studeat videri sublimior : quamvis hoc non ad inanem gloriam utendum sit, sed ad ornatum cunctarum virtutum gestandum. Quod bene tempore quo ipsius pallii usum a sede apostolica percepisti, scripto paginæ more solito tibi ostensum atque perceptum est. Cujus usus si fraternitati tuæ a sede apostolica omni tempore concessus est, licet sit præter Ecclesiæ consuetudinem perceptus, ac per hoc rationabi-

liter amittendus (nam privilegium meretur, ut sanctus papa Simplicius scribit, amittere, qui concessa sibi abutitur potestate), tamen his nostris admonitus competentor affatibus, stude ita modeste hoc uti, ut nec elatio mentis invadat, nec jactantia inflet, nec vana gloria vulneret, nec nodum propriæ dignitatis excedat, nec temperantia, sine qua cæteræ virtutes imperfectæ consistunt, oblivioni tradatur. Optamus fraternitatem vestram nunc et semper bene valere. Data VIII Idus Decembris, indictione XV.

CIX.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 866.)

Respondet ad superiores ejus litteras de gestis in synodo Suessionensi.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilecte filio CAROLO glorioso regi.

Cum talem se gloria vertra circa nos semper exhibeat, et frequentibus vel litteris vel legatis missis erga pontificium nostrum devotæ visitationis cultum impendat, et decretis nostris obedientiæ sublimia colla gratanti facilitate submittat: nonnisi beatum Petrum apostolum dilectorem suum, cujus locum meritis oppido discrepantes observamus, in nobis honorare se debet pro certo cognoscere: imo Deum in suo apostolo venerari, qui et sanctis suis tantam gloriam tribuit, et nos sollicitudinis eorum hæredes ac successores esse constituit. Sed et nos gratiarum actiones condignas promptæ devotioni vestræ referentes, multo magis ejus omnipotentiæ, per quem et pro cujus nomine talia gerantur, laudes assidue persolvere non cessamus. De cætero, fili charissime, grates piæ benignitati vestræ rependimus, quoniam totum desiderium suum colligens in dejectorum clericorum recuperando statu, studuit delere noxam, quam in depositione ipsorum consensum præbendo contraxerat. Et credimus quod superet merces alacritatis, quam nunc habuistis in receptione, delictum quod commiseratis in eorum dudum repulsione: quoniam istud Dei amore, illud hominis subreptione patratum est. Verumtamen hortamur, et sicut dilectum filium admonemus, cavere vos ne talibus de cætero conniventiam facile tribuatis: quoniam quod hodie committitur, utrum ad emendationem pervenire quandoque valeat ignoratur. Illud præterea commemorare libet, quod inter alia epistolæ vestræ de fratre et coepiscopo nostro Hincmaro textus enuntiat, dicens videlicet, quod omnino consequenter cum reliquis consacerdotibus omnino explere acceleraret, nisi juxta privilegium decessoris nostri domni Benedicti, et nostrum, summam nobis reservandam cœpti de restitutione docerent negotii. Quorum scilicet privilegiorum tenorem si non suatim frater Hincmarus partim celasset, et quædam, quæ illic habentur inserta, quadam astutia cognitioni communi negasset, neminem putamus privilegia nostra a sedis apostolicæ institutis, vel ab obedientia quam exigimus, avertissent. Non enim nos inobedientiam prædicavimus, vel ne obtemperaretur decretis sedis apostolicæ definivimus: cum potius eisdem testantibus privilegiis, salvo Romanæ sedis in omnibus jussu atque judicio, synodum, quam ille pro clericorum dejectione memoratorum collegerat, stabiliter esse manendam censuerimus: et ea conditione ipsius privilegii tenorem ei firmaverimus, si nunquam ille a sedis apostolicæ præceptionibus aliquo tempore discrepasset. Frustra ergo privilegia a sede sibi apostolica concessa, ne sanctiones explere nostras acceleraret, asseverat impedisse: cum constet potius, ut ipsorum textus insinuat, quo magis ad obediendum nobis acceleraret, ea hunc multipliciter admonuisse: atque si rata, quæ sibi collata fuerant, circa se sentire voluisset, ad obtemperandum institutis nostris se illa plenius ac abundantius incitasse. Gloriosissimæ præterea charitati vestræ denuo pro Balduino gratias agimus, denuo circa eum exhibitum tantum inclinem vestræ devotionis affectum laudamus, denuo quod deest, oblatis pro eo petitionibus nostris, suppleri per pietatis vestræ munificentiam deprecamur. Justum enim est, ut bonum, quod pro divinitatis respectu nobis intervenientibus cœpistis, ut obedientiæ ac dapsilitatis vestræ, atque clementiæ merces perfecta sit consummare benevole satagatis. De cætero, charissime, vigil esto, et solerter intentus circa sanctam Romanam Ecclesiam, et erga sedem apostolicam, quemadmodum Dei cultores parentes vestros exstitisse nonnulla scripta et probabiles viri testantur: quoniam illæ penitus vestri, dilectorumque vestrorum, penes apostolorum confessiones nullo modo poterunt oblivisci. De restitutis vero clericis quid decreverimus, epistola nostra fratri et coepiscopo nostro Hincmaro missa recitata sapientiæ vestræ auribus poterit intimare. Optamus excellentiam vestram in Christo nunc et semper bene valere, dilectissime fili. Data VIII Idus Decembris, indictione XV.

CX.

(a) AD WLFADUM CLERICUM RHEMENSEM, ET SOCIOS.

(Anno 866.)

Gratulatur de ipsorum restitutione, quam ratam habet, monetque ne injurias ulciscantur, et ut Hincmaro præsertim reverentiam exhibeant.

(Apud Mansi, *ibid.*)

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus clericis Wlfado scilicet et cæteris qui cum eo dudum depositi, nunc vero decreto sedis apostolicæ ac synodali promulgatione restituti Deo auctore consistunt.

Divinæ miserationis plenitudinem neminem velle perire, nec de sacrato numero gregis sui casu quolibet decidere, nullus, qui divitias bonitatis ejus considerat, prorsus ignorat, cum etiam proprio Filio non perpecerit, sed pro nobis omnibus tradiderit illum (*Rom.* VIII): cujus ovis, quæ perierat, pietatis humeris reportatur ad gregem; cujusque clementiæ laum, in qua gratias agunt de sua restitutione, petuntque ut sibi altiores gradus provehi liceat. JAC. SIRM.

(a) *Ad Wlfadum et socios.* Wlfadi vicissim et sociorum in codice Laudunensi exstat epistola ad Nico-

viscera nos quoque pro modulo nostro sectantes, non passi sumus voces vestras diu contemnere, nec super contritione ac gemitu vestro compassionis aures obstruere, nec dejectionem, quam a fratre et coepiscopo nostro Hincmaro,seu cæteris episcopis, nullius æquitatis censura pertulistis, sine iteratæ ventilationis examine præterire. Ideoque jussimus fratrum et coepiscoporum nostrorum Galliæ, Neustriæ, vel Germaniæ synodum celebrari, et causam vestram in eodem venerando concilio examinari et non aliqua emersa disceptatione,Deo præ oculis habito, definiri. Quo Dei gratiæ juvamine peracto suscepimus nuno litteras synodi, relationem omnium continentes episcoporum, vos innoxios eunctorum unanimitate comprobatos, et a totius consona voce concilii dignos graduum vestrorum reeeptione pronuntiatos, manifestissime referentes. Ubi nulla disceptatio,nulla varietas alia atque alia defendentium, nullus accusator vel condemnator inventus est; sed eunctorum,una cum jam dicti fratris et coepiscopi nostri Hincmari consensu,una eademque sententia, atque in restitutione vestra par omnium consonantia,similiter pronuntiata definitio claruit.Propterea et nos quoque in restitutione vestra et receptio et graduum vestrorum conniventiam præbuisse cognoscite, et congratulari vobis pro statu vestro,quemadmodum de abjectione condoluimus, procul dubio credite. Igitur quoniam in decernendo et in judicando quod canonice deliberatum est, et in restituendis vobis Deo præduce sicut decuit et ordo poposcit, nostra præcessit auctoritas,conveniens ac honestum est, ut nostræ firmitatis perfecta subsequatur integritas. Ea pro re congaudemus vobis,et. ut jam fassi sumus, congratulamur,et quæ decreta sunt super status vestri recuperatione,Dei omnipotentis et beatorum apostolorum principum Petri ac Pauli,atque per eos nostræ mediocritatis auctoritate roboramus, et ut secundum beneplacitum Domini jugi stabilitate faciente Deo maneant libenter oramus. Præterea volumus et hortamur vos, ut tales de cætero in omnibus vos exhibeatis, ut in nullo ingrati circa beneficia Domini vobis collata reperiamini. Proinde misericordiæ ipsius gratias agite, et quoniam vos in finem non deseruit semper in mentem reducite, humilitatem præ oculis semper habentes et cor vestrum ad meditandum quæ æterna sunt, infatigabiliter erigentes : ante omnia vero sollicite præcaventes, ne memores vestrarum sitis injuriarum,neque succenseatis adversus eos qui has vobis intulisse probantur. Fratri autem et coepiscopo nostro Hincmaro debitam humilitatem et competentem reverentiam exhibete : nec sit aliquo tempore vobis licentia contra eum, pro eo quod ab eo fueritis ab officio suspensi, querimoniam componendi, vel sinistra in vicissitudinem retribuendi. Quoniam nos in erectione vestra nullius ruinam quæsivimus nec si unam partem stabilire volumus,ut partis alterius dignitatis vel juris detrimenta patiamur. Fruimini ergo hujus nostræ præceptionis decreto,et hoc pro vestri munimine,ac graduum stabilimento contra omnes calumniatores vestros utimini : vobisque semper existat facultas in opportunitatibus ad sedem apostolicam provocare, et ejus judicium secundum canones præstolari. Nolumus tamen vos ignorare, nos fratri et coepiscopo nostro Hincmaro dedisse inducias,ut intra spatium anni hujus licentiam habeat contra vos de dejectione vel restitutione vestra,si velit,apud nos negotium exsequendi.Quod idcirco dicimus, ut sollicitos vos reddamus,et qualiter si necesse fuerit ei resistatis, ante præsciatis, ut ejus talis arma justitiæ vestræ præparare valeatis. Qptamus vos in Christo bene valere. Data VIII Idus Decembris, indictione decima quinta.

CXI.

AD NOBILES AQUITANOS.

(Anno 866.)

Ut res ecclesiarum, quas injuste quoquomodo retinent, sine mora reddant, ac deinceps ab iisdem abstineant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus,servus servorum Dei, dilectis omnibus nobilibus atque primoribus seu cunctis Aquitaniæ habitatoribus.

Sollicitudinis,quam pro universis ecclesiis Dominicis sustinemus,necessitas nos compellit de omnium fidelium statu impigram gerere providentiam.Quapropter de vobis etiam solertem curam circumferentes, audimus quosdam vestrorum, quod non optamus, ita contra Deum efferri, ut ecclesias ejus et diversa pia loca deprædari non timeant, et res eis pertinentes distrahere non recusent. Quæ res valde nos contristavit,et ultra quam dici possit menti nostræ mœstitiam generavit. Et ideo, filii charissimi, curæ nobis fuit, ut his vos nostri pontificatus hortaremur affatibus, ut saluti vestræ providentes solerter a tanta crudelitate cessetis, quinimo quæ violenter aut quoqnomodo sine lege tulistis,reddentes tantum corrigere curetis. Nam quamvis Domini sit terra,et plenitudo ejus(*Psal.* XXIII),illæ tamen res, quæ a piis principibus, atque fidelibus quibusque hominibus, sacratis locis collatæ sunt, specialiter esse Domini sine cunctatione creduntur,dum divinis cultibus dicatæ,ac Deo famulantium usibus existere deputatæ cernuntur. Unde in Deum procul dubio committunt,et ipsi præjudicium inferre probantur, quicunque has usurpare,et sibi non legitimæ vindicare non metuunt. Nimirum quoniam cum a piis quibusque locis res auferunt Deo militantium stipendia subtrahunt: et dum subsidium divino cultui jugiter famulantibus adimunt,laudes Dominicas quodammodo ab ipsis hominum faucibus abstrahunt. Quamobrem vos rogamus, ut ab ista tyrannide remoti, sua singulis Deo sacratis locis sine dilatione reddatis : ita ut nihil ex his apud vos retineatis, nisi quæ forte per propriam voluntatem rectorum quorumdam sacrorum locorum legaliter acquisistis. Ita ut etiam illa sub omni integritate restituatis,quæ simplicitate vel desidia faciente rectorum venerabi-

lium locum, de salariis,quæ sunt semper in usu et jure perenni sacratis locis collata,vos constat ordine non bono tulisse,et hactenus contra Dei leges illa possidere probamini.Similiter autem et de his hortamur a vobis fieri, quæ regis quomodocunque a sanctis locis aliquo tempore abstulerunt,et vobis in beneficium contulerunt. Quod justum non fuit, nec est : et quisquis hæc sibi vindicat, Deum inde sine dubio habebit judicem et ultorem.Quoniam si qualescunque rapaces et violenti, nisi corrigantur, si non humano nunc, certe quandoque divino judicio districtissime punientur : qua putatis pœna mulctandi sunt,qui contra Deum ipsum rapinam et violentiam perpetrare manifestissime comprobantur? Denique prædecessores vestri, antiqui principes, adhuc et moderni,non solum minime a piis Domino dicatis locis diripiebant,verum etiam ex suis propriis innumera conferebant : adeo ut eadem sancta loca eorum sumptibus cum Dei auxilio dedicata sint, et eorum opibus ampliata; quos si in largitionibus imitari non vultis,saltem quæ Dei sunt ipsius violenter auferre nolite. Si enim qui de palatio regis aliquid præsumit, non evadit legaliter impunitus, quanto minus qui ab ædibus Dei,qui est rex regum,et Dominus dominantium, ea quæ ipsius sunt violenter usurpat,ejus valebit effugere non subsequente correctione judicium, vel sine pœna poterit exsilire? Itaque quoniam horrendum est incidere in manus Dei viventis, admonemus vos et hortamur, et tanquam divina præsentia protestamur,ut res ecclesiarum,quas injuste retinetis,eisdem sanctis locis sine procurata mora reddatis : et deinceps nec eas, nec alias a piis locis subripere præsumatis.Si quis autem vestrum nos audire contempserit,et quæ salubriter suadere vobis nitimur, obedienter perficere,ac sine dilationis studio minime observare curaverit,omnipotentis Dei et beatorum apostolorum principum Petri et Pauli auctoritate, quos in nobis contemnit, simul per eos et nostræ mediocritatis sententia,venerandi corporis et pretiosi sanguinis Domini nostri Jesu Christi communione penitus privatus existat. Si autem resipuerit, et his quæ per hujus epistolæ textum dicimus obedire studuerit,et communionem Christi mysteriorum,et beatitudinis gratiam et salutem consequatur æternam.Optamus vos in Christo bene valere. Data mense Decembri, indict. xv.

CXII.

AD CAROLUM REGEM.

(Anno 866.)

Ur curet a Lothario restitui ea quæ a Helletrude sorore sua Berengarii vidua abstulerat.

]Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei,dilecto filio Carolo glorioso regi.

Litteris scilicet suis de Helletrude Berengarii comitis quondam relicta nobis pernotuit,Lotharii videlicet regis pressuris annihilatam, ejusdemque præjudicia fore perpessam,apostolatui nostro hæc atque alia suggessit,quo eidem Lothario apostolicis exinde mitteremus litteris monita,et vobis,dilectissime filiifatrique vestro Ludovico excellentissimo regi nostram dirigeremus epistolam : quatenus vobis succurrentibus atque foventibus ipsa procul dubio vidua ad perfectam de suis rebus perveniret justitiam; quoniam non solum prædia a genitore suo Lothario imperatore per præceptum largita sustulit,sed etiam proprietates ejus a parentibus suis sibi præfatæ Helletrudi dimissas colludiose subripuit,eisdemque sanctæ Dei Ecclesiæ infideles Nortmannos paganos beneficiali more sane donavit.Nos vero jam dicto Lothario nepoti vestro apostolicas litteras mittere nequivimus : quia pro nefariis et illicitis negotiis ab illo abolendis,vobis plane auditis,excommunicatum habemus. Sed excellentiæ vestræ ineffabili dilectione colendæ,poscendo dilectissime fili,dirigimus,ut pro reverentia apostolorum principum, ad quos quasi refugium faciens, rogavit illa scriptis justitiam, et pro eo quod jure agnationis,sive majoris natu,vos a talibus illum decet coercere illicitis, super his per vestrum missum, aut epistolam,tam ex nostra sanctione jubendo, quam ex vestra parte rogando,seu legum auctoritate monendo, jam sæpedicto regi mittere studeatis. Et si vos forte, una cum fratre vestro Ludovico glorioso rege conjuncti, eumdem nepotem vestrum quæque pro causa sororis suæ,ut credimus, fueritis allocuturi, quæsumus affatim,ut hujus crebro fatæ viduæ Helletrudis causam, tam de propriis quam de beneficiis per testamentum a jam dicto Lothario Augusto quondam concessis, nulla officiente ratione usque ad finem perducatis: ut cum,Deo favente,a priore nævo fuerit correctus, illius feminæ causas restituat, et ut ne adjiciat iniquitatem super iniquitatem in regno suo,sed faciat justitiam suam abundanter.Quoniam quidem regum examina decet omnibus subvenire, præcipue viduis, quarum judex Christus est.Itaque hujus instar epistolæ epistolam de hac causa nunc ceu vobis,haud secus Ludovico fratri vestro direximus.Dolemus oppido pro talibus, eminentissime rex, prædia Christi fidelium quoquomodo tollentibus,et Christi regis infidelibus beneficii more donantibus. Interea rogamus ut quidquid perfectionis consulta super his vestra perfecerit excellentia,scriptis per singula apostolatui nostro non dedignetur vestra intimare regalis magnitudo.Excellentiam vestram nunc et semper bene valere optamus in Christo.

CXIII.

PRIVILEGIUM PRO PARTHENONE VIZELIACENSI.

(Anno 867.)

[Apud Acherium, *Spicilegii*, tom. II.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, religiosæ et Deo dicatæ, quæ divino nutu divinaque providentia in monasterio fuerit constituta, quod a vobis Gerardo scilicet clarissimo nostro illustrissimo comite, et nobilissima filia Berta in nomine Domini nostri Jesu Christi, et veneratione beatissimæ Virginis Mariæ genitricis ejusdem Dei et Do-

mini nostri Jesu Christi, in loco vel agro qui dicitur A Vizeliacus, in pago Avalensi iu finibus Burgundiæ, constructum est, opibusque ditatum, et omnibus quæ post eam in eodem monasterio abbatissæ regimen tenuerint in perpetuum : de quo monasterio cum omnibus jure ad se pertinentibus pro remedio et futura retributione animarum vestrarum hanc sanctam hæredem Romanam fecistis Ecclesiam, illudque per donationis paginam, beato Petro apostolorum principi contulistis.

Quando ea [ad] quæ catholicorum virorum corda pontificum sunt monitis provocanda, ita ardenti desiderio, divina præveniente clementia, succenduntur, ut ab eis ultro poscantur, alacri et læto sunt animo concedenda, quanto ea ipsa quæ cupiunt si nollent facere, peti debuerant : proinde juxta vestram B petitionem monasterio in honore Domini nostri Jesu Christi quod in parochia urbis Augustodunensis in loco et regno prænominato a vobis religiosa devotione fundatum est, hujusmodi privilegia præsenti nostræ apostolicæ auctoritatis decreto indulgentes concedimus, confirmamus atque statuimus, ut nulli regum, nulli antistitum, nulli quacunque prædito dignitate, vel cuiquam alii de his quæ eidem monasterio a vobis, vel a quibuslibet aliis de proprio fuerint jure collata, sub cujuslibet causæ, occasionisve specie minuere, vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis quasi piis causis pro suæ avaritiæ excusatione liceat quocunque modo concedere, sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam a vobis quam ab eis quæ in eodem loco in officio abbatissæ vel conversatione religiosa successerint, C seu qni pro animæ suæ remedio ibidem oblationes suas obtulerint, a præsenti tempore illibata et sine inquietudine volumus, et apostolica auctoritate præcipimus possideri, earum tantum usibus, pro quarum sustentatione ac gubernatione concessa sunt fuerintque, modis omnibus profutura, ea conditione ut nullus successorum nostrorum in sancta hac sede, cui auctore Domino deservimus, unquam vel usquam quiddam de eisdem rebus cuiquam beneficiare, commutare, aut sub censu concedere, vel retinere, per futura tempora patiatur. Sed censum tantummodo in testamento traditionis vestræ, quo ex eodem monasterio hæredem hanc sanctam fecistis matrem Ecclesiam, unam videlicet libram argenti annis singulis successores nostri accipientes, piæ paternitatis suffragium eidem monasterio, et abbatissæ, et monachis sub Regula sancti Patris Benedicti ibidem degentibus, sollicitudine pastorali vigilanter contra omnes infestantes impendere studeant. Item constituimus ut, obeunte abbatissa prædicti monasterii, non alia ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quam consensus monachorum secundum timorem Dei et institutionem Regulæ beati Benedicti elegerit, et hujus apostolicæ sedis pontifex præviderit ordinandam, aut suggestione monacharum consenserit ordinatam. D

Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nullum de sacerdotibus, nullum de regibus, vel quemcunque fidelium per se suppositamve personam de ordinatione ejusdem abbatissæ, vel clericorum atque presbyterorum, vel de largitione chrismatis aut consecratione basilicæ, aut de quacunque commoditate specialis (*a*) aut temporalis obsequii, sive quibuscunque causis ad idem monasterium pertinentibus, audere in auro vel alia qualibet specie commodi vel exenii loco quidquam accipere, neque eamdem abbatissam ordinationis suæ causa quidquam dare præsumere; ne hac occasione ea quæ a fidelibus pio loco offeruntur, aut jam oblata sunt, consumantur. Neque episcopus civitatis ipsius parochiæ, nisi ab abbatissa ipsius monasterii invitatus, ibidem publicas missas agat, neque stationes in cœnobio eodem indicat, ne ancillarum Dei quies quoquomodo populari conventu valeat perturbari, neque paratas, aut mansionaticos exinde præsumat exigere. Susceptionem autem fidelium, et religiosorum, ac religiosarum, atque beneficentiam quam jabet Apostolus cunctis exhibendam pro possibilitate loci et facultatum, non modo ibidem gratis fieri [non] denegamus, verum etiam suademus. Sed et modus in numero congregationis adeo conservetur, ut pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium destitutionem loci inducere valeat. Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, cunctis post vos succedentibus, qui idem monasterium a vobis exstructum, et S. R. Ecclesiæ traditum sub usufructuario retinetis, vel eis quorum interesse poterit, in perpetuum servanda decernimus.

Si quis vero sacerdotum, judicum, atque sæcularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisve sui dignitate, percussus apostolico anathemate, careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et nisi vel ea quæ ab illo sunt male ablata restituerit, vel præsumpta correxerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleverit a sacratissimo corpore Dei et Domini ac Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco juxta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Scriptum per manum Sofronii, regionariii et scrinarii Romanæ Ecclesiæ, in mense Maio. Datum vero per manum Tiberii, primicerii sedis apostolicæ.

(*a*) *Specialis* lege *spiritalis*, ita enim postulat sensus.

CXIV.

EPISTOLA AD LUDOVICUM II IMPERATOREM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

Ad pacem ineundam hortatur.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus Ludovico imperatori.

Christianæ religioni nihil officit, imo proficit, si Librarium fefellit compendium scribendi *spalis*.

charitate magistra divino intuitu cum exteris quibusque pro Remediis et securitate Christianorum placitum inieritis,cum constet non ob aliud id fieri nisi ut fera sævitia eorum quæ in fideles unanimiter exardescit, aliquo modo refrenetur. Nam cum Salomonem cum alienigenis ad sanctam gloriam multiplicandam et ad templum Domino facilius construendum amicitiæ fœdera habuisse Dominica sciamus referente historia,quid mirum si pius imperator ad gloriam Dei et ad securitatem sanctæ Ecclesiæ,quæ vere divinum est templum,cum exteris gentibus placitum confirmet; maxime cum piæ memoriæ Carolus, abavus vester, nonnisi ad remedium et solatium Christianorum qui in diversis locis inter eos tanquam grana inter paleas tundebantur,placitum cum eorum principe noscitur procul dubio perpetrasse?

CXV.

AD CAROLUM [CAROLUM CALVUM] REGEM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

De Joanne Scoto, quod in quibusdam bene non senserit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Relatum est apostolatui nostro quod opus beati Dionysii Areopagitæ, quod de divinis nominibus, vel cœlestibus ordinibus, Græco descripsit eloquio, quidam vir Joannes, genere Scotus, nuper in Latinum transtulerit. Quod juxta morem nobis mitti et nostro debuit judicio approbari : præsertim cum idem Joannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore diceretur. Itaque quod hactenus omissum est, vestra industria suppleat, et nobis præfatum opus sine ulla cunctatione mittat : quatenus dum a nostri apostolatus judicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter nostra auctoritate acceptius habeatur.

CXVI.

AD DONNUM EPISCOPUM.

(Anno 867).

De quodam qui fratrem suum occiderat.

[Ivo, x, 184.]

NICOLAUS DONNO episcopo et CAROLO regi.

Quidam vestræ diœceseos vir Hugo nomine venit, qui lacrymoso affatu nostro pontificio retulit qualiter fratricidium,antiquo hoste cogente,fecerat,et qualiter sub pœnitentiæ jugo pro tanto facinore a vestra fuerat constitutus beatitudine. Nos autem tantæ adversitatis piaculum, et fraterni sanguinis audientes effusionem non paucas fundentes lacrymas contristati sumus. Tamen quia,ut aiebat,tantæ maculæ culpam lacrymarum fonte abluere fraterna jubente gratia malit, sancimus ut proprias possessiones quæ ab eo pro hoc facto ablatæ sunt, incunctanter recipiat, ne paupertatis inopia constrictus ad pejora deducatur. Nam et propria legitimaque uxor illius a qua separatus est,vestra sanctitas illi ut statim reddatur satagat,ne in fornicationis voraginem,quod noluimus,incidere videatur. In reliquis vero secundum pœnitentiæ modum quam illi instruxistis peragere maneat.

CXVII.

AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI CONSTITUTOS.

(Anno 867.)

Monasterialibus disciplinis nullus subjiciatur invitus.

[Gratian., Decr. II, c. 20, q. 3, c. 4.]

Præsens clericus nomine suo Lambertus,una cum patre suo, nomine Attho, quondam videlicet comite, nunc autem clerico, ad limina apostolorum properans adiit præsentiam nostram, asserens qualiter idem pater ejus in laicali adhuc ordine in prædiis propriis ædificasset duo monasteria, voluntatem gerens ut post decessum suum præsens ejus filius Lambertus in locum ejus succederet : quem infra teneram ætatem inter octavum et decimum annum constitutum memoratus pater proprio arbitrio absque regulari institutione extra omnem illius voluntatem cucullam induit. Igitur post quoddam ipsius temporis spatium, ut ipse dicit Salomon episcopus,cum quibusdam aliis absque patris oblatione,vel abbatis percepta benedictione, eumdem Lambertum monasticum habitum induere fecit, ut ferunt, invitum : et sub hac occasione, paterna seu materna hæreditate a fratribus suis privatum esse, atque contra omnem, ut dictum est, voluntatem suam, quasi regularem illum monachum permanere volunt. Super qua re diligenti cura investigantes etiam sub abjuratione patrem ipsius, si verum diceret, interrogavimus : sed idem pater Attho respondit se talem habuisse et habere voluntatem, ut filius suus verus monachus fieret, et in locum ejus succederet. Sub testificatione autem jurejurando firmavit : quod quando primitus ei cucullam induit,idem Lambertus semper restitit, et nunquam se fieri monachum consensit : sed demum ab insequentibus monastice habitu violenter est indutus,asserens quod nunquam regulam aliquam promisit,neque ego pater ejus pallio altaris indutum illum obtuli,neque a quocunque sacerdote vel abbate,ut mos poscit,benedictione percepta regulæ unquam se monachum subjectum futurum promisit. Super his omnibus etiam protestatus est præfatus clericus Attho quia si eo tempore tam duræ observantiæ monasticam intellexisset regulam,nunquam eumdem filium Lambertum coegisset portare cucullam. Quapropter consulte Psalmographi verba recolentes, quibus voluntarie se Deo sacrificare pronuntiat, at voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Dei obsecrat; præsentem, ut dictum est, clericum nomine Lambertum minime debere existimavimus sub tali violentia fieri monachum. Quod enim quis non eligit nec optat,profecto non diligit: quod autem non diligit,facile contemnit. Nullum quippe bonum,nisi voluntarium. Idcirco Dominus non ferendam in via virgam, per quam violentia ulli inferatur, præcepit. Quapropter consultius agetur si piis suasionibus contemptum mundi, et amorem Dei prædicando,quam violentiam inferendo, ad cœlestem amorem illum accenderitis. Unde omnium vestrum charitati hanc nostri apostolatus mandare decrevimus epistolam, monentes atque

præcipientes quatenus, si ita verum est ut isti dicunt, nullus episcopus, vel abbas seu monachorum reliquorum conventus monasticis illum regulis invitum subjacere compellat, neque ullo modo fratres ejus per hanc occasionem licentiam habeant paterna seu materna illum hæreditate privare : sed usque dum divina inspiratione compunctus propria voluntate regulæ se subdat, liceat eum a mundanis et laicalibus remotum vocationibus vel negotiis inter religiosos et ecclesiasticos viros in canonica degere vita. Non enim putamus, quod absit, canonicos religiosos a sanctorum monachorum vitæ et consortio conjunctos, quia unusquisque, secundum Apostolum, propriam mercedem accipiet secundum laborem suum.

CXVIII.

AD ADONEM ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM.

(Anno 867.)

De sententiis atque interdictis sedis apostolicæ, inter alia.

[Mansi, *ibid.*]

1. Ut archiepiscopi canonicos conventus in provinciis sibi commissis cum timore Dei faciant; ubi omnes cum venerabilibus episcopis nobiliores provinciæ conveniant; ibique integritatem fidei et canonicarum regularum observantiam audiant, et ad tenendum ne excusari possint, subscribere doceantur.

II. Ut metropolitani vigorem ecclesiasticum reverentius servent, et sive in vita, sive in doctrina singulari auctoritate præcellant; sæculares discursus et negotia vitent; zelo pietatis inflammati adversus mundialium hominum malitiam fortius et verius insurgant; principes regni adulando non decipiant, provinciarum suarum munere divino sibi commissarum in omnibus curam habeant.

III. Ut suffraganei reverentiam et obedientiam condignam metropolitanis suis exhibeant, ad metropolitanam sedem obedientes occurrant; causas ecclesiasticas cum metropolitano suo fideliter pertractent, et ab ipso formam qualiter ipsi in ecclesia sua agant accipiant.

IV. Ut archiepiscopi et episcopi plebes vel baptismales ecclesias in diœcesibus suis more antiquo constituant, et laici a talibus cavere doceantur; ad quos reliquarum ecclesiarum tituli pertineant; ut ibi conventus celebrior populorum fiat, et doctrina fidei ac Christianitatis in unum congregatis liberius prædicetur.

V. Ut archiepiscopi cum coepiscopis suis auctoritate patrum nostrorum muniti procurent, ut sacris locis dignæ personæ præferantur, et sæcularium habitacula loca Deo dicata vel sacrata non fiant. Unde et nos pios principes ubi opportunum fuit monuimus, et propter honorem Christi charitatis suæ, quod diebus illorum depravatum et destructum est, sollicitius et melius recorrigant. Ipsi quoque archiepiscopi et episcopi cupiditatem suam cohibeant, ut laicos postmodum ab illicita præsumptione liberius castigare valeant; neque sicut hactenus factum est ad scandalum et ruinam multorum aliena appetant, et locis ad jus suum et episcopatum non pertinentibus dominari non expostulent; sed contenti terminis suis : sicque potentialius laicorum avaritiam et cautelam reprimere poterunt.

VI. De excommunicatis publice propter publicum crimen, ut per publicam pœnitentiam recipiantur, et secundum modum facti canonica auctoritate singulis pœnitentia prolongetur.

VII. Ut non temere excommunicationes fiant ne auctoritas episcopalis vilescat, neque absolutiones inordinate, nisi satisfactio ordinabiliter regulis patrum consentiens præcedat.

VIII. (25. q. 2. *Si quis d.*) Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro catholica fide, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, et pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum a sedis apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit; anathema sit. (*Hoc vero postremum decretum desumptum est ex capitulo quinto concilii Romani sub eodem pontifice Nicolao anno* 863 *celebrati.*)

CXIX.

AD HINCMARUM ARCHIEPISCOPUM RHEMENSEM.

(Anno 867.)

Pœnitentia injuncta illi qui monachum presbyterum occiderat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro HINCMARO archiepiscopo.

Quibus genitibus(*a*), quantisque lacrymis filiorum discrimina paternus affectus condolere soleat, verum etiam oporteat, vestram satis novimus experiri prudentiam. Quapropter infulatum vestri ardoris, ecclesiastico lacte nutriti, et ad solidos prædicationis profectus perducti, volumus nosse quod iste Eriath ad apostolorum limina confugerit, indulgentiam postulando super ea quam incurrit homicidii noxam. Ferebat se utique quemdam presbyterum atque monachum nihil eum morte dignum occidisse : unde et humiliter ostendebat se pœnitentiæ velle colla submittere. Ideoque nos ei injunximus, ut duodecim annorum meta terminum pœnitentiæ sibi injunctæ includeret. Quorum tribus prioribus, ante fores ecclesiæ lugendo, singultus edendo misericordiam a Domino consequi festinare procuret. Quarto deinde, atque quinto, inter auditores omnipotentem exorare studeat, absque corporis et sanguinis Domini susceptione. Residuis præterea se-

(*a*) *Quibus gemitibus.* Flodoardus lib. III, cap. 23. Hincmari ad diversos episcopos epistolas enumerans : *Hilmerado*, inquit, *Ambianensi, pro quodam monacho, qui presbyterum et monachum in monasterio sancti Richarii occidit pro quo domnus papa Nicolaus litteras eidem domno Hincmaro direxerat pœnitentiæ tenorem continentes.*

ptem annorum curricuſis, communionem Dominici sacramenti suscipere liceat celeberrimis festivitatum diebus, oblationes quidem nullatenus offerendo. Verumtamen, omnibus prædictis temporibus, excepto festivitatum diebus, et resurrectione Dominica, continue quadragesimali more usque ad vesperam jejunus perseveret. Et si alicubi opportunus habuerit iter, nullo vehiculo deducatur, sed pedestri itinere utatur. Usque ad mortem denique pœnitentiæ ejus quantitas extendi debuerat : sed devotionem ejus fidei considerantes, sive quia ad suffragia apostolorum festinaverit, humanius cum illo peregimus. Interea hortamur vos, ut reverentissimo Hilmerado episcopo, suffraganeo vestro, præcipiatis quatenus permittat monachos monasterii sui sub monastico habitu quiete degere, et pœnitentiæ fructus exercere. Hos itaque apostolatus nostri apices suscipientes, ita spiritali oculo vitam futuram pœnitentiæ ipsius discutite, et catholica pietate manu discretionis quæ oportuerit perpendentes, sic cum illo peragitis, quatenus et canonica auctoritas observetur, et ovis Dominica raptoris vulnere sauciata nullo neglectu perdatur, sed examine divini judicii ad dexteram Christi remuneranda inveniatur. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

CXX.

AD HINCMARUM RHEMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 867.)

Accusator et accusatus simul debent adesse.

[Grat., II, 3, q. 9, c. 21.]

Necesse est secundum sacrarum Scripturarum documenta, ac secundum justitiæ tramitem, et accusatum et accusatorem simul adesse, et unam partem, quantacunque et qualicunque prædita sit auctoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nullum præjudicium irrogetur.

CXXI.

AD HERARDUM TURONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

Restituendus est, quem neque convictum, neque confessum constat esse ejectum.

[Apud Mansi, *ibid.*]

(v. q. 1. *Notum sit.*) Notum sit tuæ fraternitati quod iste presbyter, nomine Christophorus de sua angustia ad nostram clementiam lacrymabiliter sit conquestus, dicens se falsis criminibus impetitum, et ab ecclesia sua non convictum, neque confessum, irrationabiliter fuisse ejectum. Nam, ut ipse refert, tua diligentia per tres vices inquisitione facta, nulla in se, neque de fornicationis crimine, neque de homicidii consensione, de quibus impetebatur, reperiri potuit culpa : nisi quia suæ paupertatis causa, quæ petebantur, aut consentire noluit, aut implere non potuit : quæ suus tamen æmulus ultroneus egit, qui injuste illius ecclesiam præripuit. Idcirco magnopere monemus reverentiam tuam, ut etiam quæ, te forte ignorante, Gieziaca cupiditate peracta esse videntur, tuæ fraternitatis censura celeri emendatione corrigantur. Scilicet restituendo ecclesiæ propriæ jam dictum sacerdotem, atque rei reddendo tua pietate pristinum quem perdidit honorem, et nullatenus canonica instituta alicujus temeritate contemni permittas, facientem et consentientem par pœna perstringit.

CXXII.

AD FROTARIUM BURDIGALENSEM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

Invasoribus rerum ecclesiasticarum quæ pœnitentia sit imponenda.

[Apud Mansi, *ibid.*]

(12, q. 2. *De viro nefando.*) De viro nefando, Burgando nomine, qui rabie insana commotus, diabolicis se irretire laqueis non dubitavit, atque gentilium more per abrupta itinera, et compita insidians, vobis in ecclesiæ vestræ villa una cum clericis vestris manentibus, et populum salubribus instruere dognatum monitis decertantibus, paneque spiritualis verbi vacua hominum corda reficientibus, atque laudabile propriæ salutis desiderium habentibas sancta apostolorum Petri et Pauli limina visitare, collectis malitiæ suæ sequacibus, et iniquitatis complicibus, nefarias invasiones, et deprædationes violentas inferre dæmoniaco ausu præsumpsit : et, ut epistolæ vestræ textus eloquitur, sacrum altare, sacraque Dominici corporis et sanguinis vasa, insuper et sanctum chrisma pollutis arripere manibus, quasi vilia et ad communem usum apta præsumpsit; dilectio vera consuluit, si ipse, vel qui cum eo tam impio et iniquo scelere fuerunt, ad pœnitentiam quandoque gratia tacti divina venire voluerint, quo eos pœnitentiæ vinculo constringatis, nostræ institutionis censuram exposcere curastis. De quibus, si tamen ita est, jubemus, cum ad pœnitentiam reverti acceleraverint, uno anno extra Ecclesiam Dei consistere, cujus sacratissima vasa extra ritum fidei christianæ diripienda auferre non dubitaverint. Secundo vero anno, ante fores ecclesiæ sine communione maneant. Tertio vero anno, ecclesiam Dei ingrediantur, et inter audientes astent sine oblatione, non manducantes carnem, neque bibentes vinum, præter natalis et resurrectionis Dominicæ dies. Quarto præterea anno, si his prioribus tribus annis fructuosus fuerit pœnitentiæ labor, communioni fidelium restituantur, totaque mentis intentione spondentes talia se ulterius, nunquam facturos, corpus et sanguinem Domini suscipere mereantur : et usque ad septimum annum, tribus in hebdomada diebus, sine esu carnium et vini potatione maneant pœnitentes.

CXXIII.

AD JOANNEM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

De catechismo baptizandorum.

[Apud Ivonem, I, 87.]

Nicolaus papa Joanni archiepiscopo Ravennæ. Catechismi baptizandorum a sacerdotibus unius-

cujusque ecclesiæ possunt fieri, sicut in sancta hac Romana, cui Deo auctore ministerium famulatus nostri exhibemus, Ecclesia solemniter fieri comprobatur.

CXXIV.

AD JOANNEM ARCHIEPISCOPUM RAENNATEM.

(Anno 867.)

De illis qui, uxoribus suis dimissis, ad alias nuptias transierint.

[Ivo, VIII, 221.]

NICOLAUS, archiepiscopo Ravennæ.

De senatoris conjuge, quam adulteram esse dicitis et propter adulterii reatum disjunctam a viro suo esse judicatam, et monachicam vestem indutam, atque velatam, nescimus utrum juste an aliter hoc sit terminatum judicium; et si adultera apparuit, hoc magis a viro suo debuit esse inquisitum : et si a viro suo requisitum fuit, indagatorum vel judicum præsentia debuerat examinatum esse, atque terminatum : et post terminationem et approbationem atque manifestationem, tunc aut legali calculo aut canonico judicio ipsius causæ sententiæ diffiniri. Et si nec hoc nec illud factum est, quis eam ausus est religiosa induere veste et sacro cooperire velamine? Tamen id subtilius Dei præ oculis habentes timorem, præcipimus, ut præsentia missi vel vicarii vestri, in vero examine præsente viro suo examinatio fiat. Et si justa et rationabilis eorum causa apparuerit, maneat. Et si aliter apparuerit, ut prætulimus, secundum Dei omnipotentis voluntatem atque timorem eorum definiatur causa.

CXXV.

AD ADALWINUM ARCHIEPISCOPUM JUVANIENSEM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

De vidua quæ post assumptum sanctimonialium velamen ad nuptias redierit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro ADALWINO sanctæ Juvaviensis Ecclesiæ archiepiscopo.

Quod autem interrogasti de femina quæ post obitum mariti sui velamen sacrum super caput suum imposuit, et finxit se sub eodem velamine sanctimonialem esse, postea ad nuptias rediit, bonum mihi videtur quia per hypocrisin ecclesiasticam regulam conturbare voluit, et non legitime in voto suo permansit, ut pœnitentiam agat de illusione nefanda, et revertatur ad id quod spopondit, et in sacro monasterio inchoavit. Nam si consenserimus quod omnia sacramenta ecclesiastica quisque prout vult fingat, et non vere faciat, omnis ordo ecclesiasticus est turbatus, nec catholicæ fidei jura consistunt, nec canones sacri rite observantur. Quid enim profuit Simoni Mago baptismum sacrum ficte suscipere, et in Christianitate permansurum se finxisse, cum per apostolum, fraude ejus decreta, quod sibi futurum esset, prænuntiatum est? Ait enim : *Pecunia tua tecum sit in perditione : cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, ut forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse* (*Act.* VIII, 20). Ideo tales, nisi resipiscunt, spirituali gladio percutere censemus. Non enim fas est Spiritui sancto mentiri, sicut Ananias et Saphira mentiti sunt, et statim perierunt.

CXXVI.

AD EUMDEM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

[Ivo, XI, 104.]

Clerici qui in adolescentia a dæmonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri regiminis gradum accedere non possunt.

CXXVII.

AD EUMDEM.

(Anno 867.)

Quod episcopus vel clericus nullo modo venationi debeat insistere.

[Ivo, V, 353.]

NICOLAUS ADALWINO Juvaviensi archiepiscopo.

Quorumdam relatione fidelium auribus nostris intimatum est quod Lanfredus episcopus, qui et juvenis esse dicitur, venationi sit deditus. Quod vitium plurimos etiam de clericali catalogo genere duntaxat Germanos et Gallos irreverentes [*f.*, reverentes] implicat. Verum iste, si ista est ut audivimus, merito juvenis dicitur, qui juvenilibus desideriis occupatus, nulla senum gravitate constringitur.

Item. O miseram vitam hominum et maxime sacerdotum! qui, dum lucrandis fidelibus debent insistere, venandis feris incumbunt, et quos capere oportet homines, capiunt aves et bestias; qui dum mortibus student animantium, vitam suarum amittunt animarum! O infelicem vitam super omnem vitam? Nam in quo magis quisque carnalis apparet quam in tali vita? Venatorum enim vita nil præter carnes capit, in qua dum quisque permansit nunquam probatus est. Nam, ut beatus dixit Hieronymus, venatorem nunquam legimus sanctum. Væ hujusmodi præsulibus, qui dum debent Petrum, Andream, Jacobum et Joannem, quibus a Domino dictum est : Venite post me, faciam vos piscatores hominum (*Matth.* IV *et Marc.* I), ad imitationem suam eligere, quorum et discipuli sunt : magis Nemrod (*Gen.* X) et Ismaelem (*Gen.* XXI), atque Esau (*Gen.* XXV *et* XXVII) reprobos imitantur, qui hujusmodi adinventionibus incubuisse referuntur. Nihilominus autem de hoc episcopo relatum est apostolatui nostro quod cum quadam filia sua immoderatam teneat familiaritatem, et ob id mala fama ei orta sit : pro qua re a sanctitate tua cæterisque coepiscopis suis commonitus ac correptus est, sed nullatenus emendatus. Quæ res in hoc maxime displicet, et magis ac magis de se deteriorem reddit opinionem. In quo beatitudini tuæ et coepiscoporum suorum rationibus non obedit et per inobedientiam in culpam protoplasti relabitur. Oportet ergo fraternitatem tuam sy-

nodale cum episcopis et suffraganeis tuis convocare concilium, et hunc salutaribus eloquiis episcopum convenire, atque illi pastorali auctoritate præcipere quatenus et ab omnium bestiarum et volucrum venatione penitus alienus existat, atque immoderata filiæ suæ familiaritate semetipsum omnimodo coerceat. Quod si parere contempserit, et tam pro venationis declinatione quam pro immoderata filiæ suæ vitanda conversatione; vobis admonentibus obedire distulerit, a vestro collegio excommunicatus abscedat. Quod si in hoc contumax adhuc apparuerit, a ministerio cessare debebit.

CXXVIII.

AD EUMDEM.

(Anno 867.)

Episcopo infirmante, nisi de hac vita migraverit, alter non substituatur, ne commissi talenti pulchritudo deleatur.

Nicolaus Adalwino Juvaviensi archiepiscopo.

Pontifices qui aliqua occupantur infirmitate vel ægritudine, abjiciendi non sunt, nec alios in loco eorum consecrari oportet, nisi ex hac fuerint luce subtracti. Quod si de ministerio sibi concesso conqueruntur, quæ licita sunt sacerdotes expleant. In his vero quæ eis præsumere non licet, vicinorum usque ad recuperandam sanitatem episcoporum, auxilia subrogentur; et hoc cum cautelæ studio peragatur, ne per necessitatis occasionem præsumptionis pullulet ambitio. Episcopi vero qui Dominici gregis susceperunt curam atque sollicitudinem, ab administratione eorum discedere non oportet, ut accepti talenti pulchritudo non deleatur, sed certamine eorum salubriter augeatur et triplicetur.

CXXIX.

AD SALOMONEM EPISCOPUM CONSTANTIENSEM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

Quod nemo damnandus sit nisi sponte confessus, vel canonice convictus.

[Ivo, VI, 122.]

Nicolaus Salomoni Constantiensi episcopo.

Presbyter vel diaconus quem asseris crimina nolle publice confiteri, sed velle cum sacramento defendere se, et tamen notum est episcopo esse scelus ab ipso perpetratum, non potest per aliquam pœnitentiam sacerdotali vel diaconali officio potiri. Sed mirandum, si ipse confessus non fuerit, quomodo notum possit esse episcopo scelus ab ipso perpetratum, nisi accusatore forte idonco per testes idoneos approbante. Unde si examinante episcopo causam presbyteri vel diaconi, non fuerit per testium approbationem ille presbyter vel diaconus forte convictus, non est scelus episcopo legitime manifestatum, nisi presbyter vel diaconus sua sponte scelus ipsum confiteatur. Quod nisi fecerit, interim non videmus suo debere presbyterum vel diaconum officio privari. Sola ergo spontanea confessio, et canonicus numerus vel qualitas testium, decernentibus episcopis, et accusatore quod objecerat comprobante, clericum privat proprio gradu.

CXXX.

AD EUMDEM.

(Anno 867.)

Si homo aliquis duas spirituales commatres habere valeat.

[Ivo, I, 137.]

Nicolaus Solomoni Constantiensi episcopo.

Sciscitatur a nobis sanctitas vestra si aliquis homo duas spiritales commatres habere valeat, unam post alteram. In quo fraternitas tua meminisse debet scriptum esse : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Itaque cum constet quia vir et uxor una caro per connubium efficiuntur, restat nimirum virum compatrem constitui illi mulieri cui in matrimonio assumpta uxor commater esse videbatur : et idcirco licet virum illi feminæ non posse jungi in copula quæ commater erat ejus, cum qua idem una fuerat caro effectus.

CXXXI.

AD EUMDEM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

De pœnitentia parricidarum et incestuosorum.

[Ivo, X, 185.]

Nicolaus Solomoni Constantiensi episcopo.

Constat parricidas, fratricidas, et incestuosos de quibus consulis utrum possint conjugio copulari, pœnitentiam agere, et ideo non posse carnali copulæ jungi. Quos oportet in castitate omnibus vitæ suæ permanere, mentis et corporis, servata duntaxat propter misericordiam etiam circa hos beati papæ Leonis vicesima quarta Decretalium regula.

CLXXII.

AD SOLANITANUM *vel* SOLEMONIUM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

[Ivo, I, 136.]

Nicolaus Solemonio episcopo.

Nosse desideras utrum mulier quæ viri filium ex alia filia genitum de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari? Quos ideo jungi posse decernimus, quia secundum sacros canones nisi amborum consensu nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem. Pertinet autem ad ingens uxoris exitium, quæ habens odio virum vel infirmitatem ejus non considerans, quasi causa pietatis operatur impietatem : maxime cum præcipiat Apostolus : *Nolite*, inquiens, *fraudare invicem, nise ex consensu ad tempus ut vacetis orationi : et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram* (*I Cor.* VII). Ergo si non ex consensu utriusque conjugis hoc esse factum probatur, non fraudentur invicem, sed revertantur in idipsum : præsertim cum dicat Apostolus : Uxor *sui corporis potestatem non habet, sed vir;* sic *vir potestatem non habet sui corporis, sed mulier* (*ibid.*).

CXXXIII.

AD RODULFUM ARGENTINENSEM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

De quodam matricida pœnitente.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Doi, reverentissimo et sanctissimo Rodulfo episcopo sanctæ Argentinensis Ecclesiæ.

Dum de universis mundi partibus credentium agmina principis apostolorum liminibus properant, quidam vir nomine Thotar venit, vestræ beatitudinis epistolam gerens, quam nostro contulit præsulatui, cujus paginam perlegentes matricidam illum esse cognovimus. Quo facto multis fletibus lacrymisque profusis valde doluimus, idcirco præcipimus, et Patrum almorum censuris statuimus, ut sub pœnitentiæ jugo permaneat; ita ut per unum annum ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores basilicæ stans orans, ac deprecans Deum perseveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo vero anni circulo, introeundi in ecclesiam licentiam habeat, tamen inter audientes stet, et nondum communicet. Completis autem trium annorum curriculis sacræ communionis illi gratia concedatur. Oblationes vero non offerat, nisi postquam aliorum septem annorum curricula expleantur. In his autem omnibus annis atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præsumat, exceptis festis diebus atque Dominicis, et a Pascha usque ad Pentecosten; et quocunque ire voluerit nullo vehiculo deducatur, sed pedibus proficiscatur. Arma non sumat nisi contra paganos. Jejunet autem tres dies per hebdomadam usque ad vesperam. A propria ac legitima quidem conjuge non separetur, ne in fornicationis voraginem corruat, quod ne fiat optamus. Si autem ante trium annorum cursum finis vitæ illius oppropinquaverit, corporis Domini nostri Jesu Christi particeps fiat; sin autem, ut supra statuimus, efficiatur. Tamen si illius conversationem et fontem lacrymarum in omnibus videritis floridis actionibus et optimis operibus pullulare, humanius circa eum vestra sollicitudo pervigil appareat, mitisque omnibus demonstretur. Optamus vos in Christo bene valere.

CXXXIV.

AD GUIFREDUM MORINENSEM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

De clerico qui paganum occiderit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus Guifredo, Morinensis Ecclesiæ episcopo.

Clericum qui paganum occiderit non oportet ad gradum majorem provehi, qui carere debet etiam acquisito. Homicida enim est. Nam cum discreti sint milites sæculi a militibus Ecclesiæ, non convenit militem Ecclesiæ sæculo militare, per quod ad effusionem sanguinis necesse sit pervenire. Denique sicut turpe ac perniciosum est laicum missas facere, sacramenta corporis et sanguinis Christi conficere, ita ridiculum est et inconveniens clericum arma sustollere et ad bella procedere, cum Paulus egregius prædicator dicat: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (*II Tim.* II, 4); ac sic liquido versa vice, nemo militans mundo implicat se negotiis spiritualibus.

CXXXV.

AD ELECTUM ET CLERUM NONENSIS ECCLESIÆ.

Fragmentum. — (Anno 867.)

Sine nutu sedis apostolicæ ecclesia non debet institui.

[Gratian. D. III, d. 1, c. 8.]

Ecclesia, id est catholicorum collectio quomodo sine apostolicæ sedis instituetur nutu, quando juxta sacra decreta nec ipsa debet absque præceptione papæ basilica noviter construi, quæ ipsam catholicorum intra semet amplecti catervam dignoscitur.

CXXXVI.

AD RIVOLADRUM EPISCOPUM.

(Anno 867.)

De pœnitentia imposita Wimaro, qui tres filios suos deremerat.

[Apud Mansi, *Conc.* tom. XV.]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo Rivoladro episcopo.

Dominici gregis curam cælesti dogmate plenam ita convenit episcopis observare, quatenus pro susceptæ ovilis neglectu aliquod periculum non incurrant. Undique etenim venientes admodum plurimi suorum facinorum proditores, quantum dolorem inferant pectori nostro, plus singultu reminiscimur, quam calamo scribi queat. Inter quos videlicet istum Wimarum ad apostolorum limina festinasse cognoscite, et pœnitentiæ modum pro perpetrato trium filiorum suorum homicidio sibi impositum manifestasse. Quorum quædam temperavimus, eo quod suffragia apostolorum principis nutritoris nostri postulare devote festinavit. Nam eumdem ad beati archangeli oraculum ire volentem instantia temporis revocavit: atque constitutionis sibi impositæ modum continentem epistolam vestræ sanctitati deferendam apostolica sollicitudo transmisit. In ea igitur, hoc est in ista, ita statutum est, ut triennio ante fores ecclesiæ pro peccatis suis oraturus consistat, et deinde inter auditores permaneat quadriennio: ut septem annorum curricula absque communione Dominici corporis et sanguinis ducat, ita quidem ut omnibus diebus vitæ suæ panem non manducet; et in isto septennio vinum non sumat, nisi diebus Dominicis et festivitatum: abinde quinquennio, tribus diebus per septimanam a vino abstineat, ut duodecim annis quantitas pœnitentiæ extendatur. Liceat itaque illi uxorem propriam non deserere, ne forte incidat in adulterium, et pro occasione unius delicti præcipitetur fragilitate carnis in pejus. Concessimus enim ei calceatum ad vos pervenire, ac deinde triennio discalceatum ire debere, et vestimentis secundum qualitatem temporis et aeris temperiem indui; atque

lacte perfrui.Cæterum vero ita actus ipsius discernentes,per omnia considerate,atque disponite,quatenus et evangelica misericordia in illo cognoscatur.Attamen permittimus eum caseum sumere, atque possessionem suam habere, et post septimum annum usque ad diem mortis perseveret in jam dicta pœnitentia,atque arma,nisi contra paganos,non ferat.Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valere.

CXXXVII.

AD JEREMIAM EPISCOPUM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

Quam nefarium sit consanguineis copulari.

[Ivo, IX, 12.]

NICOLAUS JEREMIÆ episcopo.

Qui consanguinatis copulas diligunt, summopere se cavere oportet, ne in laqueum diaboli cadant, quamque sit nefarium sanctimoniales, quæ mundi contempto conjugio Christo se devoverunt,aut consobrinam vel de propria consanguinitate uxores ducere, omnibus in recta fide Christi permanentibus patet.

CXXXVIII.

AD OSBALDUM CHOREPISCOPUM QUADRANTINUM.

Fragmentum. — (Anno 867.)

Qui defendendo se paganum occiderit, sacerdotali careat officio.

[Grat. I, 50, 6.]

De his clericis pro quibus consuluisti,scilicet qui se defendendo paganum occiderunt, si postea per pœnitentiam emendati possint ad gradum pristinum redire, aut ad altiorem conscendere : scito nos nullam accasionem dare, nec ullam tribuere eis licentiam quemlibet hominem quolibet modo occidendi. Verum si contigerit, ut clericus sacerdotalis ordinis saltem paganum occiderit,multum sibi consulit, si ab officio sacerdotali recesserit : satiusque est,illi in hac vita Domino sub inferiori habitu irreprehensibiliter famulari,quam alte indebite appetendo damnabiliter in profundum demergi.

CXXXIX.

AD EUMDEM OSBALDUM.

(Anno 867.)

De pœna presbyteri qui diaconum percusserit.

[Ivo, X, 24.]

NICOLAUS OSBALDO episcopo Quadrantino.

Studeat sanctitas tua persuadere episcopo tuo sibi canonicum sociare numerum collegarum, id est sex ex vicinis provinciis fratres et coepiscopos tuos : quibus tecum junctis,et decernentibus diligenter investigare,et omni annisu scrutari procurate,quatenus invenire valeatis utrum percussione jam nominati presbyteri,an cervicis fractione idem diaconus, ut fertur exstinctus est. Et si quidem a sæpefato presbytero non ad mortem percussus est, sed ex equo cadens cervice fracta interiit,secundum arbitrium vestrum pro percussione incaute agenti presbytero pœnitentiam competentem indicite : et aliquanto tempore a missarum solemniis suspendatur,denuo ad sacerdotale posthæc rediturus officium.Quod si veraciter qualicunque percussione istius presbyteri ille mortuus est diaconus,nulla hunc ratione ministrare sacerdotis more decernimus,quoniam etsi voluntatem occidendi non habuit, furor tamen et indignatio ex quibus motio illa mortifera prodiit, in omnibus, sed præcipue in Dei ministris multipliciter inhibentur, atque ubique damnantur. Verum si presbyter adeo vestro studio noxius forte claruerit,præcipimus ut tale beneficium sibi ecclesiæ suæ concedatur, quo et ipse et sui sufficienter possint habere suæ sustentationis solatium.

CXL.

EX DECRETIS NICOLAI PAPÆ.

(Anno 867.)

[Apud Mansi, *ibid.*]

Si quis fornicatus fuerit cum duabus sororibus, vel cum noverca sua,hoc est cum relicta patris sui, vel cum amita,seu cum matertera sua,vel cum filia patrui sui, sive avunculi, vel cum filia amitæ suæ, materteræ suæ, aut cum filia filiæ,vel filii sui; sive etiam cum ava,sive etiam cum proava sua,aut cum filia fratris,sive sororis suæ, sive cum uxore fratris aut filii sui.Similiter si quæ mulier per supradictos consanguinitatis gradus se fornicari permiserit, unusquisque eorum singillatim per se XVI [annos] in hunc modum pœniteat. In primis quidem toto illo anno inclusus maneat ad ingressus domus Dei, et eodem anno,exceptis Dominicis diebus et festis, solummodo pane, aqua,et sale utatur.

Secundo anno ingrediantur quidem domum Domini,sed carnibus et vino aut sicera minime utantur in [*Del.* in *et Suppl.* exceptis, *ut infra*] festis et Dominicis diebus ; postea vero aliis duobus sequentibus annis per totum anni circulum quando carne vescint,ab omni patu quo inebriari potest,se contineant ; et si potum biberint,minime carne vescant. Infra hebdomadam scilicet tertiæ feriæ, et quintæ, et Sabbato ; æliæ autem feriæ sint puræ, id est secunda et quarta et sexta.

Dominici vero dies sint absoluti.Deinde usque ad finem decimi anni tres legitimas ferias per tres Quadragesimas in anno legitime custodiat, sextam vero feriam,quandiu vixerit,in pane,et aqua observet. Arma non ferat nisi contra paganos. Osculum nulli præbeat. Sacrificium nisi pro viatico minime sumat,et si sine uxore esse [*f.*,contigerit] nunquam conjugio copuletur.

Si vero conjugatus est, post quinque annorum pœnitentiam non penitus privetur conjugio.Qui autem in aliis gradibus usque ad septimam lineam incestum perpetraverit, decem annis, sicut supra dictum est, pœniteat.

Sane sacerdoti considerandum est si semel peccavit, aut quanto tempore quis in vitio perduravit, aut si casu, aut si non sponte, aut nesciente incestum perpetravit, et considerata quali-

tate, sive quantitate peccati provida mente lapso pœnitentiam injungat.

Si quis fornicatus fuerit cum matre sua,aut cum sorore sua, sive cum filia sua, in primis septem annos in solo pane et aqua vivat,sicut supra dictum est,exceptis Dominicis et festis diebus, et in eisdem septem annis domum Domini minime ingrediatur; dein usque ad expletionem vigesimi primi anni tres legitimas ferias observet in pane et aqua ; postea vero omnibus diebus vitæ suæ sextam feriam in pane, et aqua custodiat, et si sine uxore est, nuuquam aliquando copuletur. Quod si uxorem habet post septimum annum uxori reddatur.De armis vero, et pace et sacri eorporis perceptione,sicut supra dictum est, fiat.

Si cum amita vel matertera,si consobrimus cum consobrina, secundum antiquam diffinitionem in duodecim annis pœniteat(*a*)excommunicatus humanius diffiniere, decem si cum agnata,vel cognata a tertia usque ad septimam propinquitatem secundum antiquam et humanam diffinitionem ;si tertia fuerit duodecim annis pœniteat,si quarta decem,si quinta octo,si sexta septem,si septima quinque; si socer cum nuru, si gener cum socru, si vitricus cum privigna ; si privignus cum noverca;si cognatus cum cognata, quæ est uxor germani sui, aut germana uxoris suæ secundumanti quam et humaniorem diffinitionem decem annis pœniteat ;si secunda uxoris suæ septem annis pœniteat ; si tertia septem ;si quarta sex ;si pater et filius,aut duo fratres cum una muliere,aut cum matre et filia, aut cum duabus sororibus, aut cum duabus commatribus secundum antiquam et humaniorem diffinitionem octo annis pœniteat ; si cum sacrata virgine, vel cum sanctimoniali, sive cum uxore alterius ; si compater cum commatre,vel frater cum sorore in Christo secundum antiquam diffinitionem decem annis pœniteat, Tolet. I, cap. 16, humana diffinitione septem ; cum devota quæ est veste mutata; si cum electa vidua, vel desponsata alterius ; si cum presbytera, vel diacona; si cum vidua vel pagana secundum antiquam diffinitionem decem annis pœniteat ;humana diffinitione septem; si cum vidua æquali, vel publica meretrice, aut ancilla alterius secundum antiquam et humanam diffinitionem annis quinque pœniteat ;si cum laica virgine,quam nec quoniam accipit uxorem secundum antiquam et humanam diffinitionem quatuor annis pœniteat. His autem feminis cum quibus omnibus suprascriptis personis incestis et nefandis commixtionibus commisceretur,similiter ut ordo est mulierum, ita pœniteat. Sic tantum et is qui hoc malum consenserit ;alioquin sic ut fuerit modus culpæ, ita a prudentissimo sacerdote judicentur. Præterea si, quod absit, de ordine clericorum forte ex his omnibus personis quæ supra commemoratæ sunt in aliqua ruerit,quæ incestæ dicuntur,notandum quod unumquemque laicus quinque annis judicatur ;subdiaconus septem,diaconus et monachus decem ;presbyter quatuordecim;episcopus decem et octo,et his similia quæ sequuntur.

(*a*) Locus non sanus.

CXLI.

EPISTOLA AD THADONEM ARCHIEPISCOPUMM EDIOLANENSEM.

(Anno 867.)

De flagellatoribus et occisoribus episcoporum.

[Ivo, x, 20.]

NICOLAUS THADONI archiepiscospo Mediolano.

De presbyterorum flagellatoribus et occisoribus, prædonibus scilicet qui sæculari brachio minime coercentur, juxta præceptum Domini, placuit fraterno amore conveniantur secundo ac tertio,quique si te non audierint,conveniente ecclesia eos eucharistia privare :.atque si in sua obstinatione, parvipendentes sacerdotalia monita, forte permanserint, ab Ecclesiæ compage sub anathematis interdictione resecare licentiam tribuimus.Quos etiam resipiscentes, tandem digna satisfactione præmissa,in gremio sanctæ matris Ecclesiæ revocari noveris posse.

CXLII.

AD EUMDEM THADONEM.

(Anno 867.)

Ut juxta gradus cognationis modus culpæ tractatur.

[Ivo, IX, 14.]

NICOLAUS THADONI archiepiscopo Mediolano.

Eos qui cum amitæ suæ filia vel patrui,vel avunculi(heu!)forte peccaverint,juxta gradus cognationis statuimus modum culpæ tractari,sicut pridem tibi per apostolicam epistolam de his qui cum spirituali matre hujusce flagitium commiserint, innotuimus.

CXLII.

AD EUMDEM.

(Anno 867.)

Ut presbyter homicida sacerdotali officio careat.

[Ivo, x, 29.]

NICOLAUS THADONI a9chiepiscopo Mediolano.

Propterea de presbyteris qui non sponte homicidium perpetrarunt, et tamen homicidii noxam quæ revera homicidæ sunt incurrunt, sancimus ut subducti a sacerdotali ministerio, pœnitentia juxta sacros ordines macerentur, et post,emensis temporibus pœnitentiæ indictæ, dignam satisfactionem præbentes communionis gratiam consequantur;intemeratis duntaxat in omnibus sacro sanctis canonicis ac apostolicæ sedis pontificum decretis,quibus conversis et pœnitentibus misericordiam largiri posse et ecclesiæ aditum non denegamus,imo hortamur salubriter atque jubemus.

CXLIV.

AD JOANNEM ARCHIEPISCOPUM RAVENNATEM,

(Anno 867.)

Ut si episcopus occisus fuerit, alter non subrogetur, nisi reis detectis et punitis.

[Ivo, x, 19.]

NICOLAUS JOANNI archiepiscopo Ravennæ.

De Oleoberti episcopi Gravellensis crudelissima A nece multum apostolatus noster condoluit,et magno mœrore affectus est :sed rursus non minus prudentiam tuam miramur, utrum verum sit quod illuc vestrum factura episcopum sine nostra licentia transmiserit, cum licitum non sit,sicut dicitis,missum. Certe etsi aliud non impediret, saltem vos tandem scelus paululum retardare debuerat, ne cito in tali et de tali populo episcopum constitueretis,ubi oves morbidæ, Judæorum,in Dominum Salvatorem imitantes flagitium,proprium ausi sunt truncare pastorem. Sustinete igitur paulisper, et causam quam nescitis secundum beatum Job diligentissime investigate, ne forte,nisi digna examinatio prævenerit, manus super caput sanguine plenum posuisse,quod absit, inveniamini. Cum autem detectis reis atque B punitis qui dignus sit apparuerit,et cleri plebisque, et ducis nostri nostram habentis auctoritatem, qui utique unus e plebe eadem esse dignoscitur,concordia effecta fuerit, celebretur electio,sicque demum, sicut in synodo deliberatum est atque constitutum, nobis hoc innotescite : et cum de electo nostro apostolatui nuntiatum fuerit,adjnvante Domino sanctione præmissa, episcopus a vestra beatitudine consecretur.

CXLV.

AD HINCMARUM RHEMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 867.)

Non studio, sed ex necessitate vel ignorantia peccantes absolvendos esse.

[Apud Mansi, *Conc.* tom. XV.]

Nicolaus Rhemorum archiepiscopo.

Excellentissimus rex Carolus apostolatum nostrum consulit, quid agendum sit de his, qui communicant cum his, qui cum Ingeltrude sæpe damnata communicant femina,quoniam eos cum excommunicatis et fautoribus simul prius vinculo anathemati retineri constat astrictos.Quapropter nunc beatitudini tuæ injungimus, ut super hoc nostra auctoritate freta, curam de his sumere audeat. Et quia docta divinitus sanctitas tua valde novit aliud esse ex necessitate,aliud ex ignorantia,atque aliud quod ex studio delinquitur, istudque posterius duobus prioribus strictius esse puniendum,idcirco solerter D invigilet, et cauta discretione singulorum mores dijudicet,quatenus hi,qui ex necessitate,vel ignorantia delinquunt,auctoritate nostra per te absolvantur,si tamen ipsa eorum ignorantia vel necessitas vera,et non simulata,vel non ex voluntate processerit,qualiter bene nosti.Plerique sunt qui possunt quidem, sed nolunt recta nosse; unde psalmista de hujusmodi : Noluerunt, inquit, intelligere, ut bene agerent (*Psal.* xxxv). Illos autem qui studio suo obligantur, et contemptu interdicta nostra postponunt, nonnisi digna satisfactione præveniente,volumus a te prorsus absolvi.

CXLVI.

AD THEUTBERGAM REGINAM.

(Anno 867.)

Arguit quod contra seipsam tædio victa scribat, negatque fieri posse quod suggerit, ut continentiæ studio conjugium dissolvat,nisi Lotharius maritus cælibem quoque vitam promittat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus,servus servorum Dei,dilectæ filiæ Teutbergæ gloriosissimæ reginæ.

Epistolam suggestionis tuæ præsulatui nostro deferentibus legatis tuis missam suscepimus,et quod nihil ipsa litteris,quam quod illi verbis indicaverit, evidenter agnovimus.Verum in utroque obstupefacti pariter et mirati sumus,atque tam repente styli et petitionis mutata verba considerantes, nihil tale te nobis intimasse quoque tempore recoluimus. Sed quid nobis talia scribis et suggeris, cum nos te nobis hæc et scripturam et suggesturam longe ante præscierimus? Verum cum ad relationem omnium pene insignium personarum, quæ in Gallicanis et Germanicis regionibus consistunt, mentis inflectimus oculos, multum inter se distare conspicimus, quod ipsa nunc duntaxat significas,et quod illi quotidie propemodum verbis et apicibus innuunt.Omnes enim te irremotam afflictionem, intolerabilem oppressionem, nimiamque violentiam pati testantur. Tu autem his contraria suggerens, nullo cogente, sponte ac libenter a regia dignitate exui te velle ac C optare fateris, et cætera, quæ illi quidem aliter tu vero aliter prosecuta esse dignosceris. Ita ut omnimo assertionibus legitime a Lothario rege admissa, inique deinde accusata, post hæc purgata,deinceps denuo repulsa, postremo decreto nostro jure recepta dicaris : tu autem his omnibus contraria nunc effecta,et tuæ ipsius oblita professionis,nescio quæ frivola fatearis,quæ videlicet nolumus exaggerare, quia nolumus supervacue laborare. Intelleximus tamen eum qui nocuit sanctæ Dei Ecclesiæ, nocere adhuc, et qui in sordibus erat, sordescere adhuc. Intelleximus, inquam, jumenta in stercore suo proposuisse putrescere,et cui non sufficit solum adulterium perpetrasse, et falsitatis præstigia ac iniquitatis ndinventiones in funiculo vanitatis contraxisse, apposuit ut etiam animas hominum perjurii laqueis irretitas in extremum præcipitaret exitium. Sed quid mirum, si paucorum animabus per perjurium acquisivit interitum,qui in sublimi positus per exemplum suæ mœchiæ tot hominum millia in perditionis chaos demersit ? Illud tamen quod Waldradæ perhibes testimonium,dicens eam fuisse legitimam uxorem Lotharii,frustra conaris astruere, quandoquidem tuo nullo prorsus hinc testimonio quis indigeat : cum magis nos ita sentiamus quod justum est, et ita intelligamus quod æquum existit, ut te etiam reprobata,etiam mortua, Lotharius nullis legibus, nullis sine sui discrimine regulis,Wal-

dradam mœcham in uxorem unquam permitteretur assumere. Utrum ergo Waldrada legitima fuerit aliquando conjux, Ecclesia Dei satisfactione tua non eget. Unum tamen scito, quoniam nec nos, nec eadem sancta Ecclesia, Deo auctore, qui adulteros judicabit, Lotharium, si Waldradam quandoque resumpserit, etiam te ut prætulimus decendente, dimittet omnibus modis impunitum. Illud vero quod dicis, Romam te velle venire, nobisque passiones et quædam secreta tui pectoris reserare ; fieri non convenit, quoniam et securitas itineris quam prætendis, nulla est, et quandiu Waldrada ita Lothario juxta posita est, ab illo quoquam te discedere non permittimus. Dum enim tu discesseris, illa recipi procul dubio creditur, et in longinquitate tua ipsa confestim admittitur. Quod autem sterilis, ut asseris, permanere dignosceris, non hoc corporis infecunditas, sed viri facit iniquitas : quamvis Deo fecundante legamus, quoniam *sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est* (*I Reg.* II). Perhibes etiam, quod matrimonium inter vos non divinitus fuerit ordinatum, et idcirco permanere non possit : quoniam *omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur* (*Matth.* XV). Sed recole quia vineam Deus plantavit, quam exspectavit juxta Isaiam ut faceret uvas, fecit autem labruscas (*Isa.* V), et quæ secundum Jeremiam conversa est in amaritudinem vitis alienæ (*Jer.* II). Deus ergo plantavit matrimonium vestrum : sed conjugis tui vitio conversum est in amaritudinem : et dum exspectatum est ut faceret uvas, fecit, heu ! labruscas, vel etiam spinas. Sed hæc quidem ex innumeris epistolæ tuæ sola commemorare libuit. Cæterum quis ignorat hæc te multis pressuris subactam depromere, ac innumeris malis attritam proferre, cum etiam, ut prediximus, omnes religiosi et clari Galliarum et Germaniæ viri hæc ita se habere frequenti relatione testentur, adeo ut hæc te nobis scripturam fore ante multum temporis agnoverimus? Sed his omissis, hortamur te, ac vehementer admonemus, ut ipsa tibimet manum non inferas, nec mortis fomitem generes. Melius quippe tibi est, ut veritatem loquentem alius te occidat, quam tu te ipsam mendacium dicens interimas. Sta igitur intrepida atque constans, et mortem, quam quoquomodo semel experiri debes, præcipue pro veritate sustinere ne paveas. Quoniam cum Christus sit veritas, quisquis pro veritate moritur, pro Christo procul dubio moritur, pro qua videlicet et Joannes occisus Baptista martyrium sumpsisse dignoscitur. Quod si ille proximi justitiam loquens interficitur : quanto potius tu Dei justitiam loquens, et de veritate tua testificans, nullius mortis formidare debes exitium? Beati enim qui persecutionem patiuntur propter justitiam (*Matth.* V), non solum alterius, sed et suam. Verum nos hanc confessionem tuam, quam non voluntas, sed vis extorsit, nequaquam pro confessione recipimus : nec permittimus tantum vitium radices extendere, quod nisi evulsum intime fuerit, ad multorum perniciem potest accrescere. Denique si hoc licet, omnes viri possunt, quas jure sortiti sunt feminas, si has odio habuerint, diversis afflictionibus macerare, et quod legitime non fuerint assumptæ, fateri cogere : quin etiam, ut mortale crimen contra se dicant, illatis intolerabilibus pœnis compellere. Quis enim magis nocere valet, quam civilis hostis? vel quis amplius lædere poterit, quam uxorem maritus? Sed nos tales fraudes præcavere debemus, et ne proficiant, in ipso novitatis earum principio detruncare. Nec tamen putamus Lotharium, virum videlicet tuum, in tantam sui pernicien devolvendum, ut vitæ tuæ insidiari quocunque modo consentiat, cum non sibi vel regno suo minus quam tibi, si ad hoc tam immane piaculum dilapsus esset, acquireret omnino dispendium. Siquidem tu, quantum humanus intellectus sufficit invenire, non solum innoxia sæpe comprobata es, verum et Ecclesiæ semper auxilium provocasse dignosceris. Insuper et sancti apostolorum principis præsidium refugium que petistis. Unde sedes apostolica tuam causam cœpit discutere, et speciali quidquid quæstionis emersisset judicio suo reservare proposuit. Quamobrem quisquis contra te agit, non solum Ecclesiam Dei graviter lædit, verum etiam sedem apostolicam de cujus judicio non licet retractari, vehementer adversus se commovere convincitur. Sane si tu Romam venire disponis, et licentiam proficiscendi a conjuge tuo adipisci vis; nos e contra multo magis exhortamur, ut suadere modis omnibus eidem viro tuo procures, quatenus prius securitatem tibi certissimam tribuat, qua fretra nusquam metuas te per hominem aliquid incidere læsionis. Quod omnino non provenire poterit, nisi Waldrada prius Romam mittatur, et de ea quod conveniens sit diffiniatur; et ita demum talis immunitatis certitudo subsequatur, ut tu nec veniens, nec commemorans, nec hinc rediens aliquod patiari incommodum. Quod si renuit ad repellendam a se sinistram opinionem agere, cessa, et ne talibus fraudis insidiis acquiescas omnino præcave. Callide quippe tam ille, quam satellites ejus, te decipere moliuntur, et versutæ suæ tergiversationis pedicis supplantare procul dubio machinantur. Porro si amore pudicitiæ, ut asseris, solutionem matrimonii quæris, hanc tibi nullo pacto noveris tribuendam, nisi vir tuus eamdem pudicitiam non ficte sectatus exstiterit. Denique ut cum beato Gregorio papa dicatur, si continentiam, quam vir appetit, uxor non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat, dividi conjugium non licet : quia scriptum est : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir ; et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (*I Cor.* VII). Optamus gloriam tuam in Christo nunc et semper bene valere, dilectissima filia. Data IX Kalendas Februarii indictione XV.

—

CXLVI.

AD EPISCOPOS IN REGNO LOTHARII CONSTITUTOS.

(Anno 867.)

De Waldradæ excommunicatione tertio jam scribit: notat illorum desidiam, et referri ad se jubet, an Lotharius cum Theutberga conversetur, et quomodo eam tractet.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus,servus servorum Dei,sanctissimis et reverentissimis confratribus nostris,archiepiscopis et episcopis in regno Lotharii regis Ecclesiam Dei gubernantibus.

Optaremus tandem aliquando securi de correctione Lotharii regis effecti,ad alia ecclesiasticarum dispositionum negotia stylum protendere. Sed nec peccata consummata ipsius, quæ mortem generant, utcunque permittunt,nec studium vestrum, quo finem tantum scelus accipiat,ita vigilanter ac episcopaliter adversus id saltem nobiscum decertando fervorem justitiæ demonstrat. Quapropter attonite satis cor vestrum non solum miramur,sed et deflemus.Quisenim non lugeat tantam linguæ desidiam? tam remissas negligentiæ manus ? quando inter tot pastorum custodias, nec lupi gregi non parcentis insidiæ præcaventur, nec leonis aditus quærentis quem devoret excluduntur.Et certe cum unumquemque Christianum zelus Dei comedere debeat, multo magis vos eodem zelo uti oportuit, qui ejusdem sanctæ domus,utinam non ad majus periculum vestrum, eminentiorem gradum estis et ordinem consecuti. Sed his prælibatis, ecce tertio nunc vobis omnibus esse Waldradam,filiæ nostræ Theutbergæ reginæ iniquissimam æmulam,consortioChristianorum et communione privatam nostris epistolis indicamus. Denique postquam imminentia missi nostri, sicut ipsi nostis, Lotharius Waldrada repulsa Theutbergæ reginæ conjugi suæ obedienter sese restituit, et præstiti sacramenti satisfactione certissima finem sceleri dedisse merito credi poterat : statutum est,ut tanto fieret ab eodem rege Waldrada remotior,quanto antiqui hostis calliditas talibus non deesse convincitur. Statutum est etiam,ut ipsa mulier in Italia interim remorata,nostræ præstolaretur censuræ tenorem : et si hanc Romam venire necessarium duceremus, incunctanter occurreret : quatenus coram nobis consistens, aut se si posset innoxiam exhiberet, aut commissum confessa misericordiam impetraret. At illa in Italiam quidem licet coacta venit: Romam vero mentis obstinatione vita proficisci despexit. Imo tanquam irreprehensibilis conscientiæ retro conversa in provinciam properandi gressum protendit.Quo audito,intelleximus eam flagitium suum nulla velle correctione terminari, nec proprium vulnus ulla desiderare subsequente medela curari. Quapropter sententiam in eam excommunicationis, usque ad correctionem, et idoneam nostram et totius ecclesiæ satisfactionem, protulimus. Nam quantum sit ipsa cunctis severius punienda,in hoc certum est demonstrari, quod rex quidem Lotharius adeo iniquitatem suam agnovit ut hanc etiam et corrigeret. Ipsa vero nec agnovit, nec confessa est,nec venenum suæ mentis deseruit. Verumtamen ab itinere cœpto reducta,nec percussa doluit,nec attrita voluit recipere disciplinam.Quippe quæ nec reversa est ad percutientem se, nec etiam duriora vulnera sensit. Merito ergo ea inter mortuos reputata : quæ nimirum neque [*edit. Rom. addit* ut viva vocem prædicantium audit neque in suis, etc.] in suis penetralibus occultata, imo jam fœtida jacens, per confessionem foras egreditur. Vobis ejusdem in jam fatam mœcham sententiæ prolatæ notionem duximus nostris litteris exaratam denuo destinandam : admonentes videlicet, ut saltem vos et subjectos vestros ab operibus ejus mortuis observaretis, et ut præceptum est, pollutum minime tangeretis (*Isa.* XII). Quamvis easdem litteras, ut relatione nonnullorum audivimus, imo ut lucri nullius effectu didicimus recipere fraternitas vestra renuerit,nec in hoc pro quo missæ sunt, vel a nobis excitata vigilare, sive quamlibet operam dare curaverit. Quæ res si veritate minime fulciretur,profecto quantum proficeret, aut non proficeret, pontificio nostro solertia vestra jamdudum congruo [*pro* congrue, HARD.] retulisset. At vero cum nil ex hoc nobis retulerit, patenter datur intelligi, nihil hinc studii,ut admonita fuerat,eam penitus habuisse. In quo liquido patet, quid ageretis nullis hortatibus nostris pulsati, qui nullum in ecclesiasticis correctionibus laborem geritis etiam a nobis toties incitati. Sed saltem nunc quod hactenus omisistis incipite,ita ut unusquisque vestrum veraciter dicere cum psalmista valeat : ***Nunc cœpi*** (***Psal.*** LXXVI). Et novissime cum apostolo securus et lætabundus fateri : ***Bonum certamen certavi,cursum consummavi, fidem servari, et de cætero reposita est mihi corona justitiæ*** (***II Tim.*** IV). Verum jam fortasse malitia sibi finem imponeret, nisi quidam vestrum magis sua, quam quæ Jesu Christi sunt, quærerent. Quidam sibi peritura seu toxicata beneficia subtrahi metuunt, pro justitia quidam loqui renuunt,favere autem mœchis tota virtute contendunt, ac per hoc æternis beneficiis justo judice decernente privantur. Quanquam meminisse nihilominus debeant, nos penitus non latere, quantum ipsi favorem mœchis præstiterint : nimirum qui surreptiones suas in profanis gestis non dudum reperisse non nesciunt. Quibus etsi forte apostolica moderatione ignovimus, qualiter tamen his quibus pepercimus fuerit ignotum recolimus. Denique sic præterita dimisimus,ut futuris congruam adhiberemus cautelam; et sic se nossent illi provisum judicium evasuros, si se scirent in idem flagitium favendo nunquam penitus incursuros. Nunc ergo, quoniam minus sese caute ab eo munierunt, in judicium quod dilatum est inciderunt, quamvis et illis, et his, qui mittere pro impetranda venia contempserunt, valde providendum est, ne a communione nostra, ac per hoc ab universalis Ecclesiæ compage ruant,sicque demum

de gradibus suis minus in finem, quam volunt, exsultent. Præterea si quis, ut fama mentitur, æstimat nos Waldradæ in Galliam remeandi licentiam dedisse, vel si qui sunt, ad quorum notitiam epistolæ nostræ propter occultationem earum non pervenerunt, si scire non recusant quæ super hujusmodi negotio nostra fuerit immota semper intentio, Christianum et Waltarium comites interrogent, quos Romam, licet non uno eodemque, tamen continuato tempore venientes, non solum ut Lotharius, quatenus a pravitate tandem cessaret, jugiter admoneretur. hortati sumus: verum etiam eis, quia Waldrada erat excommunicata multipliciter intimavimus, pro eo scilicet, quia impœnitens permanere proponens, a nobis salutis suæ remedium ad limina veniens apostolorum, ut statutum fuerat, minime postulaverit. In quo considerandum est, quia si idcirco potissimum per nos Waldrada mulctata est, quoniam cœptum salutiferum iter non perfecit, quomodo ut retro rediret nostram licentiam habere valuerit, ignoramus. Sed ad vos nunc nobis, fratres charissimi, sermo est, et ad vestræ beatitudinis reverentiam noster stylus dirigitur: quatenus si adeo [*edit. Rom.* a Deo] zelus vester non accenditur, ut Phinees imitari videatur, videlicet ut quod ille materiali, vos exerceatis gladio spirituali, saltem Nathan, Eliam, cæterosque prophetas, qui delinquentes reges salubriter corripuerunt, æmulatione sacerdotali, seu pastorali sollicitudine revocare non renuat. Nam etsi quondam Elias, infirmitate victus humana, furorem principis fugit, sed et scelera ejus sæpe redarguit, et impavidus exprobavit. Similiter et iste beatus pastor Ecclesiæ Petrus, qui prius quidem ad unius mulierculæ vocem, fragilitate superatus et ipse humana, quod est divina gestum dispensatione, dum mori timuit, auctorem vitæ negavit: post acceptum sancti Spiritus donum, cujus partem et vobis inesse non immerito credimus, adeo etiam post minas, post cædes, vires principum pressit, ut merito in igneis linguis Spiritum sanctum accepisse probetur. Nimirum qui quos replevit ardentes, fecit pariter et loquentes, necnon et flamma divini zeli, atque suorum mirabilium verborum facibus corda principum mundi accedentes. Et revera quis infirmabatur, et illi non infirmabantur? quis scandalizabatur, et illi non urebantur? Sed ne diutius immoremur, verbis vos solum jam nunc ipsius apostolorum principis convenire curamus, et quod ille presbyteros alloquens prosecutus est, ad vos multo magis pertinere colligite; et quale malum sit adulterium, vel quid vos maneat, si studiosi vel si desides fueritis inventi, ex sermone illius, qui per B. Clementem recitatur, attendite, ait enim: Et quid in omnibus peccatis adulterio gravius? secundum namque in pœnis obtinet locum: quoniam quidem primum habent illi qui aberrant a Deo, etiamsi sobrie vixerint. Propter quod vos, o presbyteri, Ecclesiam excolite, et adornate sponsam Christi ad pudicitiam. Sponsam autem dico omnem Ecclesiæ Christi congregationem: quæ si pudica inventa fuerit a sponso suo, ingentibus ab eo donis et muneribus honorabitur, et vos, velut ministri sponsæ et amici sponsi, ingenti gaudio et lætitia perfruemini. Si vero sponsa hæc reperta fuerit commaculata peccatis, ipsa quidem tanquam indigna extrudetur a regalibus toris: vos autem pœnas dabitis, si forte per vestram negligentiam et desidiam obrepserit contagio sæva peccati. Ecce audistis præmium, studiosi; ecce audistis discrimen vestrum, inertes. His itaque decursis, sanctimoniam vestram hortamur, et per incomprehensibilem sanctam Trinitatem vos omnes pariter obsecramus, ut litteris vestris sine mora per legatos vestros idoneos directis nobis veraciter indicetis, si secundum juramentum præstitum coram misso nostro, Lotharius cum Theutberga conversetur, aut si ita illam tractat, quemadmodum rex legitime sibi conjunctam debet tractare reginam. Et qui sint illi qui nullo pacto a nobis dissidentes, adulteris nullum consentiunt præstare favorem. Necnon et hanc epistolam nostram ostendatis, et excommunicationis Waldradæ tenorem manifestum facere studeatis. Jam vero qui hæc vestrum agere, et intimare quæ diximus postposuerit, ipse se obnoxium et fautorem adulterorum palam ostendet: et hoc nobis erit signum, eum tanto consensisse facinori, si obedire huic instituto nostro neglexerit, ac per hoc tanquam conventum a nobis et admonitum, ac salubri monimini satisfacere nolentem, sed per omnia nobis in obedientiem, nostra seu totius Ecclesiæ hunc communione constituimus esse remotum: in promptu videlicet, secundum Apostolum, habentes omnem ulcisci inobedientiam (*II Cor.* x). Sane cui personam dirigendi nulla facultas suppeditat, saltem scripta eamdem indicantia mittere minime parvipendat. A qua indulgentia Viridunensem antistitem non inconvenienter excipimus: quem omnino præcipimus non solum litteras ad nos, verum et personam de proprio clero mittere, sine qualibet mora vel excusatione, prorsus idoneam. Optamus sanctitatem vestram nunc et semper in Christo bene valere. Data VIII Kalendas Februarias, indictione XV.

CXLVIII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 867.)

Quod Theutbergæ judicium Lotharius retractare, per monomachiam decernere velle dicatur. Petit ut illam in regnum suum recipiat: tum ut epistolas dirigat, quas Lothorio eidem, ejusque episcopis scribit.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio CAROLO glorioso regi.

Nunquam dolorem generat, sicut spes frustrata, nunquam æque mentem vulnerat, ut molestum nuntium veniens insperatum. Sed quod dicimus aperiamus. Denique inter alios sanctæ Dei Ecclesiæ religiosos propugnatores, atque veritas strenuos defensores, neminem magis super Theutbergæ gloriosæ reginæ contritione sollicitum, neminem magis

ipsius incommoditatibus condoluisse, quam vestræ pietatis affectum, recolimus. Adeo ut in vita fratris ejus causam ipsius sedi apostolicæ retuleritis, et eam largitate munificentiæ vestræ non pauco tempore sustentaveritis, nosque frequenter ad auxilium illius exhortari studueritis. Quocirca sedes apostolica tantam vestræ charitatis circa eam intuens abundantiam, quoniam celeri exsecutione, pertinacia perversitatis obstante, causam ejus perficere non prævaluit, vestræ hanc, tanquam Deo contemp'ante, atque beato secum Petro apostolorum principe contradente, tutioni seu clementi munitioni commisit. Nunc autem, sicut audivimus, Lotharius rex adversus eamdem Theutbergam rursus armatus, ut assensum quoque vestrum huic nefariæ intentioni suæ copulare potuisset, fœdera vobiscum iniisse dicitur, et quodam regni sui collato monasterio, pro perdenda præfata Theutberga nutum sibi vestrum univisse, diffusa longe lateque fama protenditur. Quod si, ut multi ferunt, verum est, vehementer exstitit dolendum et amarissime deplorandum ; videlicet ut a priori consilio pietatis nunc retro, quod absit, conversi consilium detis impietatis, et qui hactenus favorem præstabatis æquitati, nunc assensum præbeatis iniquitati. O incomparabile detrimentum ! o inenarrabile pii regis compassionis dispendium ! Sed absit hoc a tanto principe, absit a fidelium cordibus de tanto Christi cultore tale quid facile credere, cum potius credendum est, eos qui Balaam imitantur merito reprehendere, qui contra eorum vitam, quibus se similem fieri etiam moriendo poposcerat, consilium præbuit, et cum occasionem de avaritia reperit, illico oblitus est quidquid sibi de innocentia optavit (*Num.* XXII.) Sed quia de præbendo nequitiæ consensu vestro nondum ex toto credere patimur, restat ut ad exhortandos vos, quo circa jam fatam reginam pium ac inchoatum opus consummetis, interim calamum temperemus. Ecce enim Veritas dicit : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X). Ecce de offerente juge sacrificium beato Job legitur : *Sic faciebat Job cunctis diebus* (*Job.* I). Quod B. papa Gregorius exponens ait : In sacrificio igitur sancta actio, in cunctis autem diebus sacrificii constantia actionis ostenditur. Sed his ita præmissis, excellentiam vestram nolumus ignorare, adeo Lotharium regem Theutbergam conjugem suam diversis afflictionibus subdidisse, et innumeris pressuris contra præstita juramenta subegisse, ut nobis coacta nunc scriberet, regia se velle exui dignitate seu copula, et sola privata vita fore contentam desiderare. Cui nos scripsimus non aliter hoc fieri posse, nisi eamdem vitam conjux ejus Lotharius elegerit. Verum, sicut multorum relatu didicimus, ipse Lotharius conventum celebrare disponit, et eamdem Theutbergam examini proprio in judicio [*al.*, et judicio, HARD.] subjicere meditatur, et si quidem eam præstigiis falsitatis suæ, vel argumentosis ambagibus potuerit exhibere, quasi non fuerit legitima uxor, vult etiam a se penitus sequestrare : sin autem, vult eam tanquam propriam quidem uxorem admittere, sed deinde, tanquam mœchata fuerit, insimulare, atque pro hoc hominem suum et hominem Theutbergæ ad monomachiam impellere, et si homo ipsius reginæ ceciderit, disponit hanc sine dilatione perimere. Quæ quantum sint omni vel divinæ vel sanctorum Patrum legi contraria, magnitudo quidem prudentiæ vestræ dignius jam advertit. Sed et nos hinc aliquid strictim volumus demonstrare, prius asserentes, quia de retroacta controversa Theutberga non debet ulterius ad iteratam responsionem provocari : quoniam quod bene semel diffinitum est, et interpositis juramentis deliberatum, nulla debet iteratione, nisi fortassis ubi fuerit major auctoritas, retractari. Deinde quia Ecclesiæ refugium quærens, et ecclesiasticum judicium semper expetens, sæculari non debet submitti judicio. Post hæc vero, cum nos ex utraque parte, id est, tam a Theutberga, quam a Lothario fuerimus provocati judices, nosque amborum controversiam exsecuti simus, ad nullos alios convenit super hoc negotio judices convolare : cum secundum sacros canones, a judicibus, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare ; et ubi concessa est provocatio, non nisi ubi est major auctoritas, licet provocare. Itaque cum non sit apostolicæ sedis auctoritate, quæ amborum negotium exsecuta est, usquam major auctoritas, nescimus si alicui liceat de ejus judicare judicio, vel ejus retractare sententiam. Siquidem juxta quod ecclesiastica lex et mos antiquitus observatus indicat, ad illam quidem provocatum, et aliorum ipsam dissolvisse judicium novimus : ab ipsa vero provocatum, vel sententiam ejus quosquam violasse non novimus. Illud vero, quod Lotharius Theutbergam de adulterio criminatur, quis non videat dolo esse plenum et omni iniquitate ? Deniqne si uxor ejus, ut ipse jactat, non est, quid pertinet ad eum de adulterio illi calumniam texere, cum nec mœchari potuerit, si alicujus uxor non exstitit ? Porro de adulterio si a Lothario accusatur, et, si convicta fuerit, ultio præparatur, necesse est ut fatealur uxorem. Quid ergo incassum laborat, anxiatur, et quod sua non fuerit uxor, quibuscunque modis et qualibuscunque argumentis satagit invenire ? Necesse, inquam, est, ut ante omnem controversiam uxorem confiteatur, si hanc ut mœchatam impetendam existimat. Sed de hoc illa coram missi nostri præsentia purgare se voluit, sed ipse non annuit. Monomachiam vero in legem assumi, nusquam præceptum fuisse reperimus : quam [*edit. Rom.*, quia] licet quosdam iniisse legerimus, sicut sanctum David et Goliam sacra prodit historia (*I Reg.* XVII), nusquam tamen ut pro lege teneatur, alicubi divina sancit auctoritas ; cum hoc et hujusmodi sectantes Deum solummodo tentare videantur. His ita prælibatis, dilectionem vestram obnixe deposcimus, ut cura et sollicitudo, atque omne omnino studium, seu auxilium, quod circa eamdem feminam semper fervidum habuistis, nullo tempore

frigescat, imo nullo pacto tepescat; sed potius, quantum vires cœlitus collatæ ministrant, nullatenus ei nocere quocunque gemina [*forte*, genuina, HARD.] charitas vestra permittat ingenio, ne, si forte quidquam læsionis inciderit, ipsi pro illa in terribili divino judicio cogamini reddere rationem; cujus nos, tanquam Deo, sicuti prædiximus, contemplante, illam vice principis apostolorum, cujus præsidium ascivit, salvandam tuitioni commisimus. Ad extremum vero, et quando jam nulla securitas, et immunitatis ejus, quod gementes dicimus, inveniri poterit remedium, atque imminens sibi certissimo prævidetur interitus, recipite illam ad vos, et quousque de ea quod Dominus revelaverit ordinetur, in regno vestro fovete, ac ei solita pietatis vestræ beneficia ministrate: et ita demum, si quid illi objicitur, auctoritate nostra præveniente, ipsius æmuli prosequantur. Sed notate quoniam tunc hæc fieri permittimus, cum a prudentia vestra, vel eorum qui nobiscum sapiunt, nulla spes salutis Theutbergæ remanere præscitur. Præterea sive de conjugii fœdere, sive de adulterii crimine judicium sit agitandum, nulla ratio patitur Theutbergam cum Lothario posse legalem inire conflictum, vel legitimum controversiæ subire certamen, nisi prius ad tempus fuerit suæ potestati reddita, et consanguineis propriis libere sociata. Inter quos etiam locus providendus est, in quo nulla sit vis multitudinis formidanda, et non sit difficile testes producere, vel cæteras personas, quæ tam a sanctis canonibus, quam a venerandis Romanis legibus, in hujusmodi controversiis requiruntur. Verum hæc non ut fiant decimus, quæ sine decreto vel ordinatione nostra fieri non posse supra docuimus: sed ut ostendamus quem legum conflictum Lotharius congredi posse autumat, cum personam, quam in suis penetralibus quotidie fatigat, quotidie conterit, quando vult ad judicium educit, quando vult ad claustra reducit, et cum educta fuerit, nisi ea profiteatur quæ ipse præceperat, quis est qui dicere possit quantis malis introducta submittitur? Proprie igitur libertati committi, et ab omni oppressione ac potestate ipsius, cum quo initur conflictus, oportet liberari, atque in suis licenter uti, et suspectas personas convenit declinare, quæ se ab objectis ostendere cupit immunem. Sed jam ut, fili charissime, epistolæ finem ponamus, semper vos illud quod de bene operante beato Job supra commemoravimus, recolere, semper in causa sæpedictæ reginæ habere præ oculis admonemus: quia frustra laudabile quid geritur, si cunctis diebus quibus vivit, hoc non exsequitur operator: atque incassum in stadio currit, qui antequam ad designatum perveniat locum succumbit. Scriptum quippe est: *Væ qui perdiderunt sustinentiam* (*Eccli.* II). *Vos autem sic currite, ut comprehendatis* (*I Cor.* IX). Quæ præterea de Waldrada mœcha et excommunicata decreverimus, vos non latet. Quæ vero, quoniam nobis non annuentibus in Galliam habitatura repedavit, super ea episcopis regni Lotharii scripserimus, in epistola quam eis misimus, potestis agnoscere: cujusque transcriptum exemplar venerandis antistitibus in regno vestro Ecclesiam Dei gubernantibus vestra tribui gloria faciat. Præterea rogamus, ut vestra sublimitas sine omni dilatione præsentem, crebro dicti regis Lotharii nomine titulatam, per fidelem ac prudentem virum eidem destinare maturet epistolam, cujus exemplar eccc dilectioni vestræ transmisimus. Idipsum etiam vos de illa rogamus agere, quam præsulibus ejus regni transmisimus. Sed sciendum est quoniam quidam timoris aut favoris causa nostram suscipere parvipendunt epistolam: quidam vero suscipiunt quidem, sed palam demonstrare formidant; vel etiam Lothario placere volentes, hanc aliorum visione perniciosissime privant. Quapropter obnixe precamur ut per talem eamdem epistolam nostram virum jam designatis antistitibus vestra sapientia mittat, qui prudenter incedens, nullum prorsus eorum prætereat, cui hanc non tradidisse quocunque modo clarescat. Quo caute ac indifferenter acto, qui hanc susceperit, vel non susceperit, per charitatis vestræ legatum vel litteras protinus ac certissime, sed pleniter nobis poscimus intimari. Nam licet omnes arguendi sint ob nimiæ soporem desidiæ, multo tamen illi severius increpandi vel percutiendi consistunt, qui toties etiam a nobis moti excitari pestifero torporis somno depressi refugiunt. Sed priusquam veraciter hos agnescamus, nihil de his definitivum deliberare prorsus absentia, seu potius ignorantia, justitia dictante, permittit. Optamus gloriam vestram in Christo nunc et semper bene valere, dilectissime fili. Data VIII Kalendas Februarias, indictione XV.

CXLIX.

AD LOTHARIUM REGEM.

(Anno 867.)

Quod Theutberga tædio aflictionum contra se ipsam scribat; cæterum dissolvi ejus conjugium non posse, nisi Lotharius cælibem quoque vitam spondeat.

LOTHARIO glorioso [*edit. Rom.*, gloriosissimo] regi.

Audito, revertente misso nostro, correctionis tuæ ut ita dicamus initio, gratias Deo condignas egimus, et ut tibi quoque grates competibiles referremus, animum præparavimus. Sed, heu! adversa nuntia venientia hujus intentionis nostræ proposito celeriter obviarunt. Quapropter compulsi sumus mutare vocem, et qui ad gratiarum actiones os aperire disposueramus, in luctus et increpationes adhuc officium linguæ coacti dirigimus. Siquidem epistolam nunc suggestionis Theutbergæ gloriosæ reginæ missam, deferentibus legatis ejus, suscepimus, quam nihil intimare reperimus litteris, nisi quod illi asserere videbantur verbis. Verum in utroque obstupefacti pariter et mirati sumus: atque tam repente styli et petitionis mutatæ sensus aprpendentes, nihil tale illam nobis intimasse quoque [*al.*, quoquo, HARD.] tempore recoluimus. Siquidem cum ad relationem

omnium pene, qui ex Gallicanis et Germanicis regionibus Romam orationis gratia veniunt, vel multorum illic degentium, oculos mentis inflectimus, plurimum distare conspicimus, quod ipsa nunc duntaxat significat, et quod hi omnes quotidie propemodum verbis et apicibus innuunt : quippe quam inremotam cuncti afflictionem, ac intolerabilem pressuram, nimiamque violentiam pati testantur, quamvis illa contra, sponte ac libenter a regia dignitate exui se velle ac optare fateatur et copula. Quæ illi quidem aliter, hæc vero aliter prosequi cernitur, ita ut omnium assertionibus legaliter a te admissa, inique deinde accusata, posthac judicio, quo tibi et omnibus subjectis tuis, necnon et episcopis placuit, evidenter purificata, deinde secundo repulsa, postremo monitis et decreto nostro, pariter et hortatu filii nostri excellentis Augusti, jure recepta dicatur. Ipsa autem his omnibus contraria nunc effecta, et suæ ipsius oblita profectionis, nescimus quæ frivola fateatur : quæ videlicet nolumus exaggerare, quia nolumus supervacue laborare. Didicimus tamen multorum relatu ac multis indiciis, te ad imitationem eorum conversum de quibus apostolorum princeps dicit : *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitionem Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, his rursus impliciti superantur, facta sunt eis porteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Contingit enim illis illud veri proverbii, canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti.* Didicimus, inquam, te, qui prolixo tempore in scelere permanens, Ecclesiæ Dei non modicum nocuisti, nocere adhuc, et qui in sordibus eras, sordescere adhuc. Et certe in reversione legati nostri te correptum audientes, ultra quam dici valeat exsultavimus, et omnipotenti Domino gratias immensas retulimus : putantes videlicet, de apprehensis a te honestis moribus, tandem aliquando flagrantiam in odorem suavitatis ad Dominum dirigi, non fœtorem de iteratæ nequitiæ tuæ colluvione per mundum ultra dispergi. Sed heu! e contrario, pro suavi odore fœtor, non in quo currendum sit, sed qui tota velocitate fugiendus existat, ecce hac illacque diffunditur. Siquidem, ut opinamur, tibi non sufficit solum adulterium perpetrasse, nisi apponas ut etiam animas hominum perjurii laqueis irretitas in extremum demergas interitum. Sed quid mirum, si paucorum animabus per perjurium exitium acquisisti, quando in tanta sublimitate positus, per exemplum tuæ mœchiæ tot hominum millia in perditionis chaos præcipitaveris? Nam majora facit crimina sublimitas dignitaium. Illud autem, quod prænominata regina quasi Waldradæ testimonium perhibet, dicens eam fuisse tuam uxorem legitimam, aut invita, aut frustra conatur adstruere : quandoquidem illius nulla prorsus hinc testimonio quis indigeat. Cum magis nos ita sentiamus quod justum, et ita intelligamus quod æquum est, ut etiam Theutberga mortua, tu nullis legibus, nullis regulis unquam Waldradam in uxorem possis aut permittaris assumere. Utrum ergo Waldrada legitima tua fuerit aliquando conjux Ecclesia Dei satisfactione Theutbergæ non eget. Unum tamen scimus, quoniam nec nos, nec eadem sancta Ecclesia, auctore Deo, qui adulteros judicabit, te, si Waldradam quandocunque resumpseris, etiam Theutberga decedente, dimittet modis omnibus impunitum. Illud vero quod dicit Romam se velle venire, nobisque passiones et quædam secreta sui pectoris reserare, fieri non convenit : quoniam et securitas itineris, quam prætendit, nulla est; et quandiu Waldrada ita tibi juxta posita est, diaboli versutia non abesse convincitur. Dum enim Theutbergæ discedit, Waldrada incunctanter accedit : nimirum quia dum lex repellitur, prævaricatio confestim inducitur. Cæterum quis ignorat Theutbergam hæc contra se multis pressuris subactam deponere, ac innumeris malis attritam, imo mortis periculum formidantem, quod solo Deo custode frequenter evasit, asserere? Cum etiam, ut prædiximus, pene omnes religiosi et clari viri Galliarum et Germaniæ hæc ita se habere relatione testentur; adeo ut hæc eam, quæ nunc scripsit, nobis scripturam fore ante multum temporis præscierimus. Verum nos talem confessionem ejus, quam non voluntas sed vis extorsit, nequaquam pro confessione recipimus. Quamobrem quisquis contra Theutbergam agit, non solum Ecclesiam Dei graviter lædit, verum etiam sedem apostolicam, cujus judicium non licet retractare, vehementer adversus se commovere convincitur, quoniam illa ex utraque parte provocata, id est tam a te quam a Theutberga, cujus vestri negotii exsecutrix [*Edit. Rom.*, interpretrix] et interemptrix effecta est. Jam vero si eadem Theutberga Romam venire disponit, et licentiam a te, conjuge videlicet suo, proficiscendi adepta fuerit, securitas est ei prorsus certissima tribuenda, qua freta nusquam metuat se per hominem aliquid incidere læsionis. Quod omnino non provenire poterit nisi Waldrada Romam prius mittatur, et de ea quod conveniens sit diffiniatur : et ita demum talis immunitatis certitudo subsequatur, ut sæpedicta Theutberga nec veniens, nec commorans, nec rediens, aliquod patiatur incommodum. Quod si minime pro repellenda a te sinistra suspicione promiseris agere, cessandum est, ne talibus fraudis insidiis acquiescamus, omnimodis præcavendum. Tuque summo studio præfatam Theutbergam conjugem tuam tanquam propriam carnem fovere ac diligere procurato, et ne illam separari a te ullo pacto consentias, vigilanter attende. Unde si vult a te discedere, corripe, imo corrige eam, et a tali intentione per omnia satage revocare. Jam vero si amore pudicitiæ separationem quærit, et conjugalis connubii solutionem efflagitat, certum est, Apostolo prædicante, quoniam mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Verum si et ipse pudicitiam sectatus religionis obtentu copulam dissolvere vis, tantum ne simultate fiat, concedimus. Nam licet scriptum

sit, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, Deus tamen et non homo separat, quando divini amoris intuitu,ex consensu utriusque conjugis matrimonia dissolvuntur. Si ergo hoc modo vis,non grato permittimus animo, celeremque præbemus assensum. Aliter autem fieri mutuam vestram separationem prohibemus: siquidem scriptum legimus: *Erunt duo in carne una*.Quod divus Gregorius exponit dicens: Si igitur vir et uxor una caro sunt, et religionis causa vir dimittit uxorem,vel mulier virum in hoc mundo remanentem,vel fortasse ad illicita migrantem, quæ est ista conversio, in qua una eademque caro, et ex parte transit ad continentiam, et ex parte remanet in pollutione? Si vero utrisque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? quando certum est quod omnipotens Dominus, qui minora concessit, majora non prohibuit. Porro si sterilitas accusatur, cogita Saram nonagenariam. Annam quoque simul et Elisabeth : quam tamen sterilitatem fortasse non facit infecunditas, sed iniquitas. De aliis postremo vitiis, audi quid cœlestis bibliothecæ cultor dicat Hieronymus : Grave,inquit,pondus uxorum est,si, exccepta causa fornicationis, eas dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa,si gulosa,si vaga,si jurgatrix et maledica, tenenda erit istiusmodi? volumus, nolumus, sustinenda est. Cum enim essemus liberi voluntate nos subjecimus servituti, et revera, ut verbis utamur Apostoli,*alligatus es uxori? noli quærere solutionem*. Ergo, gloriosissime rex, esto propria contentus uxore, et præter illius, alterius unquam ne quæras consortium. Et certe, quantum humanus invenire sufficit intellectus,eadem crebro memorata mulier non solum insons sæpe comprobata est, verum et Ecclesiæ auxilium atque judicium provocasse dignoscitur. Insuper et sancti apostolorum principis Petri præsidium expetivit. Unde sedes apostolica causam vestram per ipsam cœpit discutere,et quidquid quæstionis emersisset,speciali judicio suo reservare proposuit.Qua de re non putamus te in tantam tui perniciem devolvendum, ut contra nostras diffinitiones, vel adversus crebro dictam feminam, beati Petri confugio prorsus innixam, agere quocunque modo consentias : cum tibi potius,et regno tuo, quam Theutbergæ, si ad hoc tam immane piaculum dilapsus fueris,acquiras omnino dispendium. Igitur consilium nostrum, accipe, et monita nostra tanquam affectuosi patris amplectere, atque ab omni pravitate mentem,linguam,corpusque refræna, præcipue Waldradæ pellicis tuæ,et dudum a te repudiatæ, communionem declinans, et ejus consortium perpetuæ oblivioni contradens.Excommunicata est enim,et usque ad præsentiam nostram, ab omni Christianorum contubernio sequestrata, sicut totus jam novit Occidens, et jam jamque quoque per missos nostros minime cum plagis cæteris Oriens ignorabit. Quamobrem cavendum est, ne cum ea pari mucrone percellaris sententiæ, ac pro unius mulieris passione, et ad sulfureos fœtores, et brevissimi temporis desiderio, vinctus et obligatus ad perenne traharis exitium. Deterius quippe in populis prælati delinquunt : ac per hoc ipsi crudelius quam cæteri puniuntur. Sed ut manifestius vera nos dicere scias, beatum papam Gregorium audi, qui ait : Scire etenim prælati debent, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, qnot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.Unde necesse est ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava quæ faciunt non soli moriuntur. Hæc autem nos tibi nunc scripsisse,et quasi inter nos et te verba nostra excessus tuos corripientia discurrisse sufficiat. Cæterum præcave nequando nobis, secundum Domini præceptum,duos aut tres testes adhibeamus : imo vero, ne hoc Ecclesiæ sanctæ dicamus,et,quod non optamus, de cætero fias cunctis sicut ethnicus et publicanus.

Porro excellentiam vestram hortamur, ut hoc exemplar epistolæ ad Lotharium missæ, quousque illum nostris monitis obedire perfecte cognoveritis. apud vos, nemine alio sciente, retineatis. Si autem suæ obstinationi non cesserit,et quæ ei ad præsens dirigemus, perficere distulerit, vel si Theutbergam reginam debito honore non retinuerit, vestra ad omnium notitiam, quæ de eo statuimus faciat venire sublimitas, et juxta nostræ censuræ modum ad gloriam vestram transmissum huc illucque dispergat.

CL.

AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

(Anno 867.)

Ut Lotharium ad diligendam Theutbergam excitare pergat, et Ingeltrudem ad Bosonem maritum redire compellat.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Ludovico glorioso regi.

Precamur amabilem dilectionem vestram ut regem Lotharium monere nullo pacto desistatis ut debitam dilectionem Theutbergæ reginæ uxori suæ semper impendat: nec sibi blandiatur,quasi studeat eam cogere ut aliquod sibi crimen impingat, et per hoc valeat illam a suo consortio sequestrare : quoniam hoc nec ipse legaliter agere prævalet,nec nos talibus præstigiis,et tam fraudulentæ calliditati locum dare permittimus. Sed etiamsi abundante iniquitate, qualibet astutia, potius autem violentia, tale quid machinari potuisset, Waldradam ei mœcham, cujus immundo desiderio ad ista intendit, anhelat, et pervenire dementer affectat, nullus conjugali fœdere permitteret sociari, nisi forte quis omnium legum,nisi cunctarum regularum temerator et infractor inveniri voluisset. Agite igitur circa eum benigne,et quoniam filius germani vestri est, tanquam os vestrum et carnem monere, increpare. imo vero etiam severius, corripere, quin et quoquo modo corrigere studeatis, mentis scilicet ejus salu-

tem magis quam corporis anhelantes.Postremo,fili charissime, non vos latere credimus, quot et quantos labores pro refuga illa Bosonis uxore sæpe pertulimus, et quoties eam, ut ad justitiæ tramitem remearet, salubriter admonuerimus : et qualiter etiam non resipiscentem, sed nequitia sua pertinaciter persistensem, gladio anathematis percusserimus. Quæ nec percussa doluit, nec attrita voluit recipere disciplinam.Vir autem ejus,innocens videlicet,in ejus absentia hinc inde labore non modico fatigatur, quoniam nec ipsi reconciliari absenti prævalet, nec alterius illa vivente consortium ei conjugale conceditur. Qua de re quoniam improbitatem et insolentiam ejusdem viri continuam patimur, volentis scilicet ardenter ad secundum, imo ad illicitum convolare connubium, obnixe dilectionem vestram deposcimus, ut pro revocanda ea omne studium pro Dei amore sumatis, quinimo et eamdem perditam ac sæpe damnatam feminam lucrari Domino valeatis, ita ut si monitis provocata viam suæ salutis non arripit, saltem pressuris per vestram industriam angustata resipiscat : et quæ ad Dominicam cœnam sponte intrare noluit, dum tantum intret, vel compellatur invita.Nam forte de hujusmodi Dominus per prophetam dicit : *Ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet,et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos : quæret et non inveniet eos, et dicet : Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc* (*Ose.* II.) Quod venerandum oraculum si tropice disseratur non parvam utilitatem generat. Verum nunc breviter dicendum est, quoniam si eadem femina, sicut nec debet,nullius communione frueretur,et non exquisitis voluptatibus potiretur, si denique vias suas spinis septas pateretur, si in terrenis desideriis de impossibilitate lassaretur, jam Deum profecto ad mentem reduceret, et ad amorem viri proprii vel invita rediret. Sic ergo pervicax illa et impœnitens anima, quæ diu est adultera, conata persistere, sic forfasse, si tamen necessitas ei per vos rerum interim titulatarum imponeretur,fidelis jam decerneret esse conjux, quæ merito ac veraciter deinde dicere posset : *Revertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc magis quam nunc.* Optamus gloriam vestram bene valere, dilectissime fili. Data Nonis Martii, indictione XV.

CLI.

AD ADONEM VIENNENSEM ARCHIEPISCOPUM.

(Anno 867.)

Confirmatur auctoritate pontificia vetus privilegium metropoleos Viennensis.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo et sanctissimo confratri nostro ADONI archiepiscopo decretum perpetuum Viennensis Ecclesiæ.

Quod reverenter petiit sanctitas tua a sede apostolica, et humiliter expostulavit,ut privilegium antiquum a patribus et prædecessoribus nostris Viennensi sacræ sedi concessum renovaremus, auctoritas hujus sanctæ sedis, quia digna res petebatur, non abnuit. Sicut ergo ab antecessoribus nostris, beatissimo scilicet Leone et a reliquis pene ad nostra tempora,tuis antecessoribus præstitum est largitione apostolica, ut juri Viennensis Ecclesiæ quatuor civitates vel oppida,Gratianopolis scilicet, Valentia, Genava, Darentasia, perpetue subjectæ manerent,ita modo noster præsulatus futuris temporibus firmum et inconvulsum durare præsenti decreto constituit, et ut ad potestatem et dispositionem Viennensis metropolis pertineant immobiliter definivit. Neque tamen propterea Darentasiensis Ecclesia si aliquod munus privilegii illi concessum est perdet, quia nec hoc modo Viennensis archiepiscopus et primas ipsius a nostra auctoritate postulavit, ut iisdem in tribus oppidis vel civitatibus quæ nunc additæ et commissæ videntur non ordinaret,et episcopos eorum ad se, cum opportunum videret, non advocaret. Sed ut sub jure Viennensis Ecclesiæ ita se positum semper sciat,ut per dispositionem ipsius hæc omnia ecclesiastice agat, et ad synodum ejusdem archiepiscopi et primatis vocatus pariter cum eisdem ipsis sibi concessis occurrat;, et quantum ad generalem observationem attinet, nihil præter auctoritatem Viennensis præsulis definire præsumat : sitque humiliter, sicut a sanctæ recordationis prædecessoribus nostris salubre firmatum et statutum est, Viennensi Ecclesiæ ita suppositus, ut postmodum liberius dignitatem suam a nobis sibi concessam habere et tenere prævaleat; ne forte si aliter fecerit aut præsumpserit, non solum aliqua sibi concessa amittat,sed etiam propter transgressionem et inobedientiam durius damnatus in futurum humilietur. Data Idus Jun., indictione XV.

CLII.

AD HINCMARUM ET CÆTEROS EPISCOPOS IN REGNO CAROLI CONSTITUTOS.

(Anno 867.)

Exponit causas odii et invidiæ Græcorum adversus Ecclesiam Latinam : mittit illorum objectiones, ut eas refellant, et quæ contra illos invenerint, in Urbem transmittant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimis et sanctissimis HINCMARO et cæteris confratribus nostris archiepiscopis et episcopis in regno Caroli gloriosi regis ecclesias constitutas regentibus.

(*a*)Omnium nos portare onera qui gravantur imo

(*a*) *Omnium nos portare.* Quod sub finem hujus epistolæ facere jubetur Hincmarus,ut eam ad alios archiepiscopos deferendam curet, id ad ipso diligenter præstitum docet Flodoardus lib. III, cap. 1. *Quam*, inquit, *epistolam Hincmarus suscipiens, in Carbonaca palatio consistenti regi Carolo cum pluribus*

Dei cognovimus ; et quia illos doctrinam beati Petri apostoli, seu sedis ejus, exquisisse comperimus, qui, licet longe positi corpore, nobis tamen facti sunt fide præsentes : sed et quia per eorum regnum facilem ac terrenum missis nostris ad terram Græcorum accessum patere perspeximus. Ordinatis igitur tam quæ Bulgarum gentis congrua fidei rudimentis agnovimus, quam quæ Constantinopolim mittere disposuerimus, missos quoque nostros cum legatis jam nominati regis per ipsius transituros regionem direximus. Quos imperatores Græcorum non solum recipere minime consenserunt, verum etiam vehementer adversus Bulgares animos commoverunt, eo quod per suam eos terram transire permiserint : nihil aliud procul dubio innuentes, nisi quod eos, si per sibi subjectas regiones transissent, illis periculis traderent, quibus præfatæ urbis hæretici principes sæpe sedis apostolicæ legatos, pro causa fidei vel correctionis ecclesiasticæ destinatos, tradidisse leguntur. Prætorea cum Bulgarum rege demorantibus, et ad urbem Constantinopolitanam eisdem nostris accedere missis conantibus, iidem imperatores epistolam suam ipsi regi Bulgarum transmisere : quam ille accipiens nobis per legatos nostros deferri devota mente decrevit. Accipientibus itaque nobis, et perscrutantibus eamdem cum aliis scriptis epistolam, non hanc sæpe memorati principes dictantes, nisi in lacu blasphemiæ tinxisse calamum, et luto erroris usi pro atramento fuisse procul dubio patuere. Conantur enim tanta nostram specialiter, quam omnem generaliter quæ lingua Latina utitur, Ecclesiam reprehendere, quod jejunamus in sabbatis, quod Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere dicamus cum ipsi hunc tantum ex Patre procedere fateantur. Dicunt præterea nos abominari nuptias, quia presbyteros sortiri conjuges prohibemus ; et insimulare tentant, quoniam eosdem presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus : quod tamen chrisma non ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. Reprehendere nihilominus moliuntur, eo quod octo hebdomadibus ante Pascha a carnium, et septem hebdomadibus a casei et ovorum esu more suo non cessamus. Mentiuntur quoque nos, sicuti per alia ipsorum conscripta indicatur, agnum in pascha, more Judæorum, super altare pariter cum Dominico corpore benedicere et offerre. Quin et reprehendere satagunt, quia penes nos clerici barbas radere suas non abnuunt, et quia diaconus non suscepto presbyteratus officio apud nos episcopus ordinatur ; cum ipsi etiam illum, quem patriarcham suum nominant, ex laico subito tonsuratum ac monachum factum, saltu ad episcopatus apicem imperiali favore ac brachio provehere, ut ipsi putant, minime formidaverint. Et adhuc, quod est gravius et insanius, a missis nostris, contra omnem regulam, et præter omnem consuetudinem, libellum fidei, si se ab illis recipi vellent, exigere moliebantur, in quo tam ista capitula, quam ea tenentes anathematizarent : necnon et epistolas canonicas ab his ei, quem suum œcumenicum patriarcham appellant, dandas improbe requirebant. In his igitur, explosis cæteris curis, vos, fratres, summopere convenit desudare : et quia communia sunt hæc opprobria, quæ universali Ecclesiæ, in ea duntaxat parte quæ Latina uti dignoscitur lingua, sicut prætulimus, ingeruntur, communiter omnes, qui divino sacerdotio illustrari videmini, decertare debetis, quo paternæ traditiones tantæ derogationi non pateant : sed quæ pravi quippe consueta contentione tam mentientes quam errantes maculare gestiunt, manu communis defensionis ab omni nævo blasphemiæ funditus eruantur. Ridiculum est enim, et satis abominabile dedecus, ut temporibus nostris vel falso insimulari sanctam Dei Ecclesiam permittamus, vel eas traditiones quas antiquitus a patribus nostris suscepimus, pro libitu semper errantium infringi patiamur. Quapropter necesse est ut eorum conatibus resistamus, et falsis illorum jaculis veritatis clypeum opponamus. Quod nos quidem, opitulante superna potentia, prout valemus, agere non omittemus : nec, cum opportunitas cœlitus datur, contra illos pro Ecclesia Christi tacebimus. Sed magnopere convenit, ut et vestra quoque fraternitas, morem secuta majorum, concertans nobis et unanimiter collaborans in talibus inveniatur. Siquidem, nisi mente recessit, nunquam Hesperiæ regiones (ut de aliis mundi plagis interim taceamus) a sede B. Petri in hujuscemodi quæstionibus dissonantes inventæ sunt. Unde unusquisquo vestrum qui metropolitana jura sortitus est, junctis sibi fratribus et coepiscopis suis qui sub se sunt, de his diligentem curam suscipiat, et quid invidis eorum detractionibus opponi necesse sit, rimari studeat, et invenire summopere gestiat, atque inventum nobis ocius transmittere minime parvipendat : quatenus id nos quoque adversus eorum vesaniam cum cæteris assertionibus nostris deinde mittere valeamus. Nihil enim in nobis tam visibilis quam invisibilis hostis, sicut concordiam, exhorrescit. Ideoque mutuo studia nostra provocemus, et contra communes hostes, non quasi hac vel illac palantes, sed tanquam castrorum acies ordinati reperiamur. Sicque fit, ut dum nos vestram unanimitatem ad communem incitamus conflictum, et vos nostris certaminibus interestis, ut et nos vestram sanctimoniam debito mentis affectu diligere fraterneque venerari cernamur, et vos in nullo a capite, id est a sede Petri dissidere noscamini. Quanto autem livore, quantaque vecordia, jam designati, Græcorum principes, eorumque satellites, adversus nos, pro eo quod suis noluimus parere illicitis animositatibus, armati sint, in eo manifeste datur intelligi quod aut falsa sunt quæ nobis impingere moliuntur, aut certe jam a prisco tempore sine cujusquam contradictione in Ecclesia Romana, imo in tota occidentali parte, hactenus custodita : et cum floruerint etiam apud ipsos magni doctores Ecclesiæ, nullus tamen eorum de his reprehensionem fecit, nisi hi qui non zelo justitiæ fervidi, sed zelo

invidiæ perculsi, Ecclesiæ lacerare traditiones anhelant. Præcipue cum de jejunio sabbati tempore S. Silvestri confessoris Christi sit satis discussum et disputatum, atque ut celebraretur per omnia definitum, nullusque post hæc ausu temerario contra illud statutum venire, aut saltem mutire præsumpserit: cum potius e diverso sedis apostolicæ institutio, et Ecclesiæ Romanæ sequens observantia, ejusdem salutiferi constituti exsecutrix fuisse hucusque reperiatur. Præterea de processione Spiritus sancti quis nesciat illustres viros et præcipue Latinos, nonnulla scripsisse, quorum fulti auctoritatibus, istorum oppido sane respondere possemus insaniæ, si vel illis non reprehendendi, vel nobis eis contentiosa fauce gannientibus rationem reddendi consuetudo quælibet exstitisset? Sed quid mirum si hoc isti prætendunt, cum etiam glorientur atque perhibeant, quando de Romana urbe imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc et primatum Romanæ sedis ad Constantinopolitanam Ecclesiam transmigrasse, et cum dignitatibus regiis etiam Ecclesiæ Romanæ privilegia translata fuisse? Ita ut ejusdem invasor Ecclesiæ Photius etiam ipse se in scriptis suis archiepiscopum atque universalem patriarcham appellet. Videte ergo, fratres, si hæc Ecclesiæ Christi non præjudicent: videte si tolerabilia valeant æstimari: considerate si debeant illi Ecclesiæ Romanæ hujusmodi derogationes vel detractiones ingerere, cum ipsa, ex quo cœpit Christianæ religio dilatari, quæ semel in Petro patrono ac institutore suo suscepit, immutilata tenuerit, et incorrupta per alia climata mundi docuerit: nec apparuerit quisquam per tot saltem sæculorum curricula, qui ejus traditionibus derogaverit, aut obviare præsumpserit; licet, ut prætulimus, in Ecclesia crebro insigni doctores effulserint: nec visa sit unquam Ecclesia, ut non dicam Constantinopolitanam, quæ longe post instituta est, cujus hæc doctrinam vel auctoritatem secuta sit, cum ipsa potius alias ecclesias instituerit, atque his nonnullas traditiones contulerit: adeo ut, quemadmodum Bonifacius sedis apostolicæ præsul testatur, institutio universalis nascentis Ecclesiæ de beati Petri sumpserit honore principium, in quo regimen ejus et summa consistit Perpendite ergo, fratres, si hæc utilia sint Ecclesiæ Dei, si hæc congrua videantur ejus ordinationibus. Perpendite, rogo, si sedis apostolicæ missos a visione sua excludere, vel eos aut epistolas nostras spernere debuerint, et ubi sit aliquando gestum, quæso, memorare contendite, alioquin contra tantum laborare contemptum nobiscum tota virtute curate. Nam si hujusmodi mos in Ecclesia Christi fuerit exortus, videlicet ut legati seu litteræ singularum ecclesiarum, vel personarum ad his quibus mittuntur minime suscipiantur, quis locus restet saluti nos penitus ignoramus, præsertim cum per legatorum et epistolarum destinatarum interventionem ad fidem nonnullos conversos, et ab errore multos revocatos, et ad pacem cæterasque corrections plurimos vel rediisse vel accessisse noscamus. Et certe si hoc licitum esse posset, nullus profecto nobis tranquilliorem vitam ducere valuisset, nimirum quos quotidiana undique veniens, annuente Christo, frequentia non modice reddit sollicitos, nec paucos constituit subinde sudoribus fatigatos. Perpendite nihilominus, si a legatis nostris libellus exigi debuit, aut quæ hinc exempla præcesserint: cum nec scripto insertum, nec memoriæ commendatum tale quid inveniri credatur. Nunquid nos alicujus novitatis inventores exstitimus? nunquid alia, nisi quæ ad salutem ipsorum, et ad communem Ecclesiæ statum pertinebant, transmisimus? nunqnid nos hæretici aliquando fuimus? Nam licet nos peccatores quidem esse non denegemus, quorumlibet tamen errorum fæce pollutos, Deo gratias, minime recognoscimus, quemadmodum illi, qui nunquam sine schismate, nunquam prorsus ab errore reperiuntur extranei. Libellos autem nos ab illis et exigere et suscipere, nos autem illos a nostris requirere solere, consuetudo hucusque custodita demonstrat. Cum enim, Christi munere, propter primatum Ecclesiæ Romanæ in beato Petro concessum, nemini sit de sedis apostolicæ judicio judicare, aut illius sententiam retractare permissum: constat nimirum eos ab his nullum jus possidere libellos exigendi, quos habere fas judicandi nullo jubentur canone, nullo probantur exemplo. Potiorum enim est ab inferioribus, non inferiorum a potioribus, violenter exigere rationem, aut exortam elicere satisfactionem. Commendatitias autem epistolas, etiamsi tale quid antiqua consuetudo fieri a nobis efflagitasset, dandas Photio modo mitteremus: quippe quem non litterarum nostrarum communione in Ecclesia Constantinopolitana stabiliendum, sed nostræ sententiæ jam mucrone perculsum, ab ea penitus decreveramus tanquam adulterum propellendum. Verum pro his et his similibus causis canonice discutiendis et rite definiendis tam vestram, quam aliorum fratrum et coepiscoporum nostrorum, reverendam ad nos convocare vellemus præsentiam, nisi nos diversæ mundi calamitates, et quotidianæ pressuræ id gerere vetuissent. Sed quæ nobiscum ageretis præsentes, hortamur agite saltem absentes, qui tamen dum intra sinum charitatis, quam latum mandatum Psalmista nuncupat (*Psal.* CXVIII), vos circumplectentes semper intuemur quasi præsentes, terrarum profecto spatiis nunquam potestis haberi visibus nostris absentes. Verumtamen si huc veniendo [*forte*, veniendi, HARD.] recusatis laborem arripere, nec jussa terreni principis, nec ulla impedimenta sæculi, pium studium vestrum a communi hac ecclesiastici negotii meditatione, seu necessaria sollicitudine, cohibere quoquo modo valeant. Alioqui vestram ad nos fraternitatem convocandi, et pariter de hujuscemodi quæstionibus tractandi, nobis erit omnino necessitas: ut videlicet juxta pristinam consuetudinem nobiscum in idipsum apud S. Petrum convenientes, communes Ecclesiæ contumelias repellamus, qui commune sa-

cerdotii culmen in Christi Ecclesia, singuli secundum suorum qualitatem privilegiorum, promeruisse diguoscimur. Præcipue cum non solum propter hujusmodi generalis Ecclesiæ negotinm, sed etiam pro specialis hujus sedis exorta causa prædecessores vestri una cum prædecessoribus nostris hic soliti sint non immerito convenire. Nam mirandum quamobrem iidem imperatores ita sæviant, ita commoveantur, ita in convicia nostra prorumpant: cum, si bene gesserunt, eos non nobis conviciari, sed de bono gratias auctori referre, et in se ipsis gloriam habere, et missos vel legationem nostram respnere, sed utpote suis bene gestis congratulantia libenter admittere, et nobis congrua responsa dirigere, profecto decuerit. Si vero male operati sunt, ut quid non corrigi potius et meliorari satagunt, sed indignantur, anhelant, et in tot contumelias adversus ordinationes Dei et Ecclesiæ traditiones insiliunt? Quamvis non tam indignati, quam deterriti fuisse videantur, conscientia namque remordente intellexerunt, pro judicanda canonice sui obligatione nos illas partes misisse. Quamobrem hujuscemodi consilio usi sunt, quo videlicet legati nostri nullatenus admitterentur: scilicet ne per illos, vel de recuperato fratre et coepiscopo nostro Ignatio, vel de damnato Photio invasore, sedis apostolicæ sententia penes se diffamari, nec rursus iidem, tanquam fautores tantæ perversitatis, ac per hoc obligati, manifestius, quia errent, excommunicati, sciri eorum attestatione, aut scriptorum nostrorum serie potuisset. Unde quis non videat, eos idcirco de nobis illa derogationum verba depromere, ut sua quæque pravitatis possent acta contegere; et ideo velle nostra suis præstigiis offuscare, ut sua valeant tenebrarum opera longe lateque clarificar? Nam quis stylus sufficiat exarare, quanta et qualia, priusquam missi nostri illuc directi fuissent, vel etiam post reversionem eorum, tam per legatos, quam per litteras suas, ut de nostris specciaiiter omittamus, de beati Petri principis apostolorum laudibus, de sedis ejus, vel Ecclesiæ Romanæ privilegiis, nobis præconia destinarint? Cum autem eosdem apostolicæ sedis missos in suam nequitiam traduxissent, et instar quarumdam prostitutarum libidines suas ipsis convenientibus explevissent, primo quidem conati sunt nos iteratis laudibus efferentes, et versutis blandisque lenociniis adeuntes, ad suos inflectere pessimos actus, et ut his a se perpetratis nostro consensu firmitatem tribueremus supra modum hortati sunt et deprecati. At ubi nos, inspiratione divina, quæ acta sunt perperam commissa fuisse comperientes, ea non solum justitia magistra, ut jam diximus, non approbavimus, sed et damnavimus: protinus illi versa sententia, plectrum linguæ in derogationes et blaspßemias acuerunt, et tanquam suimet obliti, contraria his quæ primitus prosecuti fuerant tractarunt. Et quia, Deo auctore, de nobis quid specialiter impeterent non invenerunt, traditionibus paternis divinis testimoniis roboratis detrahere curaverunt, et quod agere majores eorum minime præsumpserunt, isti etiam quæ antiquitas Romana suscepit, cum numerosis hanc sequentibus ecclesiis, generaliter accusare et blasphemare ore polluto minime timuerunt. Quin et privilegiis apostolicæ sedis, quorum valetudine sua quoque roborari poposcerant, quia suis malignitatibus non favimus, conviciari et derogare vice tergiversatoria multifarie studuerunt. Porro autem, quia nos apostolicæ sedis auctoritatem, Deo gratias, non ignorantes, hactenus quodammodo singulariter eorum pravitatem, nullo solatio vestro more prisco muniti, constantia summa repressimus, actus suos illi nonnisi nobis displicere, nonnisi nos exsecrari, fallaciter arbitrantur. Quamobrem fieri potest, ut hæc sua venenosi graminis semina per alias mundi partes dispergant, et simpliciorum piorumque fidelium corda suis illicitis votis incurvent. Adeo ut, sicut ipsi gloriantur, ad Alexandrinum et Hierosolymitanum patriarchas jam miserint, eos videlicet ut in dejectione Ignatii patriarchæ, et in promotione invasoris Photii sibi consentiant, adhortantes. In quo non nos eorum concordiam, fortasse contra statuts seu traditiones apostolicæ sedis improvide conglutinatam, Deo adjuvante, pavemus: sed ne suasionibus illectos pravorum eos ad suum ipsorum discrimen contingat ab æquitate decidere, condolemus. Sunt quippe diris et continuis Agarenorum pressuris attriti: ac per hoc evenire valet, ut vel decepti, vel pro sui relevatione sibi plurima tribuere spondentibus Constantinopolitanis principibus, quod et gementes dicimus, assentire cogantur. Quapropter venerabilis industria vestra talem se de cætero exhibeat necesse est, ut sole clarius hanc a sede Petri in nullo dissidere, quin potius cum illa in cunctis sentire, iidem hostes cognoscant: ita ut præsulatui nostro scripta divinitus inspirata sapientia vestra, reprehendendo, et forti prorsus invectione feriendo tantam eorumdem imperatorum vesaniam, mittat; quæ nos suscipientes, rursus ea cum aliis assertionibus nostris ad ipsorum quoque dementiam confutandam mittere valeamus. Ita ut cum unum pariter idemque nos hostes sentire cognoverint, nec injurias a se nobis illatas ulcisci solummodo nos affectare mendaciter astruant, nimirum cum adversus se monomachiam aggredi quodammodo nos intuentur, et per hoc quod sint et alii Christi dilectores, et eorum perversitates odientes liquido comprehendant, et ora loquentium iniqua penitus obstruantur, ita ut Christo duce una mente, et ore, ac brachio, quasi strenui propugnatores, phalanges hostium premere ac debellare communi studio reperiamur, corumque perniciosam factionem, ipso auxiliante, socia concertatione funditus interrupisse comperiamus, et tam inventores mendaciorum, quam fabricatores perversorum dogmatum, paternis definitionibus, ac veracium assertionum clypeis, in nomine Domini nostri Jesu Christi unanimiter triumphare ac superare per omnia digno-

scamur. Optamus fraternitatem vestram in Christo nunc et semper bene valere. Tua vero, frater Hincmare, charitas cum epistolam legerit, mox ut etiam ad alios archiepiscopos, qui in regno filii nostri Caroli gloriosi regis consistunt, deferatur, summopere agere studeat; et ut de his singuli in diœcesibus suis, una cum suffraganeis suis, in cujuscunque regno sint constituti, convenienter tractare, et nobis quæ repererint suggerere curent, eos incitare non negligat. Ita ut eorum omnium, quæ præsentis epistolæ circumstantia continet, tu et strenuus exsecutor illis existas; et apud nos verax et prudens scriptorum tuorum serie relator inveniaris. Datum x Kalendas Novembris, indictione prima.

CLIII.

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Anno 867.)

Petit ut auxilio sit episcopis ad conventus habendos de negotio quod ipsis demandavit.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Comperiat celsitudo vestra, nos metropolitanos præsules regni vestri ad quædam tractanda ecclesiastica negotia, quorum gloriæ vestræ tenorem ostendi præcepimus, singulos cum suffraganeis suis pariter convenire mandasse : cujus videlicet exsecutionis summam fratri et coepiscopo nostro Hincmaro commisimus. Quapropter rogamus piam dilectionem vestram, ut tanto negotio auxilians, quo facilius iidem fratres nostri convenire valeant, suffragari dignetur : quatenus ipsis vestro solatio potitis, præsens negotium rite tractantibus, vos quoque pro tantæ pietatis studio præmium consequamini. Erit autem eis et aliud post modicum decreto nostro synodice ventilandum : sed ne duplicatus labor eis onerosus existat, interim in hoc operam dare illos oportet, ut videlicet ad alterum libentius ac expeditius, Deo juvante pertingere possint. Optamus gloriam vestram nunc et semper in Christo bene valere, dilectissime fili. Data IX Kalendas Novembris, indictione prima.

CLIV.

AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

(Anno 867.)

Ut desinat tandem intercedere pro Theutgualdo et Gunthario.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Ludovico glorioso regi.

Epistolam serenitatis vestræ pro Theutgualdo et Gunthario dudum episcopis nos obnixe precantis accepimus, et quamobrem pro illis tot vestra celsitudo labores assumat, admodum fateor miramur et obstupescimus. Quanta nempe mala nos perpeti, quanta incommoda sustinere sæpe audistis, et liquido nunc cognovistis? nusquam tamen quia causa nostri doluistis apparuit : et quod cum charitate vestra dicimus, sic Ecclesiæ matris vestræ semper damna duxistis, tanquam si nihil ad vos inde quoquomodo pertineret, et veluti ejus non esse filii per omnia videremini. Quantos autem sudores, quantaque certamina pro recidendo malo, cujus Guntharius et Theutgualdus auctores et conflatores inventi sunt, pertulimus, imo vero indesinenter perferimus, et ne rediviva iterum radice succrescat, incessabilibus laboribus fatigamur? Nunquam tamen vos in his omnibus concertantes aut collaborantes nobis adhærescere consensistis. Sed nunc pro reconciliandis Theutgualdo et Gunthario, totius hujus mali fabricatoribus, satagitis, curritis, anxiamini, et nobis crebro id ipsum mittere minime recusatis : quousque nescio quomodo amaricatos appelletis, dum certe illi pene quotidie potum amaritudinis propinare nobis non desinunt : nam quoties eorum facti memoria inter aliorum dura quæque nobis ingerentium infertur, toties nos absque multi mœroris amaritudine remanere nequimus. Cesset itaque vestræ gloriæ jam nos super hoc pulsare sublimitas, et quod fieri non potest, tandem aliquando prætermittat. Dum enim non possumus adipisci quod volumus, necesse est ut hoc velimus consequi omnino quod possumus et debemus. Nam sedis apostolicæ sententia tanta semper consilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tantaque deliberationis gravitate profertur ut retractatione non egeat, nec immutari necessarium ducat : nisi forte sic prolata sit ut retractari possit, vel immutanda secundum præmissæ tenorem conditionis existat. Theutgualdus igitur et Gunthárius hujus sanctæ et apostolicæ sedis sententia perculsi, si patienter egerint, et malorum quorum plantatores fuere, eradicatores exstiterint, atque si hæc perfecta in se humilitate, dignisque pœnitentiæ fletibus abolere [*edit. Rom.*, abluere] studuerint, poterunt utique alia miserationis ecclesiasticæ beneficia præstolari; prioris tamen ministerii, aut cujuscunque sacerdotalis officii dignitatem frustra quidem sperare poterunt, resumere autem in sempiternum non poterunt. Sed quia charitas excellentiæ vestræ pro his dolet, laudamus : quia et nos, sicut ad eorum detrimentum tunc zelo et justitia Dei commoti gementes devenimus; ita et nunc, quoties eorum reminiscimur, toties ingenti cruciatu mentis accendimur, atque de ipsorum discrimine illis valde compatimur et condolemus. Secundum Apostolum namque, si quid patitur unum membrum, compatiuntur et omnia membra (*I Cor.* III). Verum si de his, vel de actibus eorum, vel quæ sit penes nos de ipsis fixa sententia, pleniter ut innuitis cognitum vobis fieri cupitis, ad epistolæ tenorem, quam ad venerabiles episcopos regni vestri transmisimus, si placet, industria sublimitatis vestræ recurrat. Optamus gloriam vestram in Christo nunc et semper bene valere, o dilectissime fili! Data III Kalend. Novembris, indictione I.

CLV.

AD EPISCOPOS IN REGNO LUDOVICI CONSTITUTOS.

(Anno 867.)

Reprehendit illos quod Theutgualdum et Gunthariam suis gradibus restitui cupiant. Exponit quam graviter deliquerint, tum in suscipienda Ingeltrude Bosonis conjuge refuga excommunicata, tum in astruendo et defendendo Lotharii repudio, et quod propterea merito fuerint depositi. Quare hortatur ut desinant, et ut Lotharium ad exsequenda jussa pontificis inflectant.

[Apud Mansi, *ibid.*]

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, reverendissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis et episcopis in regno Ludovici gloriosi regis constitutis.

Gaudemus quidem, fratres, et plane vobis non immerito congaudemus, quoniam per charitatem vos Theutgualdo et Gunthario dudum damnatis compati et condolere conspicientes, etiam pro recuperandis his in pristinum dignitatis gradum non modice satagere contemplamur. Sed tristamur, et valde tristamur, charissimi, quia sic pro duorum hominum dejectione satagitis, ut plurimæ multitudini Christianæ plebis per eos læsæ minime consulatis : sic pro duorum hominum restaurando statu pro criminibus manifestis eliso certatis, ut tot fidelium casum, qui eos per præcipitia sunt secuti, nullo modo perpendatis: Sed quid mirum, quando etiam cum essetis vicini locis illis, in quibus Theutgualdus et Guntharius Ecclesias Christi sibi commissas videbantur quidem regere, non autem regebant, in quibus etiam liconter, ad sine quavis prohibitione, tam Waldrada, quam Engeltrudis uxor Bosonis, prostitutionis suæ sibi lupanaria quodammodo præparaverant, nec contra insurgentem morbum medicinale ferrum exacuistis, nec ad excitandos sopore noxio oppressos eodem tempore fratres charitatis pedibus cucurristis, sapientissimo Salomone de talibus admonente atque dicente, *Discurre, festina, suscita amicum tuum?* (*Prov.* VI.) Quod non solum tunc minime vos egisse liquet : verum etiam nec postquam nos erecti sagittas divinæ pharetræ jaculare adversus hujusmodi pronefas longe lateque cœpimus, nobis collaborare sollicite procurastis : denique ubi super hoc labor vester apparuit? ubi concursus, vel ubi sacerdotale studium claruit? quando ascendistis super montem excelsum? quando evangelizastis Sion? quando quasi tuba exaltastis vocem? quando annuntiastis cuilibet in hac culpa detento scelera sua? quando ascendistis ex adverso, et opposuistis murum pro domo Domini? quando pro ea latratus dedistis? quando Phinees, ut cessaret quassatio, imitati estis? quando Danielem in puniendis adulteris presbyteris sectati estis? vel quando nobiscum ut castrorum acies ordinati stetistis? quando nobiscum Dominum in choro laudastis? vel quando columbas imitati gregatim contra milvos incedere studuistis? quando cantavimus simul : *Deus in loco sancto suo, Deus qui habitare facit unanimes in domo* (*Psal.* LXVII : et rursus : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum?* (*Psal.* CXXXII.) in unum scilicet mente magis quam corpore. Quod si nihil horum egistis, nec in nullo nobiscum convenire voluistis : sed sicut laboribus nostris diverso tempore, pro destruendis quæ viri prædicti fabricaverant impensis, minime communicastis, ita et dolorum nostrorum participes, fieri recusastis : quid nunc satagitis, et anxiamini, et pro duorum virorum restauratione, innumerorum prævenire vultis fidelium subversionem? An plurium interitum parvipenditis, et duorum virorum casui solummudo condoletis? Et sola quidem illorum vobis ruina gravis, nostra vero et totius Ecclesiæ, cui Deo auctore servimus, quotidiana sollicitudo, et pro eradicandis quæ ipsi plantaverunt malis ineffabilis cura ei intolerabilis profecto vexatio, levis et contemnenda videtur? Sed nos quæ pertulimus, imo quæ de factorum ipsorum origine quotidie toleramus, non contemnenda ducimus, nec levia possumus æstimare, quorum gravissima nos cernimus, et non vos, pondera bajulare, quamvis et charitatem vestram incommodis nostris cognitis compati minime diffidamus, et jam nunc exposita nequaquam perfunctorie posse credamus.

Ordiamur ergo historiam Theutgualdi et Gunthariі, si tamen non tragœdia potius sit dicenda : et ut partim saltem quæ nos experti sumus, de illis vos quoque scire valeatis, quantum epistolæ caventes prolixiorem sermonem cursim disserere possumus, texentibus nobis advertite. Igitur cum Engeltrudis, uxor Bosonis comitis, ad Gallias relicto proprio viro cum adultero adultera transmigrasset : et vir ejus eam cum multo labore reducere voluisset, nec tamen aliquo modo potuisset, ecclesiastica cœpit auxilia postulare : ordinemque servans, primam in toto terrarum orbe sedem appellans, ut ecclesiastico decreto eam ab his, qui illam muniebant, erui et sibi reddi præciperet, supplicavit. Unde decessor noster sanctæ memoriæ Benedictus papa, quousque superstes exstitit, apud imperatorem et regem ac principes interveniens et concertans, atque episcopis et cunctis fidelibus scribens, ut revocaretur suadere, et auctoritate apostolica jubere non destitit. Cui decedenti, effectu nullo percepto, per Christi gratiam nos in episcopatu subrogati, successimus etiam in labore, cui licet longe meritis impares successimus in honore. Qui ut revocaretur eadem femina, et verbis, et frequentibus litteris ad omnes personas in omnes partes missis, ad quas necessitas postulabat, non destitimus agere. Sed et sic minime nobis proficientibus, cœperunt hinc inde a pontificio nostro episcopales litteræ destinari, suggerentes videlicet, ut tam morbida ovis, ne totum gregem contaminaret, ecclesiastico judicio de ipso grege Dominico pelleretur, maxime quæ tot salubribus monitionum medicamentis sanari minime consensisset. Decretoque et auctoritate præmissa, jussum est Mediolani episcoporum concilium fieri; ad quod ipsa

vocata si certo tempore non occurreret, ab ipso sacrato collegio vinculis anathematis vinciretur. Quodque illa statuto tempore non occurrente patratum est, sententiamque in ipsam a synodo auctoritate nostra convocata nos quoque, ut sacri canones præcipiunt, consensu nostro firmavimus. Inter hæc vero, cognoscentes eamdem feminam in regno degere Lotharii regis, non satis habuimus quæ de ipsa gesta femina fuerant : sed ad hanc revocandam prioribus nostris laboribus adhuc quærendi studium apposuimus : reminiscentes videlicet Domini, qui de cœlis ideo ad terram descendit, ut quæreret quod perierat, juxta quod a Psalmista rogabatur confitente atque dicente : *Erravi sicut ovis quæ perierat, require servum tuum* (*Psal.* CXVIII). Missaque epistola nostra, fratrum et coepiscoporum nostrorum in regno præfati regis constitutorum, et præcipue Theutgualdi atque Guntharii, in quorum diœcesibus eadem perdita libere mulier morabatur, torporem valide redarguimus, et quamobrem inter eos licenter illam degentem minime ad virum proprium redire coegerint, non mediocriter increpavimus : indicantes etiam hanc a nobis anathematis vinculo innodatam, et ab omni Christiana communione remotam. Sed Theutgualdus atque Guntharius, tunc episcopi, et præcipuum locum et familiaritatem apud principem obtinentes, non solum eam, cum possent, nequaquam ad conjugem proprium reverti suasione fecerunt, aut auctoritate canonica, juxta quod a sede apostolica crebro fuerant adhortati, minime compulerunt; præsertim cum in diœcesibus eorum commorari sæpe commemorata et damnata femina diceretur : verum etiam, ut licite posset omnium frui communione, atque in refuga obstinatione, sine cujusquam contradictione vel impedimento subsistendi, valeret potentum quorumcunque potiri solatiis, hanc absolvere, quantum in ipsis fuit, atque recipere temere præsumpsere. In quo etiamsi sedis apostolicæ judicium a quovis retractandum esset, etiamsi ab inferioribus potiorum sententia solvenda prorsus existeret, quantum Theutgualdus atque Guntharius circa sacros canones, et præcipue Nicænos, qui luculenter innuunt non debere qui abjiciuntur ab aliis recipi, contumaces exstiterint, ipsi vos solerter advertite. Sed ne tale quid eos commisisse dubitetis, scitote coram omni Ecclesia nostra illos hoc se peregisse confessos.

Interea flagitium in Theutbergæ reginæ dejectione, et admissione Waldradæ, a rege Lothario perpetratum, horum cœpit adulationis et iniquæ defensionis fomentis crescere, atque latius diffamari. Qua de re nos agnoscentes, quanta potuimus instantia, ne tantum scelus committeretur inhibuimus, et per fideles quosque, necnon et scripta nostra suadere contendimus. Mittit rex Lotharius duos ad nos comites, per quos in scriptis et verbis innuit episcopos regni sui, cum aliis quibusdam, sibi dare auctoritatem Theutbergam repellendi, et Waldradam in matrimonium sortiendi : sed se, ut ordo custodiretur, a nobis hujusmodi potius auctoritatem et judicium petere, atque consilium præstolari. Quo nos audito, missos quidem destinare tam concite nos pro hujusmodi negotio non posse respondimus : missuros tamen eos postea certissime repromisimus, admonentes etiam, nullatenus interim a quodam de hujusmodi causa quidquam penitus deliberandum. Sed ille horum, Theutgualdi et Guntharii, tunc episcoporum, ut postea claruit, auctoritate fretus, legatos nostros non præstolans, publico festoque nuptiarum ritu celebrato, Waldradam sibi jure matrimonii sociavit. Verumtamen sedis apostolicæ, qui jam profecti fuerant in Gallias, atque ad Lotharium pervenientes, quod ad illum fuerint missi secundum pollicitationem nostram dixerunt, et quod binos ex regno gloriosissimorum regum, Ludovici scilicet, Caroli majoris et Caroli junioris, convenire secum pariter cum episcopis regni sui faceret, juxta præceptionem nostram ipsi regi suggerere studuerunt : et quod Theutbergam sedem apostolicam appellantem, data idonea a rege Lothario securitate, eidem conventui adesse præceperimus, verbis asseruerunt. Non enim epistolas, quas ad vos vestrorumque regnorum episcopos miseramus, secum habere poterant : quippe qnas sibi ab amicis Lotharii regis jam constabat ablatas. At vero rex Lotharius, horum duorum magisterio usus, nec Theutbergæ reginæ indubitatam de servanda justitia, vel de non inferenda violentia, certitudinem tribuere voluit, nec alios præter regni sui antistites, videlicet quos vel beneficiis, vel minis, jam ad votum suum deflexerat, ad illum conventum, qui penes urbem Metensium congregabatur, penitus exspectavit. Sed corruptis, imo et ad favorem suum traductis legatis nostris, quod libuit nullo resistente patravit : factoque conventu, antistites qui convenerant, inter quos præcipuum Theutgualdus, atque Guntharius fastigium retinebant, et eminentiori potestate vigebant, prævenientes, imo sibi usurpantes, atque vindicantes judicium nostrum, videlicet quod et reginæ Theutbergæ primum appellatione, ac deinde Lotharii regis petitione permoti, jam nos laturos repromiseramus, inchoatumque tam per missos, quamque per epistolas nostras habere luce clarius videbamur, Theutbergam reginam obnoxiam crediderunt, atque condemnandam in absentia putaverunt. Scriptoque de his, quæ illic pro voto regis iniqua sunt fauce deprompta, quodam profano libello, ea sic censentes, illibata persistere, propriis subscriptionibus roboraverunt, Theutgualdo primitus et Gunthario in ipsis subscriptionibus, sicut et in cæteris gestis, præcellentibus, et alios se sequi pestifere compellentibus. Qui mox Romam venturos, ac nobis de his quæ gesserant rationem posituros se per omnia spoponderunt. Tandemque pervenientes nostro sunt conspectui coram omni Ecclesia præsentati, et dum ab eis qualiter illa fuerint gesta requireremus, jam memoratum libellum offerentes, perhibuerunt nec plus, nec minus, nec aliter quidquam se gessisse, nisi ut oblatus videba-

tur continere libellus. Quo accepto, ac coram episcoporum nostrorum cœtu, qui nobiscum aderat, atque coram ipsis, Theutgualdo scilicet et Gunthario, recensito, quam multipliciter hunc reprehendimus, ac per omnia reprehensibilem judicavimus, et quæ in eo gesta legebantur, qualiter inimica justitiæ, Deoque perosa consisterent, audientibus ipsis [*edit. Rom.*, episcopis] elimatius exposuimus. Quamvis nec tunc omnia reprehensionum ejus loca in ipsis profanis gestis inventa sint, nec rursus omnia quæ inventa sunt, nunc ad memoriam nostram valeant repedare : tanta tamen ac talia fuere, ut pro his merito canonicam depositionis Theutgualdum et Guntharium oportere subire sententiam, sancta mecum synodus residens sæpius acclamaret. Qua de re zelo divino, ecce coram Deo dicimus, permoti, nec aliud nisi justum judicium exercere cupientes, communi sensu, cassato primum adulteris favente concilio, quod apud Metensium urbem congregatum fuisse supra commemoravimus, in eos, quod gementes memoramus, depositionis sententiam dedimus, et si juxta præcedentem consuetudinem aliquid de ministerio sacro deinceps forte tetigissent, excommunicavimus. Primo quidem, quia nostris pro Engeltrudi, vel Theutberga, seu Waldrada salubrius jussis obedire contempserunt. Nam inobedientia tam horrendum malum est, ut idololatriæ merito comparetur, dicente Samuele : *Quasi peccatum hariolandi est repugnare : et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* xv)). Unde merito Apostolus ait : *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* (*II Cor.* x). Secundo, quia eamdem Engeltrudem a nobis et a synodo abjectam et anathematizatam recipere et absolvere præsumpserunt : et hoc contra canones, et præcipue contra ipsum Nicænum magnum concilium, quod, hi qui abjiciuntur ab aliis non recipiantur, sanxisse dignoscitur. Sed et beatus papa Gelasius, quod eadem quæ ligavit, et maxime prima sedes, debeat absolvere non semel exponit. Tertio, quia fraudis vel falsitatis rei manifestissime claruerunt, dum epistolæ nostræ, missis nostris pro causa Engeltrudis refugæ transmissæ, atque apud urbem Metensium in jam designato nefando conventu recitatæ, quædam fraude subtraxisse, quædam vero falso addidisse, atque commutasse reperti sunt, talemque illam effecerint, qualem libitui suo congruere posse judicaverunt. Quarto, quoniam adulterio detentis non solum pastoraliter non restiterunt, nec ut speculatores venientem gladium annuntiaverunt, verum etiam his consentiendo et favendo, in nequitia persistendi fiduciam tribuerunt, et tantum flagitium tota virtute defendere fine tenus tentaverunt. Unde merito adhærescere fecit Dominus linguam eorum palato ipsorum : videlicet ut qui linguam facinus arguendi non habuerant, hanc nec ad bona quoque prædicandum saltem habere potuissent, juxta quod alias cantatur : *Peccatori autem dixit Deus*, usque *et cum adulteris portionem tuam ponebas* (*Ps.* xlix). Ille quippe cum adulteris portionem suam ponit, qui his vel consentiendo, vel favendo, vel non corripiendo, similis illis sicut vitiis ita et pœnis efficitur : juxta quod et apostolus hujusmodi scribit : *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum, qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus.* Quinto quia de negotio unde ab utraque parte, id est, et a Theutberga, et a Lothario, juxta quod jam memoravimus, fuerat appellatum, isti præter auctoritatem nostram id sibi subripientes judicare ac diffinire temere præsumpserunt : et hoc adversus canones ; siquidem de appellationis, quæ apud memoriam sancti Petri fiunt, judicandum Romani præsulis arbitrio et consilio sacræ regulæ commiserunt. Verum isti, beati Petri reverentiam præ oculis non habentes, et judicium quod utraque pars a nobis efflagitavit, et nos exsequi cœperamus, temeraria præsumptione deffinierunt, et Theutbergam, etiam ad ecclesiam confugientem, damnatione opprimi censuerunt. Sexto, quia hoc in absentia peregerunt, contra illud quod tropice dicitur : *Ne maledicas surdo.* Surdo quippe maledicit, qui absentem condemnat. Surdus namque quodammodo est, qui in absentia positus quæ sibi objiciuntur non audit. Quamvis absentia ipsa, non studio Theutbergæ, vel conscientia vulnerata, ut isti putant, sed timore regis idoneam illi nolentis tribuere securitatem, et factiosi consilii suspicione, fuerit merito procurata. Septimo, quoniam non solum ipsi subscribentes in profanis gestis, cuncta quæ male compilata fuerant, sine respectu sedis apostolicæ roboraverunt, verum etiam alios subscribere compellentes, eorum omnium prævaricationis auctores effecti sunt, et tot animarum rei constituti sunt, quot, utpote præminentes, in hoc vel verbo vel facto prævaricationis præcipitium demerserunt. Sed si volumus cuncta, quæ ab illis gesta fuisse, tam per oblatum a se libellum, quam per alia indicia, nobis et sanctæ synodo patuerunt, latius scriptis insinuare, facilius charta, quam nobis sermo deficiet. Septem ergo capitula, quæ causam depositionis Theutgualdi et Guntharii præcipue genuerunt, nos commemorasse sufficiat. Solet namque per septenarium numerum universitas significari. Cæterum quis eorum omnia, quæ sive ante, sive post damnationem, perperam commiserunt, enarrare sufficiat? Qualiter videlicet nos se frustra redarguisse mentiti sunt, contra illud quod Deo dicitur : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* v.) Qualiter primum quidem Theutbergam per electum ab illis judicium purgatam, denuo impetere contra divinam et humanam legem minime formidaverint. Qualiter hanc postea (hoc utraque lege inhibente) sine accusatore damnaverint, qualiter testes quosdam quidem, quibus imperari a rege poterat, contra leges publicas in ejus damnationem, quosdam autem domesticos imperantis admiserint. Qualiter contra reverentiam sacerdotalem, turpis quæque, adversus apostolum, ac criminosa, necnon et nauseam penitus et pudorem omnibus inferentia verba etiam scriptis tradiderint, et palam cunctis ostenderint, cum teste Domino etiam de otioso verbo reddituri sint

homines rationem. Vel qualiter jam damnati auribus imperatoris adversus sacras regulas molesti fuerint : vel qualiter ordinationi Dei in beato Petro Ecclesiæ Romanæ collatæ restiterint, et contra privilegia sedis ejus capitula obtrectationum conscripserint,et per totum pene occidentale clima disseminaverint : qualiterque per ea, etiam jam pro tanto piaculo perculsi,Lothario in scelere perdurandi robur dari suaserint. Sive qualiter nos tyrannice penes sanctum Petrum positos afflixerint, oppresserint,et quibus potuerunt malis fatigaverint : adeo ut homines eorum adyta sancti Petri violaverint,et in ecclesia ipsius sanguinem fuderint. Qualiter etiam ibidem nobis matutinales hymnos celebrantibus,illi noctu post tribunal ecclesiæ ipsius,cum complicibus et fautoribus suis, contra Chalcedonense concilium conjuraverint et conspiraverint, et in ipsis diœceseon nostrarum principalibus locis conventus,et singulorum negotiorum ordinationes, et conciliabula, canonibus id inhibentibus, etiam adversus nos factiose patraverint,et cum nostris quoque suffraganeis tractatus iniquos, et fictiones quasdam texuerint. Postremo qualiter ecclesias dudum sibi commissas,et postea cum sacerdotio perditas, hactenus obtinere occupatas præsumant,et ut tyranni pro suo libitu moderentur. Ecce quæ in Ecclesia Chrisi Theutgualdus et Guntharius operati sunt et operantur, præter illa quæ Guntharius specialiter commisit, divinum tangendo ministerium,pro quo a sacris regulis etiam locum habere satisfactionis penitus interdicitur. Verum in ipso jam suæ prosecutionis exordio, quod penes crebro dictum perniciosum Metensem conventum habuerunt, talem se gerere animum liquido monstraverunt. Nam licet postea ibidem missi nostri deviaverint,dicendi tamen principium satis pacifice orsi sunt.Sed hi,quia modicum quid redargutionis contra se sonuisse audierunt,protinus in furorem proruperunt,et verba, quæ nos de illis minime dixeramus, nos dixisse perhibuerunt. seque fautores, plantatores, et rigatores vitiorum appellare asseveraverunt. Et certe nos ea quæ de illis dolenda supra descripsimus,nondum cognita tenebamus, ut de ipsis tunc ista secure fateri possemus : et tamen hi jam, conscientia stimulante,nos astruere garriedant, quæ nos,utpote incognita, minime dicere convenerat.Quid est hoc,nisi quia nobis etiam tacentibus Spiritus sanctus jam quod plantatores et rigatores vitiorum essent, non per aliena, sed per propria ipsorum ora ostendere voluit? et sicut olim per Caipham quod oportebat fieri protulit, ita et per istos, licet non ex se, quod manifestari conveniebat expressit? Quæ tamen isti non de se loqui penitus denegabant,si vitam eorum moresque cognitos haberemus : hæc videlicet ore suo et labiis propriis asserere procurantes, ut laudatæ vitæ ac morum esse per omnia viderentur.Jam vero si ludibria ipsorum, et scenica vultis acta liquido nosse,gesta præfati Metensis concilii,quod nos tamquam adulteris favens,prostibulum dum cassaremus duximus nuncupandum, quærite et revolvite. Favit sane idem prostibulum adulteris, dum Lothario, Waldradæ,et Engeltrudi cuncta pro voto consenserit, et aliis hoc sequentibus adulterandi exempla præbuerit. Ecce pro quibus toties rogatis, ecce pro quibus indefessi satagitis. Quamvis et nos non mediocriter charitati vestræ congratulemur, cum vos mœrentibus proximis compati conspicimus : quoniam et nos de illis non modice condolemus,et crebris urgemur pro eis gemitibus. Et revera dolendi sunt, quia dum inter suos caput primitus essent, docentes mendacium facti sunt cauda : Ecclesiam videlicet Domini tantis fluctibus immiscere,ac tantis laboribus immittere procurantes.Dolemus ergo illos, dolemus plane et Ecclesiam Dei, quæ tot per eos discrimina sustinet.Nam sic per prophetam Samuel Saulem legitur deplorasse (*II Reg.* xv). Quinimo et Dominus prævidens Jerusalem maxime culpa sacerdotum funditus evertendam flevisse ab evangelista describitur (*Luc.* ix). Non autem nos, qui membra sumus, injuriarum nostrarum memores esse volumus, aut talionem, ut ipsi forsitan arbitrantur, eis reddere meditamur. Sed quia ipsi præcipue caput nostrum in repulsione innocentis feminæ, et admissione mœchæ,ad iracundiam provocaverunt,illos plangimus et deflemus. Adeo ut in memoratorum scriptis gestorum ab his interlocutio facta solummodo memoretur,[*leg.*et] ita ut omittamus alia in eisdem gestis aperte scriptore dicente reperiatur : *Theutgualdus et Guntharius, qui causam Theutbergæ recognoverant et judicaverant,* et rursus rege Lothario de istis astruente : *Quidquid in ista causa feci, horum sanctissimorum episcoporum usus sum consilio.* Quin etiam dum in jam dictis fœtidis gestis, inter innumera detestanda,quæ ad confirmationem ipsius facinorosæ mœchæ hinc inde compilare præsumpserunt,episcopi qui convenerant subscribentes,eadem gesta, imo per ea flagitium roborarent, ventum est ad quemdam fratrum et coepiscoporum nostrorum, qui tantum usque ad nostram deliberationem subscripsit eadem esse gesta servanda.Quod cernentes Theutgualdus et Guntharius, arrepto cultello,omne quod antistes providus ad deliberationem nostram servandum esse descripserat, raserunt nomine solo episcopi relicto, cætera sicut ipsi voluerunt temere perscribentes.Quod nobis idem episcopus intimavit, et id ita gestum esse,in ipsis authenticis gestis luce clarius patet,nam ubi sanum est evidentissime claret.In tantum quippe ad roborandum flagitium cor et linguam et calamum acuerunt, ut quæ semel vel dicto vel scripto in ejus confirmatione dffinierant, etiam coram nobis omni sua virtute,quousque ceciderunt, defendere niterentur. Verum quid in pluribus immoramur,et eorum gesta peremptoriam illis damnationem inferentia narrare conamur,cum hæc nec lingua loqui,nec ipsa mentis memoria retinere sufficiat? Sed quia fraternitas vestra studet scriptis suis benigne his misericordiam implorare,et restitutis priori statui consolationem his postulat adhi-

beri, et nos non inconvenienter quod licitum est, et rationabiliter flagitatur, concedere procuramus. Denique si præfati viri, Theutgaldus scilicet et Guntharius, patienter egerint, et malum, quod sui favoris studio perficere passi sunt, radicitus extirpatum exstiterit; atque si hoc perfecta in se humilitate, dignisque pœnitentiæ fletibus abolere studuerint, quin et pax, quam conturbaverunt, Ecclesiæ Christi reddita fuerit : tunc profecto poterunt Dei solius intuitu, et vestræ fraternitatis affectu, alia ministrationis Ecclesiæ nostro nutu atque ope freti beneficia promereri : prioris tamen ministerii, vel cujuscunque sacerdotalis officii dignitatem frustra quidem sperare poterunt, resumere autem in perpetuum non poterunt. Cesset itaque vestræ fraternitatis jam nos super hoc pulsare solertia, et quod fieri non potest, tandem aliquando desinat. Nam sedis apostolicæ sententia tanta semper consilii moderatione concipitur, tanta patientiæ maturitate decoquitur, tantaque postmodum deliberationis gravitate profertur, ut retractari non egeat, nec immutari necessarium ducat, nisi forte sic prolata sit, ut retractari possit, vel immutanda secundum præmissæ tenorem conditionis exstat. Portent igitur ignominiam dejectionis suæ, quia *est*, teste Scriptura, *confusio adducens gloriam* (*Eccli.* IV). Sint interim in signum et in portentum omnibus, quos vel ipsi deceperunt, vel quibus audaciam persistendi in nequitia præstiterunt : quatenus et isti tanta confusione respersi, quod ore fatentur, corde quoque teneant et salventur, et illi non bene sibi subreptum fuisse, ut ad tantum piaculum laberentur, patenter agnoscant. Nam malum adhuc imminet, adhuc foveri non desiit, adhuc libertatis editum et licentiæ tempus exspectat. Probat hoc Waldradæ, etiam post adulterii publicum scelus, gloria vigens : atque reginæ Theutbergæ dilectæ filiæ nostræ, etiam post præstita juramenta nec ancillarum qualitati coæquata dejectio. Denique quando Lotharius rex uxorem sibi debitam, sæpe fatam scilicet Teutbergam, in præsentia missi nostri resumpsit, duodecim, sicut audistis, illustres comites juramento sua vice repromittere jussit, se de cætero ita Theutbergam fore retenturum et tractaturum, quemadmadum regem legitimam conjugem suam reginam retinere convenit et tractare. Sed proh dolor! tanto nunc, quod vos forte non latet, hanc submittit opprobrio, tantæque detestationi, tantæque, quod solo dictu grave est, inopiæ subjicit, ut non dicamus aliquem pencs virum *pro* pane virum, HARD.] necessitatem patientum adjuvare, verum nec sibi, nec propriis queat homunculis omnino præstare. Sed e contra Waldrada, mæcha, et omni communione privata, licet a Lothario solo corpore videatur exclusa, cujus tamen cordi nunquam deesse multis exhibetur indiciis, et cacumen regium, et nocendi vel adjuvandi quos vult omnimodam obtinet potestatem. Ecce fratres, germina, ecce fructus, qui de Theutgualdi et Gunthariі jacto semine sunt exorti. De quibus tamen, si fraternitas vestra veraciter ac utiliter dolet, et aliquod eis vult impertiri suffragium ; curet necesse est vulnus, quod ipsi non solum minime ferro justitiæ resecarunt, verum etiam oleo iniquæ adulationis et persuasionis fovente crescere longe læteque fecerunt, nobiscum pariter incidere ac studiose mederi. Quamvis ipsi jam fati viri, ut prætulimus, quantum ad sacerdotium spectat, recipiendi nullam valeant habere fiduciam. Si enim quod in his destruximus reædificaremus, prævaricatores a Domino procul dubio constituemur, et quasi de non bene gestis pœnitentiam [*edit. Rom. addit* agentes in melius sententiam commutasse, etc.] commutasse videbimur. Ac per hoc nec isti hujusmodi animadversionem paventes emendabuntur, nec hi qui hactenus inchoatum scelus introrsus retinent, puniendum putabunt ; nec cæteri, qui ad hujusmodi possunt relabi flagitium, per hos salubriter eruditi, consultius committere pertimescent, quod tanta viderint dissoluta remissione relaxari. Revertimini ergo, fratres, ad vos, et redite ad cor, et recognoscite contra vitia ministerium vestrum, ipsum per quem tantum Ecclesia Dei scandalum patitur, Lotharium scilicet regem, zelo ferventiori, et majori corripientes et admonentes instantia quo subveniat [*edit. Rom. addit* sibi subveniat et miseris, etc.] et miseris illis, quos pro se juramento constrinxit. Reginam videlicet Theutbergam, conjugem suam, juxta tenorem præstiti sacramenti tractans, et se a reatu vice sua jurantium tegens, mittat etiam ad nos Waldradam, ut per hoc et ipse securam de cætero vitam ducat, et nos causa illius tantis ulterius laboribus non subdamur. Non enim justum est, ut legitima tantam apud ipsum incommoditatem ac dehonestatem patiatur, et ab adultera gloria dignitatis ejus subripiatur. Quod si rex Lotharius ita fieri denegat, et se veraciter audire ac perficere velle monita nostra fatetur, quemadmodum nobis dilectus filius noster Ludovicus rex inclytus ex ipsius assertione significavit, quæsumus interrogetur vel a vobis, vel studio vestræ suggestionis a jam fato pio rege, quare nobis scribens, vel aliis satisfaciens, sicut indicat de Waldrada, quod post missi nostri reversionem non ad eam accesserit, ita non indicat de conjuge sua Teutberga, quod eam secundum datorum tenore juramentorum tractet atque retineat. Nisi quia non habet unde glorietur, nec agit sic erga eam, ut nobis id veraciter referre possit, et gratiarum a nobis inde perficere valeat actiones : dum non solum illa nulla munificentia ipso largiente potitur, verum etiam omnibus opprobriis et egestate summa tabescit. Dicatur ergo ei a pio principe, vel a vestra sacerdotali suadeatur industria, ut quando nobis mittit, ad Waldradam se nequaquam contra interdictum nostrum accedere, mittat etiam quod et Theutbergam uxorem suam juxta præstita juramenta benigne tractet, et secundum regiam dignitatem retineat : ita duntaxat ut, quod mittit, veritate fulciri aliis etiam attestantibus cognoscamus. Denique quando illa repulsa ipse rex Lotharius Theutbergam uxorem suam reduxit, diffinitum fuisse

constat, ut eadem Waldrada in Italiam mitteretur, quatenus utrum Romam necne pervenire debuisset, nostræ censuræ decreto præstolaretur [*al.*, postularetur, HARD.]. De his quippe personis, quarum sedes apostolica specialiter inchoat agitare negotium, sicuti nos Lotharii et Theutbergæ regum, atque Waldradæ pellicis exsequi controversiam cœpimus, nulli fas est alii vel removere, vel aliquid diffinire, nisi forte cui ipsa præceperit. Waldrada ergo, quam nostris hortatibus, nostrisque decretis, a Lotharii constat remotam esse lateribus, nostris quoque specialiter debet, ad congruam Ecclesiæ quam læsit satisfactionem, submitti judiciis. Quod quandiu Lotharius non egerit, sicuti nec nobis requies, nec Theutbergæ securitas, sic nec ipsi poterit tuta pax aut aliqua inesse salutis fiducia. Tanto igitur sollicitius ad correctionem illius operam date, tantoque instantius non solum illum, ut in his nobis obediat, admonete, verum etiam et dilectum filium nostrum Ludovicum excellentissimum regem, quo eum ad audienda nostra monita semper incitet, cohortamini, quanto attentius legitis : *Quia qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, liberabit animam suam a morte, et operiet multitudinem peccatorum* (*Jac.* v). Non solum autem hinc gloriosum regem vestrum adite, verum etiam specialiter deprecamini, ut admoneat et suadeat eidem Lothario, quatenus Romam non nisi purgatus, et quando nos annuerimus, venire præsumat. Nam nisi nobis obediens suspicionum et malæ famæ sordes diluere primum curaverit, videat ne forte leprosorum more de castris Dominicis cum maxima confusione pellatur. Quomodo vero ipsas possit ponere sordes, breviter intimamus : videlicet, si Theutbergam uxorem suam juxta præstita juramenta benigne tractet, et secundum regiam dignitatem retineat, Waldradamque ad nos accelerare compellat, atque in præfatis Ecclesiis, ordine quem ei dictavimus, antistites ordinare permittat. Nam quandiu Waldradam sic manere dimiserit, sicut omnibus liquet, Theutbergamque nec regio cultu, nec conjugali dilectione tractaverit, quandiu etiam Theutgualdum vel Gunthariam ecclesias dudum sibi cum sacerdotio ablatas obtinere permiserit occupatas, nec a lepra inusti criminis, nec a sordibus pessimi odoris, id est, malæ opinionis, vel suspicionis, liber esse poterit, nec puris ecclesiam gressibus intrare valebit, nec sacerdotibus Christi libera eum vel secura tangendi, vel intra castra recipiendi profecto quibit esse facultas. Ergo laborate in hoc nobiscum, charissimi, decertate pariter, fratres : quia sicut labor est multiplex in terris, ita nos merces copiosa manebit in cœlis. Nec dubium est hunc juvenem plurimos habere nunc pro sua potentia vel dominatu sibi consentientes : de quorum omnium profecto conversione ac salute omnes simul lætabimur, si horum princeps, Dei gratia præveniente, communibus nostris sudoribus perfectius emundabitur. Præterea noverit sanctitas vestra, jam memoratum sublimissimum regem vestrum pro Theutgualdo et Gunthario ea qua vos nobis affectione scripsisse, cui quia super hoc brevi scripto respondimus, si plenius nosse placet, quæ de illis sit penes nos fixa sententia, industriam ejus ad hujus epistolæ, quam fraternitati vestræ destinavimus, tenorem scrutandum direximus. Quamobrem agat sanctimonia vestra, ut ipsius piis ad legendum obtutibus cum debita reverentia, seu celeri diligentia deferatur. Porro si aliqui fortasse sunt, qui dicant liberam esse Waldradam, et ideo hunc proficiscendi ei non debeat imponi necessitas; noverint non esse liberam, quæ a peccato superata, ipsius et ancilla addicta est : Petro dicente apostolo : *A quo enim quis superatur, ejus et servus addictus est* (*I Petr.* II), et rursus alibi : *Qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII). A quo videlicet ista nondum liberata, ejus profecto adhuc ancilla credenda, ac per hoc nostro est judicio speciali purganda, cujus decreto iniquitas ejus agitari cœpit, et Christo propitio abolitionem percipere. Nam nisi illam nondum a crimine liberam esse sciremus, nequaquam eam pro liberatione, tam sua quam fautorum ejus, in Italiam venire quoquomodo faceremus : licet eam per ministros suos postea, ne huc perveniret, Satanas impedierit. Jam vero, si jussa nostra vel sanctiones impleverit, ideo se putat ancillam ; ergo Lotharius rex servus dici debet, qui utcunque nostra fecisse mandata dignoscitur : ergo ista teneatur pro domina, quæ inobediens permanet, et dominetur Lothario, qui utcunque nostris studuit obedire decretis, quod absurdissimum est, et omnino nefandum. Verum si tanta rex Lotharius intentione Waldradam voluisset mœcham ad nos mittere, ad ejus scilicet a nobis causam legitime definiendam, quanta voluit legitimam Theutbergam destinare conjugem, ad falsa contra se extorta scelera proferenda; forte jam nobis qualiscunque pax vel reddita requies haberetur. Atque utinam sic studeat Waldradam ad nos destinare, quæ habet de scelere suo quod pandat, sicuti gestiebat reginam Theutbergam, quæ non quidem habebat quod de crimine panderet, sed quod de violentia et jugi pœna illata sibi multipliciter enarraret, et quam injustis minis, ut contra se falsum crimen coram nobis depromeret, multifarie compellebat. Optamus fraternitatem vestram in Christo nunc et semper bene valere. Data pridie Kalendas Novembris, indictione I.

CLVI.

AD LUDOVICUM REGEM GERMANIÆ.

(Anno 867.)

Conqueritur de Lothario, quod nihil eorum præstet quæ promisit. Prohibet ne Romam veniat, priusquam Waldradam, ut jussus est, eo dirigat, et Theutbergam tractet ut reginam, et Treviris atque Coloniæ legitimi episcopi ordinentur. In embolo, de reditibus sancti Petri.

[Apud Mansi, *ibid.*]

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio LUDOVICO glorioso regi.

Syllabarum vestrarum tenore pandistis, vos una cum dilecto filio nostro Carolo glorioso rege, fratre videlicet vestro, ad commune colloquium venisse ; cui quia defuit Lotharius rex, nepos scilicet vester, perhibetis vos ad eum jam dictum fratrem vestrum Carolum regem, adjuncto sibi quodam ex episcopis regni vestri, misisse : quatenus, prout vobis per epistolas nostras ad vos directas injunximus, ab illis admoneretur, ut in omnibus jussionibus nostris obediens existeret : Quod quia tam utpote pii principes justitiam diligentes, quam proximi salutem per charitatem quærentes, nostrisque nihilominus adhortationibus obsecundantes, egistis, debitas gratias agimus : quantum tamen lucri efficacia vestra vel nostra monita penes eumdem regem Lotharium impetrarint, fateor hactenus non elucet. Sed dicitis eum tam absentem quam postea præsentem, a vobis ipsam admonitionem benigne suscepisse, deindeque professum fuisse in omnibus se nostris præceptionibus pariturum. Quod quia sæpe audivimus, non tamen hinc effectum percepimus, satis ingemiscimus, et hujus rei gratia ultra quam dici possit affligimur : nimirum qui etiam pro sua ipsius salute quotidie laborantes apud ipsum nihil omnino proficimus, dum quod sermone dicit, facto non perficit : et præcipue cum verba ejus, ut arborum folia, sonare quidem possint, saturare vero, cum sint sine fructu, non possint. Quamobrem, dum quærimus cui hujusmodi vir valeat comparari, nullus menti convenientius occurrit, quam ille filius, cui apud Matthæum pater dixisse legitur : *Fili, vade hodie, operare in vinea mea* : at ille respondens ait : *Eo, Domine, et non ivit* (*Matth.* XXI). Unde merito figuram Judaici populi exprimit. Ipse quippe repromittebat Moysi dicens : *Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus* (*Exod.* XIX) : non tamen quæ verbis repromittebat rerum effectibus adimplebat. Ita, proh dolor! et iste nepos vester, semper quidem nostra monita velle audire, semper adimplere cupere protestatur : non tamen quod ore, quod scriptis opportune, importune sæpissime profitetur, operibus exercere vel factis exhibere contendit, et paternis monitis nostris non tanquam filius obediens paret, sed tanquam ingratus post tergum repedavit. Si quidem in quo aliquando apparuit rex Lotharius nobis obediens? aut quid ab illo exegimus nisi salutem suam? nisi jurationem quam læsit [*forte*, præstitit] Ecclesiæ? nisi Theutbergæ reginæ conjugis ejus apud sanctum Petrum præsidium requirentis securitatem? nisi nostram etiam post tot labores aliquando requiem? Nam hinc inter innumeras alias curas præcipue laboramus, hinc omnimodam de Waldrada mœcha et excommunicata suspicionem adimenda sæpe decrevimus. Hinc etiam ut novi Treverensi et Coloniensi Ecclesiis antistites darentur injunximus : videlicet qui nec per Theutgualdi et Guntharii dudum episcoporum, nec per jam fatæ Waldradæ favorem provecherentur, sed canonice a filiis et de filiis jam nominatarum ecclesiarum electi, ab his qui earumdem ecclesiarum antistites soliti sunt consecrare, regulariter ordinarentur. Sed cum hæc omnia nos opportuna esse ac necessaria prospicientes, ipsi regi Lothario crebro mandassemus, quo nostræ institutionis exsecutor effectus, ut hæc consummarentur annueret, imo ut sua prorsus exsecutione perpetrarentur insisteret, aliquid horum effectum quemlibet accepisse nos profecto nondum cognovimus, et tamen ille nostra se velle perficere in omnibus monita profitetur. Denique Waldradam ad nos non solum non misit, sicut sæpius illum hortati sumus ; verum etiam Ticinum, dum ad nos tendere crederetur, jam profectam, in Gallias reducere procuravit. Filiam vero nostram Theutbergam reginam, quæ beati Petri se tegmine semper muniri poposcit, non solum sicut reginam secundum præstitum juramentum non tractat : verum etiam nec pro timore Dei, nec pro sancti Petri reverentia, nec pro conjugali fœdere, nec etiam pro eodem collato juramento, saltem in minimis quibusque negotiis suam hanc esse participem recognoscit ; quippe quam omni egestati, omni opprobrio, omni prorsus abjectioni submittit. Porro de præmemoratis ecclesiis ordinandis non solum mandata nostra contemnit, sed et sacrorum canonum præcepta conculcat, dum videlicet ecclesiis non compatitur, sed has tanto tempore sine rectore manere permittit. Ecce, fili charissime, quomodo Lotharius rex instituta nostra custodit, ecce quomodo verum est, quod dicit nostra se velle in omnibus observare decreta. Et adhuc ad nos se properare velle demonstrat, cum id ne sine nostra licentia præsumeret, nos ei sæpe districtius injunxerimus et prohibuerimus. Verum quam ob rem Lotharius Romam proficisci gestiat, miramur si vestram latere potuit prudentiam. Itaque impleat prius cuncta quæ præmisimus, totius occasionis vel sinistræ suspicionis fomitem a se procul abjiciat, imo vero a nostris mentibus amputet, et tunc, si ei sit huc veniendum, a nobis est sollicite providendum. Siquidem etiam si cuncta, quæ nos ei supra commemoravimus injunxisse, penitus adimpleta potuisset ostendere, nec sic ei contra interdictum nostrum Romam fuerat properandum : quanto minus nunc, quando toties a nobis admonitus nihil de eis consummasse convincitur? Igitur dilectio vestra illum nunc venire Romam quæso prohibeat : alioquin, mihi credite, si contra propositum nostrum forte præsumpserit, minime eum qua cupit honestate vel hic suscipietur, vel hinc profecto regredietur : Nam sicut mulier Domino fide proximans tangit ; turba vero licet tangit, tamen comprimit ; sic proh dolor! isto in tempore quidam etsi approximare videntur, tactus tamen eorum, quia non ex fide, pressuram gignit, et approximatio turbationem adducit. Ergo necesse est ut talem se in cunctis exhibeat rex Lotharius, ut nos eum gratanti animo primitus suscipere delectemur, et ita demum venientem expansis brachiis amplectemur. Quod aliter fieri non poterit, nisi Waldrada Romam, sicuti cœptum fuerat, dirigatur, ut videlicet nos

causam ejus ad finem legitimum perducamus, qui de ipsius prævaricatione semel initium judicandi suscepimus : et nisi reginam Theutbergam.secundum tenorem juramenti, ab ipso audiamus rege Lothario conjuge suo tractari : videlicet ut talem se circa illam mente demonstret et opere, qualem diligens rex erga dilectam conjugem suam se debet demonstrare reginam : et nisi de proprio clero in Agrippinensi colonia atque Treverensi ecclesiis episcopos ordinari permiserit, eos scilicet, qui nec Waldradæ, nec Guntharii, nec Theutgualdi favore vel eligantur, vel etiam consecrentur. Hæc sunt, charissime, quæ si Lotharius nepos vester callide non perfecerit,hunc veraciter nos audire nolle procul dubio poterunt indicare, atque si saluti ejus vestra charitas consulit, eum magnopere suadeat incitare, et non ejus foris perstrepentibus verbis facile credat : sed operum facta, secundum perspicacissimam proprii affluentiam sensus consideret. Dicit enim Joannes apostolus : *Filioli mei,non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate* (*I Joan.* v). Nam si nosse libet excellentiæ vestræ, quid sit unde Lotharius jactat se nostram in omnibus adimplere voluntatem,nos evidenter aperiemus. Videlicet quia nobis, imo Deo nostro obediens, Theutbergam conjugem suam recepit, Waldradam vero, utpote adulteram, merito sequestravit, nec ad illam post reversionem legati nostri accessit. Sed prudentia gloriæ vestræ jam valet advertere, quid prosit si ad eam non pedibus corporis, et tamen passibus mentis accedit. Quid prodest quia forinsecus ab illa sequestratus cernitur, qui tamen ei valde conglutinatus intrinsecus intelligitur? Quid autem proficit dilectæ filiæ nostræ Theutbergæ reginæ, quia non ex toto ab illa videtur corpore prolongatus, dum tamen esse cum ea mente minime probatur annexus? Quid ei proficit conjugalis fœderis,vel regiæ dignitatis nomine solo frui, quæ caret omnibus quæ ad perfectæ dilectionis et consimilis ditionis pertinere videntur insignia? Nam quis nisi æmula ejus, Waldrada videlicet, quæ non solum pro adulterio commisso,sed pro impœnitenti corde vinculis est excommunicationis innexa, regni cum Lothario culmina possidet,gloria fruitur, jura tenet, et omnia suo disponit arbitrio : quæ licet a colloquio ejus sejuncta specie tenus videatur existere,per internuntios tamen, et diversos satellites,tantumdem penes ipsum,vel etiam magis valet,quam si legitima conjux haberi quoquomodo potuisset. Nam nemo apud regium apicem est adjutus,nisi per illam : vix usquequaque læsus, nisi propter illam, quisquam esse refertur.Illa quippe penes eum gratiam poscentibus impetrare, ipsa sola quibus mavult beneficia parare eo suevit.Jam vero si ita non est ut dicimus, id est si vel Theutberga regina tantam apud ipsum incommoditatem et dehonestatem non patitur, nec Waldrada mœcha gloria tanta non fruitur; quare nobis scribens, vel aliis satisfaciens, sicut indicat de Waldrada, quod post missi nostri reversionem non ad eam accesserit, ita non de conjuge sua Theutberga,quod eam secundum datorum tenorem juramentorum tractet atque retineat, nisi quia non habeat unde glorietur? nec agit sic erga eam, ut nobis id veraciter referens gratiarum a nobis inde percipere valeat actiones? dum non solum illa nulla munificentia ipso largiente potitur, verum etiam omnibus opprobriis,et ut prætulimus egestate summa tabescit? Dicite ergo illi vos,charissime,et vestra sagaci conventione suadere contendite, ut quando nobis mittit, ad Waldradam post reditum missi nostri contra interdictum nostrum se nullatenus accessisse,mittat etiam quod Theutbergam uxorem suam juxta præstita juramenta benigne tractet, et secundum regiam dignitatem retineat: ita duntaxat ut quod mittit veritate fulciri aliis etiam attestantibus cognoscamus. Mittat nihilominus nobis, quod in præfatis ecclesiis ordine,quem supra dictavimus, episcopi sint regulariter ordinati : et tunc perhibenti se nostra velle jussa perficere credemus, et condignas Deo gratias referemus. Nam quandiu Theutbergam regio cultu et conjugali dilectione non retinet, et Theutgualdum vel Guntharium ecclesias dudum sibi cum sacerdotio ablatas obtinere permiserit occupatas, licet Waldradam non videat, hi tamen gradus sunt,quamvis [*forte*, quemvis,HARD.] ad ima mergentes,per quos illum sensim ad ipsam tendere prudens quisque patenter agnoscit: dum et illos fovet,quos ad pronefas ductores habuisse claret, et eam affligit, quam debita correctione præmissa Christo juvante recepit. Accusatores autem habere Lotharium, non nisi illum, qui accusator fratrum in Apocalysi Joannis appellatur (*cap.* XII, et opera ejus,quæ et ipsa ejusdem antiqui hostis instinctu patrantur, profecto comperimus. Quæ vero Lotharius rex vester nepos operatur,accusatore non indigent.Manifesta quippe,Apostolo teste,sunt opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria (*Gal.*v), et reliqua. Optamus gloriam vestram nunc et semper bene valere, dilectissime fili.Data in Kalendas Novembris, indictione I.

EMBOLUM.

Statuit præterea nobiscum excellentiæ vestræ legatus,ut mediante Maio mense hujus primæ indictionis, pro unius anni reditibus rerum S. Petri in regno vestro sitarum recipiendis, nostros missos direxissemus : cum duorum annorum jam tempora præterierint, ex quo reditus ex illis debuerunt esse collecti, et nos ex eis nihil recepimus. Porro si, sicut per multos et hunc eumdem vestrum legatum cognovimus,Arsenius inde aliquid collegit,licet nobis aliquid non detulerit, de præteritis annis collegit,non de futuris.Unde rogamus gloriam vestram,ut pro mercedis vestræ cumulis,collectis omnibus illis, per vestri culminis viros ad apostolorum limina orationis gratia venientes, antequam de finibus regni vestri foras ea duci jubeatis, nobis significetis, ut his interim in tutissimo a prudentia vestra statuto

loco reconditis, si a speciali filio nostro Augusto obtinere potuerimus,ut cum ipsius homine nostrum illuc dirigamus,et ea ut nobis sine aliquo dispendio deferantur, recipiamus, gratiarum actiones Domino rependendæ sunt. Sin autem, missum nostrum Deo opifice destinabimus, qui qualiter in vestro regno sint recondita ac custodita, cum vestro misso prævideat; et his nihilominus interim in vestro regno bene salvatis, aut nobis renuntiet, aut certe quidquid præviderimus, vel sanxerimus, facere non omittat. Aut si gloria vestra, quæcunque illa fuerint infra territorium ditionis vestræ, videlicet usque Bononiam aut Ravennam perduci fecerit, tantum ut secura sint, hoc multo amplius utile et gratum habebimus, quoniam et nos deinde modo quo valuerimus usque Romam ea ferri jubebimus.

CLVII.

AD EPISCOPOS LEGATOS IN FRANCIAM MISSOS.

Mittit ad eos commonitorium pro causa Theutbergæ.

[Apud Mansi, *Conc.* tom. XV

Reverentissimis et sanctissimis RHODOALDO et JOANNI episcopis.

Quemadmodum sanctæ Romanæ Ecclesiæ fideles estis, et apostolicæ sedis columnæ existitis; ita custodientes omnia secundum priorem præceptionem nostram peragere festinate, et Metis apostolica auctoritate synodo evocata, nostra jussa perficite. Quod si synodus episcoporum se illuc minime collegerit,aut Lotharius venire distulerit,tunc vos ad eum pergere studete,et nostra jussa atque instituta declarate. Et deinde cum pro causa Baldini ad Carolum perrexeritis,eidem glorioso regi epistolas synodicas,et has quas nunc vobis dirigimus,pariter cum commonitorio præsentibus cunctis ostendite; et non solum ei, sed et omnibus episcopis, et universis fidelibus hoc notum facientes palam legere et denuntiare studete. Præterea scitote a nobis vestræ sanctitati duas dirigi epistolas vice ablatarum, unam Carolo regi, secundam vero uxori. Episcopis autem Galliæ et Germaniæ alteram cum hac ipsa ad vos destinata mandamus.

COMMONITORIUM LEGATIS SUPRADICTIS DATUM.

(*a*) Lotharius profitetur Waldradam se a patre accepisse, et sororem postmodum admisisse Hucberti. Ubi primum diligenti investigatione inquirite, et si eumdem gloriosum regem prædictam Waldradam præmissis dotibus, coram testibus, secundum legem et ritum, quo nuptiæ celebrari solent, per omnia inveneritis accepisse, et publica manifestatione eadem Waldrada in matrimonium ipsius admissa est; restat ut perscrutemini cur illa repudiata sit, vel filia Bosonis admissa. Sed quia idem gloriosus rex metu Teutbergam, admisisse se dicit : vos illud evangelicum recolite, quod Dominus : *Nolite*, inquit,*timere eos qui corpus occidunt* (*Matth.* x); et iterum ait : *Quid prodest homini,si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (*Matth.* VI.) In quibus Dominicis sententiis considerandum est, quod si occisores corporum timendi non sunt contra justitiam hominem impellentes,et lucrum totius mundi non prosit homini anima perdita, quanto minus metu unius hominis tantus rex debuit, contra divinum præceptum,in immane præcipitium mergi? In hoc certe se magis reprehensibilem ostendit, in quo amori mundi amorem Dei postposuit.Ubi nihil vobis aliud præcipimus, manifestatione sua eodem rege convicto, nisi ut secundum canonicam auctoritatem nostra voce freti, causam illius definiatis. Sin vero minime prohatum fuerit, Wadradam uxorem fuisse legitimam,neque nuptiis secundum morem celebratis, per beneditionem scilicet sacerdotis, filio nostro Lothario exstitisse conjunctam : suggerite illi,ut non moleste ferat legitimam sibi, si ipsa innocens apparuerit, reconciliari uxorem; nec in hoc canis voci obtemperet, sed potius divinis præceptis obediens, pudeat eum, imo pertimescat,in luxuriæ stercore putrefieri,et voluntatem propriam sequendo ante tribunal Christi strictam ponere rationem. Præterea vos scire volo, quia præfata Theutberga apostolicam sedem bis et ter appellavit, et se a præfato rege glorioso questa est injuste fuisse dejectam, et vi coactam falsum contra se composuisse piaculum. Nam eo tempore ad apostolicam sedem libellum appellationis suæ misit, in quo non quidem adhuc confessam, sed ut contra se falsum diceret crimen,cogi sese innotuit. Insuper subjungens. Quod si amplius compulsa fuero, scitote non veritate, sed timore mortis, et evadendi studio, quia aliter non possum, quod voluerint dicam. Vos autem memores estote mei hæc vobis insinuantis. Unde præcipimus vobis, ut cum eadem Theutberga ad condictam synodum sicut statuimus advenerit, causam ejus diligenti examinatione tractetis; et si ei objicitur,quod illa crimen se aliquod admisisse confessa fuisset, et contra illa violentiam se pertulisse proclamaverit, vel si inimicos sibi judices fuisse testata fuerit; tunc illud renovetis judicium secundum æquitatis normam, ut injustitiæ mole non opprimatur.

CLVIII.

AD ROTLANDUM ARCHIEPISCOPUM ARELATENSENM.

Missa cum altera epistola, qua Nicolaus Rotlando vices suas delegabat.

NICOLAUS episcopus, servus servorum Dei, ROTLANDO archiepiscopo Arelatensi.

(*a*) *Lotharius profitetur*. Apud Ivonem parte VIII, cap. 334, et apud Gratianum 21, q. 2, duæ voculæ perperam inferuntur, *Lotharius in commonitorio profitetur*.Redundant enim,pertinentque ad titulum epistolæ, quo recte in Romana Gratiani editione observatum est. *In commonitorio* itaque dictum, quod ab aliis *commonitorium*; ut *Zosimus commonitorium presbyteris et diaconibus qui Ravennæ sunt*, et illud apud Gregorium in dialogis : *Sabinus Christi servus commonitorium Pado*. JAC. SIRM.

Susceptis sanctitatis tuæ litterris, totius humilitatis dono refertis, cunctarumque virtutum floribus redimitis, multiplices gratiarum cultus omnium bonorum auctori rependimus; tuamque a multis retro temporibus erga sedem apostolicam agnitam devotionem plurimum commendamus, atque ut in hoc salubri proposito perseveret, fraternitatem tuam obnixius adhortamur. Sic enim sanctæ conversationis pedem, quo tendere debeas, perspicacius cognoscere poteris, et supervenientia pravorum jacula prævidere et declinare liberius, revelante Domino, prævalebis, si in apostolicæ sedis petra, more majorum, præsidium tuum locaveris, ejusque fidei doctrinis vel decretis arctius inhærere contenderis; quam ille sua sacravit sessione, quem Dominus ejus Christus Ecclesiæ suæ voluit primum et speciale retinere fastigium, quin et cœlestis atrii delegit summum constituere janitorem, quod jam beatitudinem tuam strenue persequentem debitis attollimus omnino præconiis non solum in hoc, verum etiam in eo, quod apostolatum nostrum ad perseverantiam cohortaris. In quo enim tam manifeste nostrarum sanctionum et decretorum ostendere te poteris esse custodem, quam in eo, quod nostram quoque soliditatem supra firmam petram fundatam, ut in his perseveret, studiosius animare procuras?

Quod autem deprecatur tua fraternitas, ut scrutemur, quales prædecessores nostri circa prædecessores tuos antiquitus fuerint, et postulas, ut liceat tibi rescripto cognoscere, utrum fidenter crebro litteris vel legatis non audeas [*lege*, nos audeas, HARD.] frequentare, et quæque congruentia temporibus opportunis suggerere; sciat beatitudo tua, nos bene cognoscere, quod prædecessores mei inter alia honoris beneficia prædecessores tuos adeo dilexerint, ut eis vices suas in illis partibus retinere consenserint, quemadmodum quinta refert sancta et universalis synodus. Tu vero si promissa tuæ dilectionis perfeceris, et nobis consentiendo, contra pravos quosque vel contra molestos nobis hærere contenderis, et a decretis deviare refugeris: noveris te deinde apostolatus nostri clypeo protegendum, et charitatis ac pietatis brachiis modis omnibus complectendum; sanctam quoque Ecclesiam divinitus tibi creditam nostra sollicitudine et vigilantia, auctore Deo, peramplius et perfectius augmentandam. Mittere autem nobis legatos vel litteras tanto libere debetis, quanto charitas, qua circa sanctitatem tuam flagramus (quam latum mandatum psalmographus nuncupat), intra sinum amplitudinis suæ omnes recipit, omnes fovet, et protegit proximos suos; quia juxta apostolum Paulum, *benigna est, et omnia suffert* (*I Cor.* XV). Verum a charitate tua unum hoc necessario postulamus, scilicet ut cum aliquem ad apostolicam sedem miseris, studeat eum tua monere fraternitas, quatenus in redeundo non usquequaque festinus appareat; eo quod omnium ecclesiarum Dei (sicut ipse nosti) cura constringimur, et cum undique ad sedem apostolicam multi diversa quærentes confluant, efficimur tardi ad singulos, dum volumus benignitatem et dapsilitatem spargere per diversos. Illud autem valde placuit, unde etiam immenso tripudio exsultavimus, scilicet, quoniam ab apostolatu nostro sciscitati quid tua sanctitas sequi debuisset, prudentissime decrevisti. Verum quamvis multa sint quæ tibi mittere possemus: interim tamen quæ in alia nostri apostolatus epistola beatitudini tuæ intimamus, solum tuæ solertiæ sint pervigili cura sectanda, præcipuoque studio peragenda. Siquidem quæ circa nos, circaque sedem beati Petri, non est aliud signum devotionis tuæ, quam polliceris, nisi obtemperantia et consummatio decretorum et definitionum nostrarum, qui licet indigni, per abundantiam tamen gratiæ Christi, ipsius vicarii sumus. Data mense Maii, die 12, indictione XII.

CLIX.

AD CAROLUM REGEM MAJOREM.

Fragmentum.

De conjugio Caroli junioris.

Dilectus filius et coæquivocus vester Carolus ad nostram apostolicam nunc in præsenti destina restuduit paternitatem, intimans videlicet quod pro quadam femina a primo jam matrimonio relicta, quam sine vestro, quod non debuerat, consensu sibi sociavit in conjugium, vestræ paternitatis offensam incurrerit.

Item. De uxore filio vestro conjuncta, si talis contra divinitatem invenitur causa pro qua nullo modo eam habere debeat, volumus nobis a vestra dilectione mandari. Quod si nulla invenitur ex latere alia causa quod grave pariat peccatorum, non reperitur auctoritas ut eorum scindi debeat conjugium, nec nostrum est eis sine manifesta delicti culpa suæ separationis inferre præjudicium.

Item. Quanquam sciamus filiam vestram, si libet, posse vos Balduino legaliter in uxorem dimittere, et pietatis vestræ clementer gratiam impertiri, non tamen jussa misimus, sed preces obtulimus.